

JOSEPH VOGEL

CATHEDRALIS BASILICÆ RECANATENSIS CANONICUS

ANNO MDCCCVIII.

MACCI

DE ECCLESIIS

RECANATENSI ET LAURETANA

EARUMQUE EPISCOPIS

COMMENTARIUS HISTORICUS

JOSEPHI ANTONII VOGEL

S. THEOLOG. LICENTIATI

CANONICI OLIM RECANATENSIS

Vol. I.

RECINETI

EX TYPOGRAPHIA LEONARDI BADALONI

1859

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO

JOANNI FRANCISCO MAGNANI

EPISCOPO RECINETENSI ET LAURETANO

AC REVERENDISSIMIS

DIGNITATIBUS ET CANONICIS

CATHEDRALIS BASILICAE RECINETENSIS

LEONARDUS BADALONI TYPOGRAPHUS

Cum primum arti typographicae hac in Civitate exercendae vacare constitui, totis adnitens viribus ut eam meliore quo possem modo numeris explerem suis; illico subiit animum cupiditas aliquod edendi Opus quod simul et urbi huic honori esse, atque meos exornare typos posset. Duplex hoc propositum meum, ex judicio nonnullorum cum doctrina tum patriae amore praestantium, fuissem ego indubie consequuturus si praelo subderem egregium Opus, atque omni ex parte absolutum, Josephi Antonii Vogel *jam Canonici hujusce Ecclesiae, cui titulus:* Commentarius de Ecclesiis Recanatensi et Lauretana earumque Episcopis etc.; *quod quinquaginta ferme abhinc annis conscriptum, desideriisque multorum expetitum, adhuc in scriniis latebat, licet de illo edendo alii saepe cogitaverint, nec inde efficere ausi sint, forsitan labore sumptibusque deterriti. Ad librum hunc igitur adlatis de causis libenti animo typis meis evulgandum aggressus sum; ratus insuper et me hoc modo famae eximii Auctoris consulturum, et rem gratam acceptamque facturum iis omnibus qui eruditionem critices acumine elucubratam magni habent. Non hic porro meum est quidpiam disserere de Operis excellentia, jam satis*

abunde comperta omnibus qui illud vel summis labiis delibarunt; nec dicere de vita et scriptis Auctoris, cum ipse per se aliquid innuat, et eo magis quia id nuper peractum a Cl. Viro Philippo Raphaellio Cingulano per Commentarium typis meis editum. Hoc mea intererat ut Operi praesidium decusque compararem, ut videlicet alicujus Mecoenatis patrocinio illud tuto concrederem. At hac in re sors favit, nec diu fuit mihi adlaborandum in quaerendo aliquem qui mea excipiens vota id perageret. Cum enim non mihi liceret neque ex hac Civitate egredi ob argumenti materiem, nec ob idipsum e Clericis propterea quod nedum de Recanatensi historia, verum de hujusce Ecclesiae fastis praecipue tractetur, Cuinam alteri jure merito Opus hoc offerrem dicaremque, nisi Tibi, OPTIME PRAESUL *ipsius Ecclesiae, Vobisque* DIGNITATES *et* CANONICI *Capituli Recinetensis? Alia quoque ratio me movit: Manuscriptum hoc pretiosissimum ab isto Rm̃o Capitulo singulari favore obtinui; et hinc jure ut ita dicam postliminii erat ipsi sub nova facie illuc unde discesserat redeundum. Quamvis autem caeteroquin rationes hae omnes mihi defuissent, nihilo tamen secius Auctoris nostri mens et*

votum ad id compulissent. Auctor siquidem sub ipso exordio, passimque in Operis decursu candide aperteque fatetur quantum ad illud inchoandum, persequendum, perficiendumque contulerint studii et operae Illm̃i ac Rm̃i Felix Paulius et Stephanus Bellinius Ecclesiae hujus Episcopi pietate ac doctrina perinsignes; nec silet de auxiliis quibus ei adfuerunt Rm̃us Septimius Mazzagallius Cathedralis Recinetensis jam Praepositus, aliique Capitulares: adeo ut haec procul dubio causa extiterit cur Opus suum Capitulo Ecclesiae Recinetensis, qui eum inter Canonicos jampridem cooptaverat, in grati animi argumentum donaverit. Ex dictis ergo liquet me vel Editorem habeatis, vel interpretem mentis Auctoris debuisse omnino Vestris Manibus librum hunc committere, Vobis illum offerendo atque humillime dicando. Dum magna cordis voluptate hoc facio, quoniam summa benignitate id mihi concedere voluistis, spes mihi pulcherrima arridet Opus istud Nominibus Vestris exornatum, patrocinioque suffultum, famam nobilissimi Auctoris longe lateque prorogaturum, et effecturum ut sic benevertant curae et labores quos enixe in ipso evulgando impendere studui.

PRAEFATIO

Rationem suscepti operis atque instituti, quod in eo conficiendo secutus sum, paucis exponam. Ejectus e patria, atque in hasce oras delatus, omnibusque humanitatis officiis exceptus, nihil non agendum mihi censui, ex quo agnoscerent hospites in homine non ingrato beneficia sua se collocasse. Sors ita tulit, ut diplomatibus chartisque veteribus excutiendis adhiberer, sicque innotescerem Reverendissimo Praesuli Felici Paulio, cui cum indicassem nonnulla ad Ecclesias Recanatensem et Lauretanam, quibus summa cum laude praeerat, pertinentia, auctor is fuit, ut perficerem integram Ecclesiarum suarum historiam, utque id succederet felicius, accitum tribus et quod excedit annis aluit, fovit, operaque et impensa, et qua magis potuit ratione adjuvit. Hujus igitur jussu et auspiciis enata est, quam exhibemus, Recanatensium et Lauretanorum Episcoporum series. Nullam ego quidem in ea condenda ingenii aut eruditionis, cujus quam arcta mihi sit supellex facile agnosco, et profiteor libenter, ostendendae occasionem captavi: neque aliud in

votis habui, quam ut monumentum exigerem grati animi, atque utilitatis quidpiam adferrem iis, qui optime de me fuissent meriti.

Juvabit sane eos meminisse a quibus acceperint depositum fidei, quae omnis beatitatis et praesentis et futurae radix est et fundamentum; quique Majorum zelus fuerit pro ampliandis Dei, coelestiumque Patronorum honoribus, fundandis ditandisque Ecclesiis, instituendis Societatibus, quarum finis est gloria Numinis et auxilium inopum. Juvabit intueri exempla progenitorum virtutibus omnibus illustrium, quorum ipsi heredes sunt et nepotes. Juvabit legere et meditari patriae Ecclesiae fata et vicissitudines, e quibus misericordia Dei erga ipsos patresque suos elucet quam clarissime; sed grato in primis affectu commoveri eos par est erga illos, quorum sudoribus, institutione ac opera spiritualia, quibus gaudent, bona ad ipsos devenerunt, erga praeclaros inquam Praesules, qui Cathedras Recanatensem et Lauretanam exornarunt. Tributi genus hoc pendere eis debemus, ipsomet Spiritu Sancto jubente, (in Epist. ad Hebr. c. 13. v. 7.): *Mementote praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.*

Hinc a primis usque Christianae Religionis initiis singularis adhibita fuit cura, ut ne perirent monumenta Ecclesiarum, Martyrum acta, et nomina praesertim ac res gestae Episcoporum: quorum nempe catalogus antiquitatem et nobilitatem Cathedrae, atque originem a primis fidei praeconibus demonstrabat, ac tessera erat catholicae doctrinae a Christo Domino per successiones Episcoporum veluti hereditate acce-

ptae. Agnoscebant majores nostri quanto opprobrio sibi foret, cum historiae ac genealogiae Principum saeculi tanto cum studio et voluptate inquirantur, si neglexissent acta et nomina Principum Ecclesiae, qui tamen columnae fuerunt religionis, ducesque fidelium, et melioris ut plurimum exempla vitae.

Curae igitur in primis fuit Eusebio Caesariensi Historicorum Ecclesiasticorum principi, Antistitum, qui praecipuas Ecclesias rexerunt, successiones annotare. Neque postea defuerunt, qui catalogos Episcoporum contexerent, ac memoriae gesta eorum commendarent. E quibus sua infinito cum labore confecerunt Commentaria de Romanis Pontificibus Ciaconius, Papebrochius etc.: de Episcopis Germaniae Casparus Bruschius; de Episcopis Galliarum Claudius Robertus, et fratres Sammarthani; de Episcopis Italiae Ferdinandus Ughellius etc.

Verum admirabilis quidem horum, vastiorque fuit industria, qui regiones integras plurimarumque dioeceseon Praesules amplexi sunt; accuratior vero ac certior, nec minus utilis opera est eorum, qui arctioribus circumscripti finibus monumenta singularum Ecclesiarum diligentius perscrutari, expendere, ac in lucem edere allaborarunt, quo pacto et de Ecclesiis suis optime meriti sunt, et majora illa opera mendis atque erroribus expurgandi opportunitatem dederunt. In Picena hac Provincia Historicos id genus nactae sunt Ecclesiae Camerinensis, Eugubina, Firmana, Turchium, Sartium, et Catalanium.*

---

* In Basilica S. Pauli inde a saeculo, ut volunt, quinto imagines depictae conspiciuntur Pontificum Almae Urbis. Reparatus Archiepiscopus

Recanatensis Ecclesia recentior est equidem, et quod est dolendum, interierunt omnia fere antiquiora ejus documenta, tunc maxime cum a copiis pontificiis anno 1322. cremata fuerunt Archiva Civitatis, quippe quae ob factiones Ghibellinorum obedientiam Principis insolentius excusserat. Vix igitur fieri posse putabam, ut justa omnibusque numeris absoluta ipsius confici posset Historia. Attamen omnem spem superavit materiei copia, quam collegi, scriniorum suorum usum liberaliter admodum indulgentibus Illustrissimis Viris Magistratibus Urbis, Collegio Canonicorum Ecclesiae Cathedralis, atque Religiosarum Domuum Praefectis, omnemque nobis operam navantibus egregiis viris, quorum hic non meminisse ingrati foret hominis. Quos inter principem locum tenuit fel. mem. Reverendissimus Paulius, qui dici non potest, quo studio e tabulariis publicis, imo Roma et undecumque colligi curaverit, quae huc spectant, documenta, animumque addiderit cum difficultatibus luctanti. Dolorem amissi optimi Praesulis, quo ut sumus homines, veluti depressus fueram, lenit Successor Stephanus Bellinius cum antiquitatis ecclesiasticae inde ab ineunte aetate studiosissimus, tum ceteris omnibus doctrinae lumi-

---

Ravennas, teste Agnello, Decessorum imagines exprimendas curavit coloribus subjecto cuivis disticho. Quorum exempla secutae sunt Ecclesiae Alatrina, Sarsinas, Vercellensis, plurimaeque aliae, qua de re vide fusius disputantem Philippum Vecchiettum in praefatione ad Commentarios de rebus Ecclesiae Auximanae Reverendissimi Compagnonii. Catalogi vero manu exarati in tabulariis Ecclesiarum passim extant quamplurimi. S. Carolus Borromaeus decessorum suorum indicem actis Ecclesiae Mediolanensis inseruit, similesque habentur in appendicibus complurium Synodorum dioecesanarum, uti Ameliensis, Asculanae, Tusculanae An. 1763. etc.

nibus virtutibusque Praesule dignis ornatus, qui et operis patrocinium suscepit, idque omni conatu juvat et urget.

Ceteros, qui nobis profuerunt, in ipso operis decursu passim laudabimus.

Quod si Ecclesiae Recanatensis res illustrare aliquatenus mihi contigit, horum praeclarissimorum Virorum id omne muneris esse profiteor.

Ceterum diligenter usi fuimus chartis Archivorum, quotquot ad manus nostras post diligentem indaginem venerunt. In rem nostram vertimus, quae de rebus Recanatensibus habent Nicolaus Peranzonius, Hieronymus et Joannes Franciscus Angelitae, Petrus Anticius, Petrus Bonjoannius, Ughellius, Vincentius Coronellius, Didacus Calcagnius. Quorum equidem nonnulli quasi aliud agentes parcius eas attigerunt, alii vel e turbidis fontibus hauserunt, vel critica face destituti bona mixta malis congesserunt.

Seriem Episcoporum Recanatensium primus compilavit Petrus Bonjoannius patriarum rerum curiosissimus indagator, qui eam Ughellio misit Italiae Sacrae inserendam. Sed hic nonnulla mutavit, ac praefationem addidit Recanatensi urbi parum honorificam. Quibus de causis acriter conquestus fuit Bonjoannius in opusculo MS., quod inscripsit: *Discolpe dell' Istoriografo*, quodque extat in Bibliotheca Leopardiana.

Paucos Ughellii errores correxerunt Lucentius et Coletus; nullos Didacus Calcagnius.

Nos igitur felicioribus, ut arbitramur auspiciis errata Ughellii deteximus, emendavimus, fusiusque res gestas Episcoporum enarravimus, ita ut subjectis notis non pauca complexi fuerimus, quae licet minoris mo-

menti esse viderentur, tamen ad illustrandas illas quodammodo pertinebant, exemplum secuti scriptorum qui hanc Spartam cum laude exornarunt.

De Humanatensi Ecclesia, cui Ricinensis, si qua extitit, post exscissam a Barbaris urbem commendata fuit, et e qua veluti surculus prodiit ea, quae nunc floret Recanatensis Ecclesia, diximus quantum satis est; plura certe addidimus iis, quae habent de Humana Ughellius, Maronius, aliique.

Maceratenses Episcopos serici nostrae, ne hiulca foret, inseruimus geminos illos, qui sederunt eo intervallo, quod inter annos 1322. et 1357. intercessit, sub quorum altero abrepta est nobis Cathedra, sub altero restituta.

Ordinem ubique adhibuimus chronologicum. Itaque praemissis quibusdam de Recanatensium urbis origine et fatis, ejusque regimine civili, res Ecclesiae inde ab instituto Episcopatu prosecuti sumus, interjectis suo loco narrationibus de vita illustrium sanctitate, doctrina, aut dignitatibus ecclesiasticis virorum, de Locis, ut ajunt, piis, ac de rebus notatu dignioribus ex Historia Urbis politica. Eodem modo pertractavimus Lauretanae Ecclesiae Historiam.

Stilo usi sumus non fucato rhetoricisque pigmentis ornato, aut qui voces respuat aurea aetate ignotas, sed plano atque ecclesiastico, veritatis et rerum, quam verborum elegantiae studiosiores. Lima, ut ferebat animus, rudem expolire sermonem, et foetum lambere immaturum, conditio temporum prohibuit, coegitque librum relinquere *incomptum qualem decet exulis esse.*

PARS PRIMA

PARS PRIMA

DE CIVITATIS ET ECCLESIÆ RECANATENSIS

ORIGINE ET FATIS

USQUE AD ANNUM CHRISTI MCCXL.

I. Historiam enarraturi Antistitum, qui Recanatensem Ecclesiam ad haec usque tempora gubernarunt, facere non possumus, quin de Civitatis ipsius Recanatensis origine, nomine, et fatis agamus, breviter equidem, utpote de re dubiis ac tenebris involuta, exemplo eorum, qui ante nos Episcoporum Civitatis cujusdam singularis gesta perscripserunt. Postulat enim a nobis ratio ipsa et ordo in Historiis servandus; postulat nexus etiam et conjunctio civilis Historiae cum Ecclesiasticarum rerum notitia, ut ab antiquioribus ad recentiora progrediamur.

II. RECANATUM [1] (ita Civitatem nostram juxta vulgaris linguae consuetudinem vocare lubet), quin a *Ricinensibus* sive *Ricinatibus*, quos Plinius Hist. Nat. libro 3. c. 13. inter Piceni populos recenset, *nomen* ac-

[1] Mira fuit semper circa nomen civitatis nostrae varietas. Lapides enim, quos inferius exscribemus, meminerunt *Reipublicae Ricinensis*, et Municipii *Ricinensium*; *Ricinienses* autem habet lapis relatus a Panvinio et Grutero, lectusque teste Harduino a Luca Holstenio; Coloniam *Helviam Ricinam* exhibet inscriptio marmoris, quod Maceratae extat; RICINNATOS Helvianos et Coloniam *Helviam Ricinniam* lapis, quem vide T. X. Antiquitatum Romanarum Graevii in praef. In chartis porro scriptis Ann. 1199, 1212. et 1215. *Recinenses* vocantur Recanatenses nostri, et a Gregorio IX a. 1240 *Racanates*. Urbs ipsa *Recanatum*, et *Racanatum*, *Recanetum*, *Racanetum*, et *Racanata*, saeculis XIII, XIV, et XV, *Ricanatum* XVI, ac demum *Recinetum* saeculo XVII. appellari consuevit.

ceperit, in dubium et controversiam deduci nequit. Cum enim, ut docent Grammatici, qui de veterum pronuntiatione egerunt, literam *C.* eo modo, quo nos *K.* pronuntiaverint prisci, manifestum est, nihil fere sono et pronuntiatione differre a *Ricinati*, quo nomine antiqui agrum nostrum designabant, recens Urbis nostrae vocabulum *Recanatum* sive *Ricanatum*.

III. Quae nominis *significatio* fuerit, aut *etymologia*, quis nunc divinando adsequatur? Equidem non me latet eruditissimos viros Mazochium, Joannem Baptistam Passerium, aliosque vetustiora urbium, fluminum, montiumque nostratium vocabula ex Hebraeorum, Arabum [1], Graecorumque linguis interpretanda esse existimasse, prout nempe priscos harum regionum incolas Siculos aut a Phaenicia, aut a Graecia huc advenisse sibi persuaserant.

Quid vero si Ricinatensibus primis, qui Siculi aut Umbri aut Picentes fuere, ac patria utique lingua usi sunt *Siculum, Picenum Umbrumve nomen* fuisse dixerimus? Horum porro populorum linguae ita interierunt, ut ne vestigium quidem ipsarum superesse videatur. [2] Verum quidquid sit de *significatione* nominis Ricinatensium, derivatum id fuisse verisimillimum est a rivo exiguo, cui nomen *Ricanus*, qui in Potentiam profluit, qui alio nomine in veteribus documentis *Antiquus* dicebatur. (Rivum de *Ricao* chartae habent A. 1220, rivum *Ricani* chartae A. 1361. Idem rivus *Antiquus* vocatur in monumentis Ann. 1334 ad 1384). Ager vicinus nunc *Ricale* appellatur. Enimvero rivum hunc, qui e colle Recanatensi

---

[1] V. g. derivare possemus Recanati nomen a *rachonon* voce arabica, quae montem significat altiora latera habentem, ut videre est in Edmundi Castelli Lexico polyglotto. Praesidium quoque indicat, aut munimentum exercitus. Sic Auximum vicina civitas ab *Asama* (*mons excelsus* et *magnus*) aut ab hebraico vocabulo *Azam* (validus, fortis) derivari posset, uti et *Ancon* ab *accho* sive *anco*, quo nomine vel Mosis aetate (Judic. I. v. 31.) nuncupabatur Ptolemais Palestinae civitas notissima: e quibus partibus olim profecti Siculi Anconam, et Humanam, ac forte Ricinam quoque, et Auximum civitates finitimas condiderunt.

[2] Reliquiae harum linguarum forte supersunt in vetustissimis quibusdam fluviorum, et regionum vocabulis, qualia fuerunt in agro Ricinatensi rivus *Anasae*, fluvius *Musio*, regiones *Brisughi* sive *Sargaricis*, *Brinchi*, *burgidae*, *Cantacis*, *Gallori*, *Gallusiati*, *gosiati*, rivos *Monochiae* etc. quae nunc pleraque deleta fere sunt, sed in veteribus monumentis persaepe occurrunt.

Quod si e latina lingua, quae fuit idiomatum Trojani, Sabini, Umbri, Graeci, atque Etrusci progenies, repetere velis etymologiam Ricinae, habes nomen hocce vel in ipsis XII. tabularum legibus citante Cicerone lib. 2. de legibus, apud Servium, et Festum, qui vestimenti quadrati genus ea voce significari testantur. Janus vero Vincentius Gravina de orig. juris ubi tabulam X.^{am} interpretatur togam esse vult virilem clavo purpureo praetextam. V. Sam. Pitisci Lexicon Antiqq. Rom. voc. *Ricinia*.

ortus eum alluit, urbi nomen dedisse suadet mos vetustissimus [1], ipsaque vocabuli adfinitas.

Obiter hic adnotandum existimavi, prope Civitatem Castellanam, XXX.° circiter a Romana urbe lapide haud procul ab eo loco, ubi *Falerii* prisca Etruscorum civitas extitit, confluere rivos, quorum *Ricanus* alter, alter *Treja* hodieque vocantur, ac vehementer fallor, ni Umbri, qui utrasque regiones Etruriam, inquam, et Picenum olim tenuere, fluviis hic et illic *Ricani* et *Trejae* nomina indidere, unde apud nos *Ricinenses*, et *Trejenses*. Verum satis superque immorati sumus perscrutandis originibus. Referre enim pudet fabulas de *Rege Cino Recanati* conditore, aut de Venere *Erycina*, sive *Ricina*, et epigrammata, quibus fabulae istae innituntur, descripta, ut ajunt, e lapidibus, quos vero nemo unquam conspexit. Lege ea si lubeat, in Peranzonii libello de laudibus Marchiae, in Historia Montis Cassiani Angelitae Scaramucciae, in Commentario de rebus Recanatensibus Didaci Calcagnii, et in Dissertatione Dominici Troili *dell' antica Città di Ricina* edita Maceratae anno 1790.

IV. Nemini ad hanc usque diem dubium aliquod incessit, quin Ricinensis ager maris hinc littore, inde Trejensium finibus, hac Musone, atque illac Potentiae fluminibus olim fuerit comprehensus. Qua vero in parte agri *sedes* potissimum fuerit Ricinensium difficilis quaestio est. Vicatim eos in collibus per agrum universum sparsis ab initio habitasse, ut putemus, facit auctoritas Dionysii Halicarnassensis auctoris sane idonei, qui (Antiqq. Rom. l. 1.) tradit Oenotrum, qui primus Italiam incoluisse fertur. urbes *parvas et crebras* in montibus condidisse, cumque morem oppida condendi veteribus familiarem fuisse. Quidni igitur mos ille obtinuerit apud Picentes quoque plerosque omnes, quorum regio universa inter colles sita est? Mea sententia Ricinensium veluti Metropolis diu antequam Romani Picenum aggressi fuissent, et coloniam Ricinam deducerent, eo ipso in loco ubi nunc conspicitur civitas Recanatensis, vetustissimam sedem habuit, quippe qui prae ceteris opportunus fuit, qui caput esset agri, in medio nempe positus, universoque imminens, difficilis accessu inimicis, praeruptus enim undique, nec tamen asper et culturam respuens, sed qui plane a natura factus esse videretur, ut populos ad domicilium in eo fi-

---

[1] Scipio Maffejus in Galliae antiquitatibus (Operum edit. Venetae A. 1790. Tomo XXI. pag. 74.) observat urbibus nomina olim a fontibus et fluviis indita fuisse, ut Aquilejae, Nemauso etc. — In Piceno exempla habemus, *Truenti*, *Clenti*, *Potentiae*, *Aesis*. *Isauri*, unde oppidis adjacentibus nomina facta fuisse vero proximum est.

gendum invitaret. Adde quod rivus *Ricanus*, unde urbi nomen fuisse conjecimus, locum alluit, sedemque indigitat Ricinensium priscorum.

V. Postquam Picentes in fidem Populi Romani venerunt, Anno ab Urbe condita circiter 484. (ante Christum 270.) *agrorum parte mulctatos fuisse* verisimillimum est. Initio enim primi belli Punici (An. ab U. C. 489.) *Firmum*, et *Castrum* coloniis occupata testatur Vellejus Patereulus. Mox aliae post alias coloniae deductae sunt; incertum quo tempore singulae. Interierunt enim libri Liviani, quibus Picenorum bellorum continebatur historia. *Ricinates* porro inter illos fuisse, qui non ita multo post Picentes devictos parte agrorum decedere, ac Romanae Coloniae locum dare necesse habuerunt, ut conjiciamus persuadet auctoritas fragmentorum, quae *Frontini* dicuntur. Etenim licet auctor iste recentior, ac sublestae fidei a multis habeatur, in confesso tamen est, plurima illum nobis servasse genuinae antiquitatis monumenta ex deperditis Balbi mensoris, Hygini, aliorumque Augustei aevi Scriptorum libris decerpta. Cujus quidem generis esse videntur, quae de *Ricinensi* agro Frontinus habet: *Limitibus eum ac centuriis assignatum fuisse, eodemque modo finiri, sicut agrum Asculanum, Senogalliensem, Placentinum* (forsan Pollentinum) *Potentinum, et Pausulensem*. Cum igitur eadem lege adsignatus eodemque modo finitus fuerit Ricinensis ager, ut agri vetustiorum illarum et propinquarum coloniarum, quas omnes ante sexcentesimum ab Urbe condita annum deductas fuisse priscorum adlatis testimoniis ostendit Onuphrius Panvinius (in libro de Imperio Romano) *verisimile* est, Ricinensem quoque Coloniam haud multum ab iisdem aetate distare. Enimvero si Cornelium Syllam, vel Triumviros. aut Augustum, aliosve conditores habuisset *Ricina*, nanciscebatur utique limites *Syllanos*, *Triumvirales*, *Augustales*, ut coloniae ceterae juniores, harumque secuta fuisset, non illarum leges. [1]

VI. Cum vero Picentes a Romanis quidem devicti, at nequaquam deleti omnino fuerint (trecenta enim et sexaginta Picentium millia victoribus se dedisse narrat Plinius) agrum utique nequaquam censendi sunt amisisse universum cum Picentes reliqui, tum Ricinenses. Agros integros accipi mos erat gentium tantum aut bello excisarum, aut earum, quae

---

[1] Conjecturae huic nostrae de vetusta Ricinensis Coloniae deductione nolim equidem opponi silentium Plinii; is enim quamvis professus esset, se addito coloniae nomine omnes indicaturum Piceni colonias, promissis tamen haudquaquam stetit; sed *Firmanos*, ac *Falerienses*, *Auximales*, et *Potentinos*, quos colonos fuisse constat Romanos, ut de aliis taceam, aut praetermisit, aut cum municipiis confudit, sicque Ricinenses quoque coloniae titulo decorare neglexisse potuit.

foederibus non steterant, aut ob gravius aliquod crimen patrio solo expulsae fuerant.

Verum ubi nil tale admissum, relinquebatur indigenis aut ager integer, aut loca saltem asperiora et montana; Colonis plana et pinguiora adsignabantur. Cujus quidem moris non obscura extant apud historicos, et rei agrariae scriptores indicia. Incolae veteres aut municipii jure fruebantur, aut in Praefecturas redacti agro publico addicti erant.

Quae cum ita sint, nostra quidem sententia, relicto *Ricinatibus Picenis* oppido in montis supercilio jam tum extructo, eàque agrorum parte, quae saltuosior fuit, et mari propior, Romani vastam illam amoenissimamque planitiem, quae Potentiae adjacens ad Trejenses usque porrigitur, Coloniae adsignarunt, quocumque demum tempore id contigerit, de hoc enim pertinacius non contendo: Ruinae adhuc extantes, et marmora non pauca haud procul a ponte, quo Maceratam adituri flumen transimus, effossa, colonos ibi olim consedisse liquido commonstrant. Accolae *Recinam* constanter vocant tractum illum, in quo rudera supersunt, et viam *Reginam*, sive *Reginae* (idest ut ego interpretor, *Reciniam*) vulgo appellant viam, quae inde secundum fluminis cursum ad mare tendit.

VII. Equidem non sum nescius, plerosque in ea opinione versari, novam civitatem esse *Recanatum*, exortam e ruinis Coloniae Ricinensis a Gothis, ut ajunt, eversae; cujus incolas vicina loca, montium in primis editiora petiisse, ut tutius habitarent; deinde Maceratam, Recanatum, et Sanctae Mariae Cassianae Oppidum profugos extruxisse affirmant. Ita enim post Cyriacum Anconitanum, et Flavium Blondum auctores omnes, qui harum urbium res attigerunt. [1] Nos ea, quae nullo antiquiori teste nixus commentus est Cyriacus, nihili pendimus, ac discessionem facimus ab iis, qui civibus suis, sibique adblandientes nobiliorem fore et augustiorem Patriae originem a Romanis deductam rati facile induci se passi sunt, ut Ricinensium colonorum se abnepotes esse, Cyriaco auctore, crederent. [2]

---

[1] Compagnonius, qui Maceratensium; Scaramuccius, qui Montis Cassiani; Joannes Franciscus Angelita, et Didacus Calcagnius, qui Recanatensium historias typis vulgarunt.

[2] *Petrus Anticius* Patricius Recanatensis Patriae Historiae sollers olim investigator in opusculo inedito, quod in bibliotheca Carradoriana adservatur, quo Herculem Gallum J. C. Auximatem refellit, qui civibus suis in Picentium conventibus honoratiorem, quam Recanatensibus locum deberi contendebat, primus perspexit Recanati originem a *Ricina Colonia* deductam neque certam esse, neque ita, ut vulgus putat, honorificam: non certam; fabulosis enim Cyriaci, Blondi, et Sabellici narrationibus innititur; neque honorificam adeo. Quis enim sanae mentis non

VIII. Breviores erimus in describendis monumentis *Coloniae Riciniae*, quam oppidum fuisse satis amplum e ruinis, quae adhuc e terra eminent, conjicimus. Balneum [1], et Plateas [2] Ricinae Trajanus Augustus, concessa Tuscili Nominati [3] hereditate restaurari mandavit (e marmore, cujus inscriptionem referunt Reinesius, Compagnonius, Calcagnius, alii.)

DIVOS TRAIANVS
AVGVSTVS
CONCESSA TVSCILI
NOMINATI HEREDIT
REIPVBL RICINENS
BALNEVM ET PLATIAS
REPARARI MANDAVIT

---

malit patres agnoscere Picentes priscos, gentem Romanis antiquiorem, camque fortissimam, et fidei tenacissimam, quam faecem illam Urbis Romanae, e qua Coloni legebantur, e colluvie et excrementis, ut ita dicam, universi orbis concretam?

Claudius etiam Giardininus J. C. Maceratensis, teste Reverendissimo Compagnonio in Bibl. Picena . . . . *scripsit epistolam apologeticam contra Joannem Franciscum Angelitum pro sustinenda opinione, quod Recinetum ex Ricinae ruinis conditum non sit.* Existimabat Giardinius e ruinis Ricinae non Recanatum, sed Maceratam surrexisse; qua in re tota via errare mihi videtur cum reliquis de rebus Maceratensium scriptoribus. Enimvero Macerata a *Pausulanis* potius, intra cujus Coloniae fines sita est, quam a Ricinensibus ortum habere debuit, etsi lapidibus quibusdam, et insignioribus tabulis e Ricinae solo erutis civitatem suam exornaverint Maceratenses, postquam An. circ. 1239. Ricinae agrique vicini dominium obtinuissent, *sesquisaeculo post extructam Maceratam.* Non a ruderibus, ut vulgo putant, * sed a *maceria,* idest *rudioris operis muro*, quo circumdata olim fuit, nomen traxit *Macerata.* V. Oliverii marmora Pisaurensia p. 171. — Originem vero habuit a Castello, quod in *fuodo suó Macerata* extruxerunt anno 1108. filii Grimaldi Actonis Vicecomites pro Ecclesia Firmana Castri Casalis, quod in ruinis Pausulae aedificatum fuerat. (E Diplomatario Ecclesiae Firmanae.) E ruinis vero Ricinae, ut vel ipsum nomen indicat, prodiit *Novum Castrum*, sive *Nuncastrum* in *agro Cassianensi* haud procul a finibus Maceratensium olim situm, quod Ecclesias habuit Saec. XIII. *S. Christinae*, et *S. Paterniani*. In agro etiam Cassianensi, neque procul a ruinis Ricinae dissita fuit Ecclesia *S. Eutitii*, quae saeculo demum XVI. interiit. Ea *Plebis* olim nomine ac juribus gavisa est, *Ricinensisque Episcopi* sedes fuisse credi jure meritoque potest.

[1] Ubi nunc rudera, ut putant, Theatri.

[2] Idest *Forum*, interprete Vitruvio.

[3] Tuscillus Nominatus causarum patronus fuit, de quo Plinius Junior lib. 4 epist. 4. et 14. — Adnotavit Reinesius.

---

* Murator. in Thes. ad inscript. 1116. n. 4. ex *maceriis Ricinae*, inquit, *Maceratam traxisse nomen, fabulam sapit.*

Ricinam viribus, opibusque temporum injuria exhaustam Septimius Severus Augustus pristino restituit decori, deductis, ut credi fas est, in supplementum Coloniae veteranis Helvii Pertinacis militibus. Quare Severus decreto Decurionum *Conditor* Coloniae appellatus, Colonia vero ipsa *Helviae* cognomento aucta est. Fidem facit inscriptio Maceratae extans, nota Cyriaco Anconitano, Amantio, Ortelio, Smetio, aliisque.

IMP. CAES. L. VERI AUG. F.
DIVI PII NEP. DIVI HADRIANI PRON.
DIVI TRAIANI PARTH. ABNEP.
DIVI NERVAE ADNEPOTI
L. SEPTIMIO SEVERO PIO
PERTINACI AUGUSTO
ARABICO ADIABENICO
PARTHICO MAXIMO P. M.
TRIBVNIC. POTEST. XIII. [1]
IMP. XI. COS. III. PP.
COLONIA HELVIA RICINA
CONDITORI SUO. [2]

Tabulae Peutingerianae auctor annotavit Ricinam distare Auximo millibus passuum XIIII., et Urbe Salvia milliaribus XII. Sed viae Romanae nulla jam supersunt vestigia.

Ampla vero extant adhuc theatri, sive Balnei Ricinensis rudera, quae sane optandum esset, ut accuratius ab antiquitatum perscrutatoribus, ar-

---

[1] Anno Aerae vulg. 205.

[2] Primus hanc inscriptionem apud Maceratam excripsit Cyriacus Anconitanus, ipso teste in epistola ad *Jacobum* (sic enim legi debet) *Venerium* Archiepiscopum Ragusinum, quam e Codice Vaticano edidit Calcagnius (Memorie di Recanati p. 12.) *Ricinates*, non *Recanatenses*, vel *Recinetenses* recte vocari Civitatis nostrae incolas ex eo marmore primus docuit Cyriacus.

Nummos Septimii Severi, Caracallae, et Getae, in quibus mentio fit COL. HEL. omisso Ricinae nomine, ego ad Coloniam potius *Helvetiorum*, cujus quamplurima extant numismata, pertinere arbitror. Ceterum quod in hac inscriptione Septimius Severus Lucii Veri Augusti filius dicitur, quem marmora complura v. gr. inter inscriptiones Perusinas Cl. Vermiliolii nuper Perusiae editas T. II. p. 268. et 272., ac Dio Cassius *Marcii Antonini Pii* filium adserunt, nodus est, quem aliis extricandum relinquo.

chitectonicarumque rerum peritis inspicerentur, ac delineata memoriae causa typis aeneis excuderentur. [1]

Ceterum sepulcra, et sepulcrorum tituli passim *in agro Recanatensi* effossa olim fuerunt, ac in dies effodiuntur. In regione vulgo dicta *Montirone* anno circ. 1550 reperta est inscriptio sepulcri *Caji Lucilii* Caji filii e Tribu *Velia vindicis* militis cohortis VI. Praetoriae. (Calcagnius p. 26. ex Grutero, Manutius in Orthogr., Panvinius de Rep. Rom. lib. 2. Fabrettius etc.)

C . LVCILIVS . C . F . VEL . VINDEX . MILES CHOR . VI . PRAET.
VIXIT . AN . XXX . MILITAVIT . ANN . XII . PRINCIPALIS.
BENEFICIARIVS . TRIBVNI . DEINDE . OPTIO
IN CENTVRIA . HOC . TESTAMENTO FIERI
IVSSIT . HONORIS . PIETATISQVE . CAVSA.
SIBI . ET . C . LVCILIO . SECVNDO . PATRI . ET .
FLORENAE . FELICITATI . MATRI . ET
LVCILIAE . SVAE . AVIAE . EX . HS ∞ ∞ PRAELEGATIS

Lapis anno circiter 1636. haud procul Auximo in praedio quodam Illustris olim Guarneriorum Familiae repertus, atque a Dominis praedii Reipublicae Recanatensi donatus est, quae muro illum Palatii, in quo Senatus habetur, affigi voluit. Dicatus est is

DIIS MANIBVS
L. PVBLICIO APRONIANO PP.
PATRONO MVNICIPII RICINENSIVM.

et in fragmento alio ejusdem, ut videtur, lapidis sequitur:

DIIS
L. PVBLICIVS FLORIANVS
TRIB. COHOR.
VIIII.

---

[1] De Colonia Ricinensi luculentam scripsit Dissertationem Dominicus Troilus civitatis Maceratensis olim a Bibliotheca editam Maceratae 1790. cujus epitomen exhibet Joseph Colutius Antiq. Picen. T. III.

Quae cum non cohaereant, ac tò DILIS, sive Diliis pluralis numeri tertium casum referat, deesse patet fragmentum intermedium, in quo alterius cujusdam *Dilii* nomen legebatur. Lapidem refert Donius classe V. 168.[1]

Quarto ab urbe lapide versus oram maritimam in loco *Montarice* nuncupato ingentia murorum vestigia suo aevo apparuisse testis est Petrus Bonjoannius.

Prope civitatem ipsam in Mercatali, ut vocant, sive suburbio S. Francisci anno circiter 1610. balneum repertum est elegans admodum, pavimentoque instructum tessellato. Insignis cujusdam statuae fragmenta, caput, pedemque e fundamentis domus cujusdam eruta possidebant Nobiles Anticii.

Romanam originem sapiunt nomina quaedam fundorum agri Recanatensis, quae in tabulis Notariorum, librisque publicis passim occurrunt, v. gr. *Antignani, Arclaris*, sive *Arculi*, *Aregnani*, *Carsolani*, *Cenciani*, *Cerpiniani*, et *Carpenniani*, (de quibus in Regesto Firmano ad An. 1028.[2]) *Dolioli, Fontis humani, Galiani, Laureti*, *Marciani*, *Maregnani*, *Maximani*, *Montis azzani, Pariani, Petroniani, Plani Cassiani, Plobici*, sive *Publici, Privatae* sive *Probatae, Salviniani, Saturani, Varani* etc.; quamquam ex hisce Romanae antiquitatis reliquiis nonnulla ad Potentinam Coloniam pertinere potuisse nequaquam inficiemur. Sed cum vel ipse *Potentiae* situs nos lateat, de ea potius silere, quam conjecturis latius indulgere maluimus.

---

[1] *Dillium Aponianum* tertiae Legionis Tribunum refert Tacitus Hist. lib. 3., et lib. 4. *Dillium Voculam* Legatum *Legionis XXII.*, egregium civem, militem, et oratorem, quem a perduellibus interfectum ala *Picentina* ulta est. — Sextum *Publicium . . . anum*, qui pro salute M. Aurelii Commodi Taurobolium fecit, habes apud Scipionem Maffejum in Galliae antiquitatibus, Epist. nona.

[2] Familias Riciuenses *Carpenniam*, et *Cerpeniam* lapides commemorant, quorum alter Maceratae extat apud Nob. Viros Compagnonios

CARPENNIAE C. F.
EPICARINI
FILIVS ET FILI
AE PARENT.

Alter Macerata Firmum olim delatus fuit

L. CERPINIO T. F. VEL.
PRI. PIL. ITER. PRAEF.
LEG. XXII. IIVIR. ITERUM
QUINQ.
MUNICIPES

IX. Ricinensibus, ut reliquis Picenis, lucem Evangelii affulsisse existimamus statim ac Romae fundata fuit Ecclesia a Principibus Apostolorum Petro, et Paulo. Qui enim fieri poterat, ut non ita multo post eorum mortem Romae quidem Christiani essent infiniti, ut prisci omnes testantur, at in Piceno nulli? Auctus deinceps fuit procul dubio hisce in partibus credentium numerus suasionibus SS. Maronis, Feliciani, Anatoliae, Alexandri, Philippi, Palatiae, Vissiae, Emidii, et aliorum, quos sanguine suo terram hanc nostram irrigasse pie credimus. Sed intereiderunt acta priscorum apud nos Christianae fidei professorum, penitusque eorum periit memoria. [1]

Et suos igitur Ricinensibus inde a primis Christianae Religionis in Italia initiis fuisse Sacrorum Antistites, quis dubitet, cum suos Tolentinum habuerit, Urbs Salvia, Cingulum, Pausulae, Matelica? Neque tamen in partes Pompeji Compagnonii senioris concedimus, qui S. Claudium, cujus praecipua est in Ecclesia Firmana veneratio, Ricinae olim Episcopum fuisse, omni nisu contendit adstruere, cum, qui Synodo Ariminensi interfuit. Quis enim Claudium *Ricinensem Episcopum* fuisse veterum docet? [2]

X. Verum, ut fluxa sunt omnia humana, interiit saeculo sexto, aut septimo vel ipsum Piceni nomen, collapsa sunt oppida; deserti agri; fame, peste, et bellis absumpti incolae, ut in plerisque locis vix relicta fuerint vestigia tot Coloniarum, Municipiorum, fastusque, et magnificentiae Romanorum. Multa ex iis intereiderunt vetustate, et communi rebus creatis fato: quaedam evertit Alaricus: aliqua Gothi posteriores; Totila, et qui eum secuti sunt: pleraque tamen abstulit Langobardorum rabies: ad horum enim usque tempora superfuisse scimus Julianum Cinguli, Florentium

---

[1] Locus est in agro Recanatensi in vetustioribus chartis haud raro memoratus, qui *Vallis Memoriae*, et *Fons Memoriae* vocabatur haud procul a *fonte* dicto *Episcopi*, ac Potentiae fluvio propinquus, ubi praedium possident Religiosi nostrates Augustiniani in regione, ul ajunt, *Preta carata. Memorias* nemo nescit idem apud priscos significasse ac sepulcra Martyrum.

[2] Claudius Ariminensis Concilii a secretis in actis ejusdem *Piceni Episcopus* agnominatur, non quod regionis esset Antistes, ut quidam putarunt, sed quod Episcopos tunc a Provinciis denominari mos esset: videantur, ut unum e multis exemplum adferam, subscriptiones Concilii Sardicensis, ubi N.N. *a Campania*. N.N. *a Calabria etc.* leguntur subscripsisse.

S. Claudio, sed cuinam e Sanctis hujus nominis incertum, sacra est Ecclesia perantiqua sita Maceratam inter et Montem Ulmi, ubi olim *Pausulam* extitisse creditur. Recanatenses olim festum *S. Clodii* die 8. Novembris agebant, ita ut eo die causas agere nefas esset (ut e Codice an. 1396. in Archiv. publ., et e Lib. Statutorum an. 1405.) De S. Claudio plura Catalanius de Ecclesia Firmana.

Matelicae, aliosque Episcopos aliorum locorum, quae nullos deinceps habuere Antistites. Etenim . . . . . per Langobardorum duces, inquit Paulus Diaconus lib. 2. cap. 32, *spoliatis Ecclesiis, et Sacerdotibus interfectis, civitatibus subrutis, populisque . . . . . extinctis* Italia ex maxima parte capta, et a Langobardis subjugata fuit. Contigerunt haec eo decennio, quod effluxit ab anno Christi 574 ad 584. [1]

Cladibus superfuerunt civitates nonnullae maritimae, quippe quae facilius defendebantur a Graecis. Inter eas *Numana*. Quare contigit, ut Romanus Pontifex, sive Gregorius Magnus is fuerit, sive alius, Ricinenses luctuosae cladi superstites cum universo agro Numanati partim, et partim Auximanae, ut conjicimus, commendare potuerit Ecclesiae, sub quarum dein pastorali cura per septem fere saecula majores nostri vixerunt orthodoxae fidei, et rectae morum disciplinae sequaces. Non ea fuit Ricinatium infelicitas, quae Ricinae. Ricinatibus enim reliquit Deus et nomen et agrum. Ricina vero in ruinis jacet, monumentum vanitatis mundanarum rerum, et spectaculum perscrutatoribus antiquitatis. Atque haec quidem de Ricina dixisse sufficiat.

XI. De *Ricinatibus* sive *Recanatensibus*, ut deinceps eos vocabimus, altum est in scriptoribus medii aevi, chartisque silentium. Etenim neque Historicus illius aetatis Picenus superest ullus: chartae vero perpaucae, neque hujusce tractus ad nos usque pervenerunt. Id unum memoriae consignatum reperimus, agri partem ad unum ex antiquioribus Ecclesiae Romanae patrimoniis pertinuisse, quod paucis explicabimus. Cum enim pace Ecclesiis Christianis a Constantino Magno data florentibus adhuc rebus Romanis, pii homines ac divites Ecclesiis sua largiri coepissent alendis Clericis, ac pauperibus, in Romanam in primis Ecclesiam principem scilicet omnium Ecclesiarum liberalitas Imperatorum, Nobiliumque se effudit quammaxime, donatis ei vastissimis non per Italiam solum, sed et per Asiam, Graeciam, et Africam, ac Transalpinis in regionibus fundis, ac patrimoniis. In Piceno Ecclesia Romana possedit patrimonia *Auximanum*, *Anconitanum*, et *Numanas*, quae Pelagii Secundi aetate administrabat Julianus Episcopus Cingulanus. Consuluimus super iis eruditissimi viri Francisci Antonii Zachariae Dissertationes latinas ad Historiam Ecclesiasticam pertinentes, quarum una circa Ecclesiae Romanae patrimonia versatur. At ille uti et alii Auctores *de Picenis patrimoniis* altum silent, quae tamen ampla fuisse necesse est. Abstulit enim ea

[1] Quod Ricinam Tejas Gothorum Rex obsidione aliquando cinxerit, fabula est, quam a Blondo inventam Sabellicus adoptavit.

Ecclesiae Romanae Luitprandus Langobardorum Rex, restituitque rursus Anno Dñi. 742. Zacchariae Pontifici Maximo. Exigui certe non fuerunt agelli patrimonia illa, quae Regis cupiditatem excitare potuerunt. [1]

In Recanatensi agro *Patrimonii Numanatis* partem extitisse majorem plura sunt, quae suadent; ac *primo* quidem ipsa Numanatis agri angustia, in quo tamen praeter privatorum hominum fundos praedia esse debuerunt *Episcopo et Clericis illius Ecclesiae* suffectura. Nec pauca in eo possederunt Ecclesiae *Ravennas* et *Auximana*, ut patet e Codice Ravennate Bibliothecae Electoralis Bavaro-Palatinae, quem Cl. Vir Comes Marcus Fantutius nuper edidit, e diplomate Caroli Magni apud Petrum M. Ammiani in Histor. Fanensi T. 2. append., et è monumentis Ecclesiae Auximanae. *Secundo:* Magna pars agri Numanatis *Comitum* fuit, quorum bona partim in Ecclesias ab ipsis fundatas, v. gr. in Ecclesiam S. Petri Montis Conari, ut apud Annalistas Camaldulenses videre est, partim ad Episcopos Numanatenses cum juribus, ac titulo Comitatus transierunt. Ubinam ergo locus superest Patrimonio Numanatensi, nisi partem ejus saltem in agro Recanatensi extitisse concedas? *Tertio: Ecclesiam Romanam* fundos in hisce nostris partibus possedisse docet liber Cincii Camerarii an. circ. 1192 conscriptus (apud Muratorium de Antiquitatibus medii aevi dissert. 69.) scilicet Ecclesiam *S. Flàviani* Ecclesiae Romanae censum debere annuum 12. denariorum. Illorum quoque fundorum, e quibus Saeculo XIII. Mensa Episcopi Recanatensis conflata fuit, quorumque indiculus superest an. 1285. confectus, partem aliquam ab Ecclesia Romana donatam ei fuisse olim expressis verbis docet in Bulla 1264. 24. Maji Urbanus IV., imo *Recanatum ipsum SPECIALE Ecclesiae Romanae peculium* vocat in Bulla 1. Decembris 1289. Nicolaus IV. Ex quo sane conficitur, me judice, evidenter, Patrimonium Numanas hisce in partibus extitisse, urbemque et agrum Recanatensem ad illud pertinuisse.

XII. Ceterum antiquiores chartae fidem faciunt Comitatum Numanatensem sacculis XI. et XII., *Auximi fuisse constitutum*, idest jura Numanatensibus Auximi reddi per ea tempora consuevisse. Comites enim Numanae in civitate illa moram trahebant, ut patet e donationibus Ecclesiae S. Petri de Monte Conaro factis, quas referunt Annalistae Camaldulenses.

[1] Ad patrimonium Auximanum pertinebant Castra *Cinguli*, *Filiorum Ottrani S. Mariae in Cassiano*, *Appignani*, *S. Vitalis*, *Montiszarii*, *Stoffuli*, *Villae Casarolae*, *Storachi* etc. ut è processu anni 1279 in Archiv. Cingul., et *castrum S. Petri* Auximanae urbi propinquum, de quo v. Bernardinus Noja in dissert. de Epistolis Pelagii I. Papae ad Julianum Episc. Cingulanum Auximi edita a. 1767. 4.

Chartularium Ecclesiae Firmanae [1] donationem exhibet anno 1028. mense Octobris Uberto Episcopo factam in *comitatu Auximano* in fundis *Carpegnani, Insulae de Carpignano, Cerqueti, Campi natolii* etc. quorum situs definiebatur mari, Musione, et Potentia, quosque in Recanatensi agro fuisse qua parte Potentia alluitur, aliunde etiam comperimus.

Ex Archivo Ecclesiae Cathedralis S. Severini geminas habemus donationes factas Ecclesiae S. Johannis Evangelistae, *qui situm est in fundo Monte Vulpi, qui Recanati vocatur.* [2] Altera scilicet mense Junio an. 1151. scripta est. qua donantur agelli quidam siti in fundo *campo rotundo territorio Humanato Auximi constituto;* altera mense Junio 1162. qua donantur campi siti in fundo *Tiatiano infra territorio Umanensi* in Comitato Auximi. Uterque fundus in agro est Recanatensi (Append. N. 1 et 2).

XIII. *Recanati* nomen apud antiquos nullibi legisse memini ante annum 1139 quo *Ecclesiae S. Mariae de Racanato* dominium Monasterio S. Crucis de Fonte Avellana confirmavit Innocentius Secundus. Disquisitio est difficilis, cuinam eo tempore Recanatenses paruerint. Nulli quidem e vicinioribus civitatibus subjecti fuisse videntur; *dominos tamen suos* habuisse testatur charta Tabularii secretioris Ecclesiae Lauretanae An. 1179., qua sinaitae sive limites describuntur . . . . *quae sunt inter nos et seniores* (idest dominos) *Racanati.* [3] Divisum fuisse olim agrum nostrum inter non paucos sive Comites, sive Nobiles chartae antiquiores demonstrant. Civitas ipsa in tria veluti Castra dispertita erat. Benvenutus quidam an. 1222. mense Octobris donabat D. Gandulfino Abbati Monasterii S. Firmani omnia. quae habebat *in castris Racanati, Montis S. Viti,* et *Montis Murelli* [4], *et in eorum curia, et districtu:* [5] His *Castrum novum* eodem fere tempore accessit. In districtu vero castra fuere *S. Martini de Monteazzano, Bagnoli, Montis Sconcii* Auximum versus, *Cardeti S. Petri, Podii, Cittadellae* [6] *Montis Ziotti*, sive *Montis realis* prope Lauretum, *Aquaevivae*, aliaque Potentiae propiora.

Exorto dissidio illo ferali, quod centum fere annis Ecclesiam inter et Imperatores Romanos exarsit, Civitates Italiae pleraeque omnes libertatem aut amissam recuperarunt, aut privilegiis, legibus, armisque acquisitam muniri, augerique studebant. Corripuit is libertatis ardor Picentes

[1] Num. 278.
[2] Scilicet *Ecclesiae S. Johannis in Pertica*, sive *B. Placiti.*
[3] Append. n. IV.
[4] Castra haec totidem nunc regiones, sive, ut ajunt, Quarteria constituunt.
[5] Archiv. Ecclesiae Collegiatae Montis Luponis.
[6] In contrada Carpini prope Lauretum.

nostros eo ipso anno, quo schisma exortum est in Ecclesia Romana, electis in Pontifices Alexandro III, cui major orbis catholici pars adhaesit, et Victore, quem fovit Fridericus Ahenobarbus. Tunc enim rejectis Comitibus, qui a Caesare stabant, constituti passim fuere Magistratus, sive, ut ajebant, *Consules*, quibus sacramentum dicere, nisi exules esse mallent, cogebantur omnes. Refecta tunc ubique moenia, conditae leges, icta foedera, agri recuperati, destructa Castella minora, traductique in civitates eorum incolae. Neque majores solummodo urbes id facinus ausae fuerunt, sed oppida quoque et castella, quibus sat virium. Quo factum est, ut ad arma undique iretur, conantibus aliena invadere iis, quibus angusta domi res; amissa recipere iis, qui amiserant; retinere autem occupata obnitentibus iis, qui possidebant. Civitates majores in libertatem lubentes se vindicabant; sed jugum a minoribus excuti aegerrime ferebant. Hinc ut exempla afferam e Picenae historiae monumentis, Camerinenses Matelicatibus, Sanseverinatibus, Fabrianensibus infesti fuere. Hinc Firmani Sanctelpidiensibus, Civitanovanis, Maceratensibus etc. Hinc Auximani Cingulanis, qui omnes pristinae libertatis (Coloniae enim Romanae, aut Municipia fuerant) memores jugum inter primos excusserant. [1]

Oppida quoque non pauca ab Imperatoribus Episcopis, et Comitibus sive pretio, sive precibus, sive gratia potestatem impetraverant eligendi consules, jus constitutum faciendi, ac territorium cum jurisdictione ampliore sive minore prout pacta ferebant [2]. Omnes vero illae Communitates incolas districtus *cogebant ipsarum parere Consulibus*, teste Othone Frisingensi l. 2. c. 13 et chartis, quibus Archiva hujus Provinciae abundant.

XIIII. Desunt equidem (cum an. 1322 combustum fuerit Tabularium Recanatense) documenta, quibus freti epocham assignare possimus, qua

---

[1] Matelica, Fabrianum an. 1161.; Cingulum suos 1169 jam habebant Consules, ceteri serius.

[2] An. c. 1073 Uldericus Episcopus Firmanus hujusmodi privilegium *Civitatinovae a filiis Aldonis constructae* concessit. Ugo Candidus Episcopus *Ripamtransonis* condidit An. 1056 *Macerata*, et *Servilianum* ortae sunt ann. 1108 consentiente Azone Episcopo, qui An. 1115, senaitas quoque, et privilegia communitatis incolis *Montis Ulmi* concessit. *Nova civitas Montis Sancti*, an. 1128 Libertum Episcopum auctorem habuit. Haec e Cartulario Ecclesiae Firmanae. Ecclesiam Romanam erga vassallos suos non minori, imo majori indulgentia usam fuisse ac Caesares, et Episcopos quis dubitet? Cum igitur, ut supra notavimus, teste Nicolao IV Recanatum Ecclesiae Romanae peculium fuerit speciale, libertatem suam quod servaverit, aut acquisiverit Pontificum utique Maximorum munus est.

in Rempublicam unam coaluerunt Castra districtus nostri. Verum, si ex historia civitatum, et oppidorum Piceni, quae propinquiora nobis sunt, conjecturas depromere liceat, circa an. 1160. id contigisse dicemus. [1]

Quanta jamtum fuerit Civitatis nostrae amplitudo et potentia vel ex eo liquet, quod an. 1197., a quo tempore rerum in Piceno, sive, ut nunc loquimur in Marchia Anconitana, gestarum documenta supersunt, Recanatenses videamus marte proprio bella gerere, foedera sancire, ac summo imperio liberrime uti.

Turbarum ea aetate maximarum origo in Marchia Marcovaldus fuit nobili apud Alamannos genere ortus. [2] Huic enim, invito Romano Pontifice, Ducatus Ravennae, et Romaniae, ac Spoletanum contulerat Henricus VI. Imperator an. 1195., cumque Marchionem Anconitanae Provinciae creaverat Sed populi jugi exteri impatientes, ac libertatis studiosi aegre admodum viro illi ab omni humanitate alieno parebant.

Itaque defuncto mense Sept. an. 1197. Henrico, conversio rerum mox sequuta est. Etenim Coelestinus III. Marcovaldo, ejusque ministris obedientiam denegari jussit, et Legatos in Marchiam misit, qui populos in S. Romanae Ecclesiae fidem reciperent. Probavit, ursitque Coelestini coepta Innocentius III., resque ei cessit adeo feliciter, ut quamvis sub initium anni 1198. Marcovaldus ferro et igne saeviens Provinciam fere universam subegisset, eamdem tamen Innocentius opera Cardinalium Cincii, et Joannis a S. Paulo brevi admodum tempore, Asculo, et Camerino exceptis receuperaverit.

---

[1] Insigne documentum politicae priscorum Recanatensium libertatis, jurisque bella proprio marte gerendi charta est anni 1174 quam ex archivi Auximani libro ut ajunt rubro descriptam appendici nostrae inseruimus (n. III), quae testimonium quoque continet luculentissimum fidei erga Romanam Ecclesiam eo tempore servatae, quo Fridericus I. Augustus Picenum universum armis subigebat. Rainaldus infans et Tornaparte filii Rainaldi de *Monte Morella* (una est haec e notioribus Recanatensis urbis regionibus) cum *auximanorum* civium numero adscriberentur, *promittimus*, inquiunt, *vobiscum habiture, si guerram habueritis usque in finem guerrae, et si guerram habueritis cum Communi Racanati unum de nobis promittimus habitare vobiscum, et alium cum Racanata . . . . . exceptamus si guerram habuerimus cum Imperatore . . . . quia non debemus manere vobiscum.*

In charta Archivii Sanctimonialium Asceterii Cingulani S. Catharinae an. 1195 occurrit nomen *D. Ugolini Judicis Racanati.* Charta an. 1202. quae refertur in Appendice ad Lucae Fanciullii observationes criticas, meminit *Rainaldi Judicis*, et *Uguitionis Rainaldi consulum Recanatensium.*

[2] Marcovaldus sive Marquardus de Annuwilre, sive de Anwiller oppido Ducatus Bipontini in confinibus Alsatiae vir illustris, ac Imperialis Aulae Pincerna fuit, ac fratres habuit Diopuldum, Othonem, et Sifridum, qui et ipsi flagella extiterunt Italiae, inferioris maxime, sive Neapolitani Regni.

Inita fuit mense Augusto 1198. societas Auximanos inter et Anconitanos adversus Marcoaldum, (Fanciulli observ. critic. app, n. 22, et Comes Marcus Fantutius T. VI. p. 59. monum. Revennat.) Quae tamen societas haud diuturna fuit. Anno enim sequenti iidem Anconitani cum Senogalliensibus et Numanatibus foedere juncti bellum Auximanis intulerunt. *Recanenses* vero, Fabrianenses, Cingulani, Sanseverinenses, Tollentinates, Montemilonenses cum Civitatenova foedus mense Junio an. 1199 sanxerunt adversus Matelicates; cujus foederis tabulas exhibet Marangonius in historia Civitatisnovae pag. 249.

Eodem anno Recanatenses in arenam descenderunt contra Auximates, qui imperium sibi arrogabant in oppida quaedam Episcopi ipsorum jurisdictioni subdita. Comes Petrus Cassiani Comitis filius Gentili Episcopo Auximano pacto se obligaverat fidelitatis, sive vassallagii. Sed Castrum Montis S. Mariae in Cassiano pro quarta solummodo parte ipsius dominio subjacebat: reliqua Monachorum Claravallensium erant, et Ecclesiae Romanae. Quum igitur Auximates castri totius dominatum affectarent, destruxerunt illud Recanatenses, et socii. Incolae pars Recanatum profugerunt, pars oppidum in colle quodam extruxerunt, cui Montis Urbani nomen inditum est, quoque mense Septembris ejusdem anni novo sacramento se obstrinxit Auximatibus. Disjecerunt quoque socii castra Montis Fani. Montis Zarii, et Podii, quorum incolae plerique Recanatum concesserunt. Die demum 17. Novemb. Cardinalis Johannes a S. Paulo, qui Marcovaldi opes fregerat, ac Provinciam in Romanae Ecclesiae potestatem traduxerat, pacem Recanatenses inter et Auximates constituit, quam Innocentius Pontifex non ita multo post ratam esse decrevit. Habes sententiam Cardinalis S. Priscae, et Bullam Innocentii III., qua eamdem confirmat, apud Fanciullium lib. citato p. 695. et in Franc. Antonii Zachariae excursibus litterariis p. 256. Ex utraque intelligimus discordiam fuisse Recanensibus cum Auximanis ob *Paulum*, et *Robertum de Marina* dominos *Podii*. Hujus proprietatem, summumque dominium Recanatenses asserebant ad se pertinere; Domini vero Podii Auximatium opem, ne sui juris esse desinerent, imploraverant.[1] Paulus tamen et Robertus supradicti rebus com-

---

[1] *Simplicianus* e stirpe *Comitum de Marina* adscriptus legitur inter testes Diplomatum Friderici Primi an. 1177. et 1178. (in chartulario Firmano.) *Simplicianus*, et *Paulus* memorantur in instrumento an. 1179. quo Gislerius Racanati bona sua in fundo *Montis Ursi*, et *Montis Prodi* sita Monasterio Claraevallis de Clenio donavit. (Archiv. Ecclesiae Lauretanae). *Paulus de Marina* legitur in charta an. 1184. Regesti Firmani. *Robertus de Marina* praesens fuit, quum Presbyter Episcopus Firmanus an. 1198. incolis *Montis Sancti* privilegium illud concessit, quod refert Catalanius

positis, bellisque sedatis se suaque Recanatensibus dediderunt, civesque Recanati eadem, qua alii nobiles, conditione effecti sunt. Stirpi a plaga maritima, cui dominabantur, agnomen fuit *de Marina*. Podium ipsorum ubinam situm fuerit hactenus me latet, sed haud procul a castro Montisflorum dissitum fuisse conjicio.

Pacta pacis fuere, ut restituerentur utrinque captivi resque ablatae, redirent domum vassalli profugi, iis exceptis Podii incolis, qui Ecclesiae Humanatensi, et Dominis Castellorum nonnisi jure castellaniae sive incolatus subjecti, ceteroqui liberi essent: his enim ut Recanati manerent permissum fuit. De reliquo Cardinalis jura cuivis reservavit, quae sibi competere rebantur opportuniori tempore vindicanda, scilicet Auximanis et Ecclesiae S. Leopardi jura sua in castrum *Bagnoli*, in Ecclesiam *S. Eupli*, (quae in regione *Serrae Bagnoli* Auximum versus sita erat, dicebaturque etiam *S. Elpi*, *S. Elfi*, et *S. Elpari*) in curtem *Rutiliani* (ubi nunc *Vallis rubea*, et *Serra*) in curtem *S. Martini de confinibus* [1] (ut arbitror castrum intelligitur S. Martini *de Monte Azzano*, cujus solum nomen

---

in Append. Comment. de Ecclesia Firmana. De iisdem *Paulo et Roberto*, eorumque juribus agi diximus in sententia An. 1199. lata a Johanne de S. Paulo Card. S. Priscae. *Paulum de Marina* eodem anno Auximi fuisse testatur charta apud Zachariam in Anecdotis class. 2. p. 66. *D. Simplicianus* Potestas fuit Castri Ficardi An. 1215. (Archiv. Cingul.) Vixerunt *Simplicianus D. Roberti* 1239: *Gualterutius D. Roberti* 1288: *Natumguerra D. Roberti* 1286: — *Matthaeus D. Roberti* in testamento condito An. 1292. haeredem scribit *Robertum* filium. — *Burgarescus*, et *Fridericus D. Simpliciani* 1286-1315. — *Longinus D. Guilelmi D. Pauli* 1238. et D. *Philippus* ejus filius 1286. — Bertutius Gualterutii 1329. 45 — *Ciccolinus*, et *D. Perus Bertutii* 1345. 1371. — *D. Petrus De la Marina* Senator fuit Romae An. 1372. — Filius Petri *Robertus* obiit c. 1384. relicta filia Francisca. — *Ciccolinus*, de quo supra, pater fuit *Smidutii: hic Pieri*, et *Ciccolini* alterius. Pieri uxor *Gabellutia* filia fuit Antonii Peri de Cimis de Staffulo, e qua nata est *Blanciflora*. Piero mortuo Gabellutia uxor nupsit Francisco Bartoli de Silvestris Cingulano, ejusque filia Blanciflora Ludovico de Alamannis, cujus defecit progenies masculina; superest faeminina in Veneriorum nobilium Recanatensium prosapia.

[1] Ad curtem usque S. Martini contendebant Auximani pertingere fines Dioeceseos suae. Videre est hoc e charta An. 1234. edita in Reverendissimi Compagnonii T. V. p. 57. qua Sinibaldus Episcopus Bartholomaeo Priori S. M. de Racanato *Ecclesiam S. Paterniani de Patregnano* jure emphyteutico possidendam concessit reservata sibi tertia parte *mortuoriorum* omnium Parochianorum dictae Ecclesiae, duobus soldis *pro sinodo*, et 40 soldis *pro visitatione*, additoque pacto Ecclesiam illam manutenendi cultam etc. Extitit autem dicta Ecclesia in agro Recanatensi eo loco, ubi nunc fundi sunt Societatis S. Jacobi haud procul a Monocula flumine. Verum An. 1300 constitutis mutuo consensu terminis sublata fuit Recanatenses inter et Auximanos omnis controversia de finibus, qui inde usque ad aetatem nostram iidem esse perseveraverunt.

superest), et in curtem *Campi rotundi* (in finibus agri Recanatensis, et Montecassianensis juxta fluvium Potentiam) Recanatensibus vero jus *dominii* quod sibi competere asserebant in castrum *Podii*, aliasque rationes, quas contra Paulum et Robertum habebant, salvas fore spopondit.

Denique An. 1202. 18. Januarii in percelebri illa pace Pulverisiae prope Anconam inita, qua Firmani, Auximani, et Aesini cum Fanensibus. Senogalliensibus, Pisaurensibus, Humanatensibus, et Recanatensibus aliisque in concordiam rediere, finis quoque impositus est contentioni de iis, qui incolae fuerant Castri Montis Fani, quique oppido suo post mortem Henrici Imperatoris destructo Recanatensium civium auxerant numerum. Jussi sunt ii reverti ad pristinas sedes uno excepto Gislerio quodam, cui permissum est abire quo libuisset. Instrumentum pacis hujus ex Archivo Civitatisnovae edidit Marangonius p. 251., et ex Auximano Archivo Franciscus Antonius Zacharia in Excurs. litt. per Italiam p. 259.

Extat in Tabulario Cingulano charta societatis initae An. 1215. tempore D. Innocentii Papae, et D. Imperatoris Othonis Quarti die 22. Novembris *Recanenses* inter et Anconitanos, Humanates. Castri Ficardi incolas, et Cingulanos adversus Auximates, Aesinos, Fanenses, et Senogallienses, quibus bellum inferendum decernitur, pro quo gerendo, verba sunt instrumenti, *Cingulani debent habere quadraginta milites pro guerra praesenti, Ancona ducentos milites, Racanatum centum; homines Castri Ficardi triginta milites* (idest equites) . . . . . Actum *in Ecclesia S. Luciae de Racanato*. Qui fuerit hujus belli exitus rescire nobis, cum deficiant historica monumenta, datum non fuit. Fanenses in eo bello Forosemproniensium Ecclesiam Cathedralem destruxerunt, ideoque a Sede Apostolica anathemate percussi sunt, qua de re fuse agit Ammianus in Hist. Fanensi. Agebatur de obedientia praestanda Azzoni Estensi, qui die 28. Maji 1215. ab Innocentio III invitatus fuerat, ut est apud Pegnam, ut fratri Aldobrandino, qui nulla relicta prole obierat, succedens Marchiae regimen arriperet, quam Provinciam denuo Honorius III 4. April. 1217. solemni ritu eidem Azzoni concessit. Compagnonius Reg. Pic. p. 95. Claravallensem quamdam chartam citat, praetermissis tamen chronologicis notis, datam *Azzone Estensi Marchione in castris existente in plano Aspidis*, (quod flumen Recanatensem agrum, ab Humanae, et Castri Ficardi territoriis separat). Defuncto fatis non ita diu post Azzone, idem Honorius III litteras dedit an. 1221. 22. Sept. Anconitanis, Humanatensibus, et incolis Castrorum *Recanati*, Castri Ficardi, Cinguli, et Monticuli, quibus praecipit, ut Marchioni Azolino Azonis filio, ejusque ministris parerent. Litteras exhibet Muratorius in Antiq. Esten. p. 426.

Anno insequente 1222. foedus aliud pacti sunt Recanatenses cum Auximanis Sanseverinensibus, Tolentinatibus, Matelicanis, et Maceratensibus, quod exhibent Marangonius et Martorellius (p. 113), aliudque cum Ariminensibus, Anconitanis etc. cujus meminit Saracenius. An. 1227. missum a Recanatensibus fuisse Oratorem Paulum de Achillis ad Ariminenses socios refert e Clementinio Calcaneus p. 238. ut auxilia adversus Pisaurenses polliceretur.

XV. Secuta sunt bella in Piceno gesta a Ducibus Friderici II. Imperatoris, qui anathemate a Gregorio IX. percussus fuerat, eo quod votum pridem factum Saracenis, qui Palaestinam tyrannide premebant, bellum inferendi, quamvis saepe monitus, nondum reddidisset, aliorumque delictorum reum se fecisset, quae particulatim enumerat in Annalibus Ecclesiae Odoricus Rainaldus. Pontifex pro zelo, quo flagrabat, promovendi quo posset modo decorem Domus Dei, pacisque ac justitiae defendendae cupidissimus non solum Fridericum eo adegit, ut An. 1228. mense Junio navem conscenderet in Orientis regiones adversum infideles profecturus, sed missis eodem tempore militibus Duce Alatrino Subdiacono Picenos tumultuantes coercuit, et Clerum utrumque ad rectioris disciplinae normam revocavit, opera usus duorum insignium virorum e S. Dominici sodalibus *Fr. Richardi*, et *Fr. Bonapartis.*

E vita S. Silvestri Auximatis ab Auctore synchrono conscripta, quam e manuscripto codice vulgavit Aesii An. 1772. Carolus Silvester Franceschinius Ordinis a sancto illo Viro fundati Generalis Abbas, discimus, Duumviros illos quum Camerinensem Dioecesim perlustrarent, Silvestrum quoque adiisse, qui tum haud procul a S. Vicini Monte ad Grottamfucilem incolebat, eosque observata vita ejus sanctissima ac laudata inde abscessisse; ac paulo post Recanati cum essent, *Philippo* cuidam *viro religioso, quem in Monasterio quodam Monialium invenerant*, auctores fuisse, ut Silvestrum adiret, eique se instituendum traderet. Quibus cum ille libentissime paruisset statim ac in Silvestri conspectum venit agnitus ab illo, ac suo nomine compellatus est, licet virum ille numquam vidisset, ejusque nomen ne fando quidem audisset. Contigerunt haec mense Martio 1228., quo Sanguinus Episcopus Humanas licentiam dedit Thomae cuidam Notario Recanatensi extruendi *Monasterium in honore S. Nicolai ad opus Mulierum in Castro Recanati in vico Montis Sancti Viti in fundo Petreti*, quod Monasterium situm fuit haud procul ab Ecclesia S. Mariae de *Varano*, sive PP. Observantium extra Portam Lauretanam, ac floruit ad annum usque circiter 1419. quo Patres Conventuales collapsi Monasterii, et Ecclesiae curam susceperunt, donec curante Nicolao Episcopo unitum est Monasterio S. Benedicti recens reaedificato An. nimi-

rum 1447. Prima, ut diximus Monasterii hujus fundatio peracta est die 10 Martii 1228. Instrumentum ex Archivo PP. Conventualium descriptum in Appendice exhibemus [1]. Confectum porro id fuerat *coram Fr. Riccardo ex Ordine fratrum Praedicatorum nuntio Domini Papae in Castro Recanati in camera ipsius Episcopi.*

Mense dein Junio Fr. Richardus, et Fr. Bonapars Firmi statuta Capituli Firmani olim facta probaverunt, auxeruntque, quas constitutiones in eruditissimo opere de Ecclesia Firmana, ejusque Praesulibus edidit Michael Catalanius Metropolitanae istius Ecclesiae Canonicus olim, et ornamentum.

Coeterum Philippus noster, qui primus fuit S. Silvestri discipulus, permultis annis in eo Instituto vixit, neque diversus esse creditur a *Philippo de Varano* socio S. Silvestri, quem memoriae proditum est Auximi in Monasterio S. Petri de Monte, quod a Canonicis Vaticanis An. 1261. 18. Februarii Ordini suo donatum fuerat, periculose aegrotasse, ac a S. Silvestro, qui amicum invisurus advenerat, ope divina sanitati fuisse restitutum. Excessit Philippus demum e vivis in eodem Monasterio, tantaeque sanctitatis famam post se reliquit, ut Beatus vulgo audiat, ac testibus PP. Silvestrinorum monumentis, quae in Archivo ipsorum Fabrianensi servantur, *Beatus* a pluribus jam saeculis audierit.

XVI. Sub finem Anni 1228. Marchiam invasit *Rainaldus* Dux Spoleti *Imperialis Marchiae Legatus*, eique, neque enim diffiteri fas est, adhaeserunt Recanatenses nostri. Quo factum est, ut amplissimis ab eo privilegiis in fidelitatis, atque egregie, si diis placet, gestorum praemium exornati fuerint una cum Auximanis, Numanatibus, et Cingulanis sociis. Diploma extat apud Calcaneum p. 35. et in Bullario Recanatensi, datum An. 1229. mense Martio apud Ripam transonis, ubi Rainaldus castra habebat. « Recipit is Recanatenses cum comitatu, jurisdictione, et omnibus « justitiis sub speciali protectione Imperii; pollicetur *portum Recanati* « *cum omnibus integritatibus, et jure suo* manutenere, et defendere tam « per mare, quam per terram, concedens hominibus Recanati facere ipsum « portum, et habere ubicumque voluerint a *flumine Potentiae*, et in ipso « flumine, *usque ad fluvium Aspiae*, [2] et in ipso fluvio aquas conducere,

---

[1] Append. N. IX.

[2] Ugo Episcopus Humanas An. 1126. Auximatibus ad 99. annos concesserat tertiam partem portus, et littus maris a Sirolo ad pontem usque Musionis: concessionis chartam videre est in Historia Auximana Martorellii. Reliquam partem littoris a Musione ad ostium usque Potentiae tenuisse videntur Comites de Marina. Quod argui potest e charta Archivi Lauretani An. 1179. quo Gislerius Racanati

« et ad usum portus facere quidquid sibi melius et utilius viderint expe« dire, *concedens* eis libere pacifice et quiete totam ripam portus et maris « inter fluvios memoratos, et in ipsis fluviis *datium ripaticum*, *et arbora« ticum, et quodcumque jus aliud Imperiali pertinet Majestati.* Promittit « se eos nemini Marchioni aliive domino subjecturum; remissurum etiam « tributa, nisi quod annuatim 33. libras Ravenn. aut Ancon. Imperiali fisco « pendere deberent ». Privilegium hoc Fridericus Secundus paulo post confirmavit Diplomate dato Baroli mense Julio, quod integrum adhuc una cum Bulla aurea ei appensa in Archivo Civitatis Recanatensis thesauri instar adservatur. Habes typis editum a Martorellio p. 116. et Fanciullio p. 731.

XVII. Facta demum pace Gregorium inter et Fridericum (11. Julii 1230.), cum Imperator ipse Civitates Marchiae jussisset ad fidem redire Romanae Ecclesiae, constitutoque tum primum hac in Provincia *Rectore*, ut immediate Summis Pontificibus subesset, quae hactenus Marchionibus feudali jure dominantibus paruerat, ab illo inquam tempore in primis Reca-

---

boua sua omnia iis iu partibus (Musionem ioter et Potentiam) sita Claravalleosibus veudit *excepto portu*; naviculam tameo et rete unom ad piscandnm eis eoncedens sicut *Simplicianus*, iuquit, et *Paulus* (Comites de Mariua) *ibi eas vos habere concessit.* Verum portus ille iu privilegio soperius memorato Ao. 1229. jam dieebatur *Portus Racanati*, pactaque extabaot circa eum cum Auximanis olim inita. Coocessio enim Hugoois Episcopi litibus ioter adfines populos occasiouem dederat, quod Musio fluvius obstrnetis ostiis alveum saepius mutasset, majorque proiode aut minor iu dies evaderet Auximaui domioii, quod Musione fioiebatur, amplitudo.

Iu tabula Peotiogeriana, ubi iter describitur, quo Adriatici maris io Piecno littus legitur, *Anconam inter et Numanam* millia passnom numerabantur duodecim; *Numana ad Musionem* milliaria *novem*; et *a Musone ad Potentiam quinque.* Hiuc liquet quidquid sit de oumero milliarium, qui videtur esse corruptos, pluribus passunm millibus utriusque flumiuis ora distasse a ae iuvicem. Euimvero bodieque *Musio vetus* dicitur tractus ille terrarum paulo humilior, qui sub eollibus Lauretaois, et Montis Ursi ad Portum usque Recaoateosem pertingit. Anno autem 1179. joxta chartam Lauretaoam superius allegatam *strata intercedebat* inter Musioois ostium, et locum, ubi Portua extat; quique a veteri Potentiae ostio satis remotus est. Varins igitur variia temporibus fuit Musionis alveus. Aggestis oimirum a furenti oceauo arenis paulatim fluvius ad dexteram se iofleetere, cursumque mutare debuit, atqoe etiam in paludes effundi, ita ut de ostio iuter finitimos disceptatiooes oriri potueriot. Verum ambiguitatem omnem sustulit Ao. 1229. Friderieus Seenudus, postqoam eeotenaria Auximanorum possessio desiisset, adjodicato Recanateusibos littore *ab Aspia flumine ad Potentiam usque*, ita ut Musiouis uulla jam ratio habeuda esset. Hioc Musionem derivaruut Recauateoses ad Aspiam Au. 1403. Poteotia vero fluvins, qui olim ultra Abbatiam S. Mariae Poutis io Adriaticum se exouerabat, saecolo XIV. (ao. 1369.) iteromque Au. 1474. dimotos est e veteri alveo versos Portum Recanati, ot canalis haberetur navibns recipiendis idoneus; alveum, in qoo nune floit, uactus est anno 1379.

natensium erga S. Romanam Sedem, cujus antiquissimum apud eos patrimonium, ut vidimus, extiterat, fides amorque eluxit.

Quare An. 1232. 29. Januarii Actonem Plebanum *Ecclesiae S. Viti de Racanato* eum fuisse legimus, cujus opera utendum sibi existimavit Rainaldus Cardinalis Ostiensis, cum Tolentinates ab excomunicationis sententia, quam Philippus Camerinensis Episcopus in eos tulerat, exsolvi vellet. (Santinius in Hist. Tolentin. p. 46. ex Archivo S. Catervi).

Recanatenses An. 1237. *Melanzonum* quemdam Bononiensem, quem Potestatem sibi designaverant. jubente Gregorio IX. ejecerunt. Quamobrem multa eis a Bononiensibus civis sui injuriam ulturis perpetienda fuere. donec Pontifex literis gravissimis datis Viterbii 6. nonas Octob. praecepit. ne deinceps nostris molestiam inferrent, minis etiam intentatis paenarum ecclesiasticarum [1].

Anno 1239. quum omnis fere Piceni Provincia a Pontifice desciscens Friderici Imperatoris partes esset secuta, Recanatum, quamvis eingeretur undique inimicis. constans in fide permansit, ac Episcopis, Legatis, Ducibusque Pontificiis huc confugientibus tutissimum exhibuit asylum. Qua praeclara opera iis praestita id commeruit, ut Civitatis nomine, et Cathedrae Episcopalis honore insigniretur, cujus facti seriem fusius infra exequemur.

XVIII. Quaenam porro fuerit Ecclesiae Ricinensis sub Episcopis Humanatensibus, quibus hactenus paruerat, conditio, obscurum est. Nos e paucissimis, quae supersunt, monumentis ad hanc epocham pertinentibus, sequentia depromipsimus.

Ecclesia *S. Flaviani*, ut ajunt, *veteris* Patrimonium fuit S. Petri, sive Camerae Apostolicae. — Ecclesia *S. Mariae de Recanato*, sive, ut nunc loquimur, *de Castronovo cum capellis suis*, idest cum Ecclesiis campestribus ei subjectis ad Monasterium Avellanense jam inde ab anno 1139. pertinuit, uti ex Bulla Innocentii II. apud Annal. Camaldulenses T. 3. constat. — Eodem fere tempore Monasterio Vallis Fucinae olim percelebri, nunc deserto, atque unito Mensae Capituli Sanseverinensis. donata fuit Ecclesia *S. Joannis in pertica* cum Ecclesiis nonnullis agri nostri. Mentio fit in charta Lauretana saepius laudata An. 1179. Ecclesiae *S. Joannis de Laureto*, quae Ecclesia Sanctimonialium deinde fuit, ac circa annum 1550. interiit. — In eadem charta An. 1179. Ecclesia *S. M. de Monte Urso* memoratur. Privilegium extat An. 1184. Coenobio Cruciferorum, quod *S. Mariae de Ponte Potentiae* nuncupatur, a Friderico I. Imperatore con-

[1] Archiv. Recan.

cessum. — Ecclesiam quamdam *S. Mariae de Laureto* cum Parochianis, cellis, molendinis, et fundis Monasterio Avellanensi An. 1194. donavit Jordanus Episcopus Humanatensis, cujus donationis chartam e Tabulario Avellanensi in Ephemeridibus Romanis edidit Maurus Sartius, et postmodum Annalistae Camaldulenses annalium T. IX. p. 37. inseruerunt. Subscripsit huic donationi *Dompnus Angelus Plebanus gardeti. Gardetum vero S. Petri* castellum fuit situm olim in *Monte alacis*, sive *Montis aricis*, quae regio est agri nostri Lauretum inter et Potentiae flumen (ex indiculo fundorum Ecclesiae Recanatensis An. 1285.) Nomen *Gardeti* regioni illi ad nostra usque tempora inhaesit (Append. n. V.)

Mentionem fieri invenimus Ecclesiarum An. 1202. *S. Mariae de Monteazzano:* 1215. *S. Luciae:* 1224. *S. Paterniani* in fundo Praepositurae S. Mariae Castrinovi prope campos Societatis S. Jacobi haud procul a Monocula fluvio: et anno 1228 *S. Viti Plebis.* Eodem anno 1228 a Thoma Notario fundatum fuit consentiente Sanguino Episcopo Monasterium *S. Nicolai*, et mentio occurrit Ecclesiae *S. Mariae de Varano*. An. 1234. Sinibaldus Episcopus Auximanus quamplurimos fundos Ecclesiae Auximanae Monachis Avellanensibus Castrinovi centum annis possidendos concessit[1].

Anno 1238. a Jacobo Humanatensi Episcopo donata fuit Virginibus viventibus juxta Regulam S. Benedicti, et institutionem *Monialium S. Damiani Assisinatis Ecclesia S. Mariae in fundo S. Eliae.* Hisce adde Ecclesias ab Innocentio IV. in privilegio, de quo inferius, An. 1249. memoratas. Ceterum *nuntius Episcopi Humanensis veniebat ad terram Racanati et recipiebat decimas et primitias a Clericis, et Episcopus ipse veniebat Racanatum ad crismandos pueros, et ad ordinandos Clericos* [2].

E charta An. 1199. 9. Octob., qua Johannes Cardinalis S. Pauli Marchiae Legatus Sanguinum Episcopum cum Monachis quibusdam Humanat. dioeceseos in concordiam reduxit. (Annal. Camald.) patet, eum *recipere consuevisse a diocesanis albergum, decimas, sinodum, et mortuorum testamenta:* scilicet hospitium, sive *albergum*, quando Ecclesias visitabat; *synodaticum, et quartam legatorum piorum partem.*

Porro ne quid desiderari possit, quod ad illustrandam Ecclesiae Recanatensis Historiam pertinere videatur, quae tamdiu Humanatensibus Episcopis subjecta fuit, subjungimus seriem horum Episcoporum depromptam ex Ughellio Coleti, e Fausto Maronio, et ex T. X. Antiq. Picen. Cl. viri Josephi Colutii, a nobis tamen e chartis, quas videre potuimus, auctam et correctam.

---

[1] Compagn. Mem. della Chiesa Osimana in appendice.
[2] Archiv. Eccles. Cathed. S. Severini N. 75. 90. 215. 231. et 528.

DIGRESSIO

DE ECCLESIA ET EPISCOPIS HUMANATENSIBUS

Humana [1] Civitas est longe vetustissima, quippe quae, teste Plinio, condita fuit a Siculis, qui primi mortalium Italiam incoluisse feruntur. Picentibus victis postquam Romani rerum potiti sunt, Municipii honoribus gavisa est, ut lapis docet Auximi superstes. Christi Servatoris doctrinam secuta Sacrorum Antistites inde a Fidei Christianae apud nos initiis habuisse videtur. Sed Civitas infelix, quo tempore incertum, corruit e terraemotu, et vix non interiit [2]. Anno vero 1309. excisa est ab Anconitanis: subruta moenia, destructae domus, incolae cum rebus omnibus Anconam abducti [3]. Vix resurrexerat aliquantulum è ruinis, quum a notissimo praedone *Fratre Morreali* Equite Hierosolymitano capta est rursum ac direpta An. 1353 [4]. Nunc exiguae supersunt reliquiae civitatis Humanatensis haud procul a *Sirolo* oppido.

Inter tot vicissitudines perstitit Ecclesia Humanatensis, perstitit coetus Canonicorum [5], perstiterunt Episcopi ad annum usque 1426., quo bona ejus ac jura ad Anconitanos Episcopos pertransierunt.

Dioecesis satis ampla erat. Complectebatur enim praeter *civitatem Humanae Recanatum, Castrum Ficardi, Sirolum, Massegnanum, et Camuranum.* In registris, ut vocant, decimarum, quas Apostolicae Sedi Annis 1290. et 1300. Clerus Anconitanae Marchiae persolvit, quae in Archivo Vaticano extant, memorantur *Archidiaconus, et Canonici septem* Civitatis *Humanae*, ac *Praebendati tres*, commorantes in Canonica *S. Palatiae.* Ceterae dioecesis Humanatensis Ecclesiae in praedictis registris recensitae sunt: Monasterium S. Petri *de Monte Conaro*, Ecclesia S. Johannis de Humana [6], Plebs S. Stephani et S. Victoris de *Castro Ficardi*,

---

[1] *Numanam* vocant Plinius, Silius Italicus, Ptolomaeus, lapis Auximanus. *Humanam* Pomponius Mela, et juniores Geographi et vulgus.

[2] Juxta Ughellium An. 558, sed nullo teste idoneo.

[3] Teste Clemente V. Ep. 236. in regesto epistolarum anni Sexti.

[4] Matthaeus Villani in Chron. lib. 3. cap. 107.

[5] In charta An. 1397. mentio fit Nicolai Moritioni de Sirolo Canonici Humanatis Apostolicarum decimarum Subcollectoris (In Archivo DD. Altaristarum Ecclesiae Cathedralis Recanatensis).

[6] Ecclesia S. Johannis, ut e charta discimus scripta Anno 1397., sita fuit *juxta murum communis, palatium communis, viam etc.* Ecclesia haec Parochiale nunc est Templum.

eum Ecclesiis S. Abundii, S. Jacobi, S. Mariae, et S. Petri, ac Monasteriis S. Laurentii, et S. Anastasii —. Ecclesiae S. Nicolai, S. Laurentii et S. Michaelis de *Sirolo*, et Ecclesia S. Nicolai *extra Sirolum juxta fossum* — Plebs S. Mariae de *Camurano* cum Ecclesiis S. Apollinaris, S. Nicolai, S. Petri, S. Margaritae, et Prioratu S. Johannis; denique Ecclesiae S. Margaritae et *S. Flaviani de Massignano*. Nunc Humanae celebris inprimis et notissima exteris quoque est Ecclesia *SS. Crucifixi*, ad quam undique convenitur [1] ob infinita pene prodigia ac sanationum gratias. Extructa fuit anno 1497. e stipe a piis hominibus collata, jussu ipsius Crucifixi, ut asseruit coram Senatu Recanatensi *Eremita Crucifixi de Humana* [2].

SERIES EPISCOPORUM HUMANATENSIUM

1. **Philippus**. Interfuit Concilio Romano die 18. Novembris An. 465. iterumque d. 14. Martii An. 487.

2. **Constantinus**, qui vixit anno circiter 494. [3]

3. **Romulus** anno 551. 14. Augusti. Mentio fit de eo in sententia Vigilii Papae contra Theodorum Caesariensem.

---

[1] Antiquissima est erga sacram illam Iconem Recanatensium devotio — *l' ultima Domenica di Maggio 1496. andò il popolo di Recanati dal Crocefisso di Umana, quando era comenzata la peste* — (e lib. antiq. Confr. S. Jacobi).

[2] Annal. 1497. 19. Mart.

[3] Gratianus 2. parte decreti causa 16. q. 3. cap. 3. Epistolam adfert Gelasii Papae ad *Maximum*, *et Eusebium Episcopos*, qua executionem ipsis committit sententiae a se prolatae inter Constantinum *Anuscanae* Ecclesiae Sacerdotem, et *Anconitanum* Pontificem de finibus Parochiarum litigantes. Stylus epistolae antiquioris Gelasii, non junioris, ut arbitratus est Lucentius, tempora sapit. Porro Gelasio I. coaevus fuit *Eusebius* Fanensis Ecclesiae Episcopus, qui Synodo Romanae sub Symmacho paucis post annis coactae subscripsit. *Maximum* vero Auximanum fuisse Episcopum existimo, cujus reliquiae *Auximi* supersunt et coluntur, quamvis nulla ibi extet amplius Episcopalis dignitatis ab eo gestae memoria sive traditio. Eusebium, et Maximum a Gelasio datos fuisse controversiae judices tamquam viciniorum Ecclesiarum Antistites verosimillimum est. Cujusnam vero Ecclesiae Episcopus fuerit Constantinus, qui cum Anconitano Praesule de finibus dioecesum contendebat, disputatur. Illud inconfesso est, *Anuscanae* cujusdam Ecclesiae hisce in partibus nullum superesse vestigium, imo corruptum esse istius Ecclesiae nomen, pro quo Faustus Maronius *Auximanae*, et Franciscus Antonius Zacharias *Numanae* legendum esse contenderunt. Antiquiores codices *Canuscanae*, *Camisennae*, vel *Tamuscanae* habent, non *Anuscanae*. Rem acu tetigerit, mea quidem sententia, qui *Camuranae*, quod vocabulum a veterum librorum lectione minus abhorret, legendum esse, et *Camuranae* idest: Numanensis Ecclesiae Sacerdotem existimaverit fuisse Constantinum; Camurani enim post eversam Humanam saepe commorabantur Episcopi. (Vide infra N. 23).

4. **Quodvultdeus** An. 553. Hic consensit constituto Vigilii Papae.

5. **Germanus**. Adfuit Concilio Romano, quod celebravit Martinus I die 13. Octobris An. 649.

7. **Cosmas**. An. 826. Interfuit Concilio Romano sub Eugenio II Ita Faustus Maronius in Append. Comment. de Episcopis Auximanis p. 63. e T. 8. Collectionis Conciliorum Labbeanae.

8. **Sergius**. Subscripsit Synodo Romanae die 8. Decembris An. 853.

9. **Julianus** An. 861. Sedit in Concilio Romano, cujus acta lege T. 2. Ughellii in Ravenn. Huic Episcopo *Juliani* nomen esse, non *Siliani*, ut habent cum Ughellio auctores ceteri, docuit Franciscus Antonius Zacharia Tom. II. Hist. Litter. Ital. p. 417. ex actis Concilii praedicti emendatioribus.

10. **Robertus** An. 887. Hunc Episcopis Humanatensibus accensemus. Quamvis enim e diplomate Theodicii Episcopi Firmani pro Monasterio S. Crucis ad Clentum, quod spurium a plerisque existimatur. eum deprompserit Ughellius, nemo tamen hactenus conficta fuisse a falsario *Episcoporum nomina* in diplomate illo descripta ostendere potuit, quae facile è Synodi cujuspiam nunc deperditae actis haurire potuit.

11. **Benedictus** An. 967. Adfuit Synodo Ravennatensi sub Joanne XIII. P. M.

12. **Joannes** An. 996. Ex actis placiti Othonis IV, quod edidere Muratorius, Compagnonius Episcopus Auximanus, Marcus Fantutius, aliique.

13. **Guido**. Sedit Anno 1044. ad 1051. De eo S. Petrus Damianus in opusculo ad Gislerium Episcopum Auximanum. Interfuit An. 1044. Synodo Romanae. Vide Ughell. T. V. in Gradensibus.

14. **Guilielmus** Ann. 1056.-1070. E diplomate Victoris II pro Ecclesia Aprutina An. 1056., et diplomate Alexandri II pro Ecclesia Forosemproniensi An. 1070. (Sarti de Episcopis Eugubinis N. XX.)

15. **Ugo** Ann. 1126.-1142. (E Martorellii Hist. Auximana.)

16. **Jordanus** Ann. 1179.-1197. Subscripsit Concilio Lateranensi sub Alexandro III, ac prid. Kal. Septembris An. 1197. praesens fuit, dum consecraretur Ecclesia S. Crucis Fontis Avellanae.

17. **Sanguinus** An. 1199. 9. Octobris ad Annum 1235. sedit Humanensis Episcopus.

Hic anno 1228. 10. Martii probavit fundationem Monasterii S. Nicolai Virginum sacrarum siti olim extra civitatem Recanatensem haud procul a porta marina. Sanguino Gregorius IX litteris datis Reati die 5. Februarii An. 1233. exprobravit simoniae crimen, cujus accusatus fuerat a Clero Humanatensi. Dicebatur vendidisse honores, dignitates, beneficia, ordines sacros. Litteras Gregorii exhibet Ughellius in Humanat. descriptas e Regesto Anni quinti folio 159. Videtur tamen Sanguinus se de sceleribus illis apud Gre-

gorium purgasse. Causas enim ei quasdam decidendas commisit Pontifex Non. Octob. 1233., ut e sententia patet, quam tulit Sanguinus die 13. exeunt. Martii An. 1235. (Archiv. Capituli Septempedani N. 183).

18. **Jacobus**. Hic die 14. April. An. 1238. fundavit Monasterium sanctimonialium in Ecclesia *S. Mariae* in fundo S. Eliae prope Recanatum. (Ex Archiv. PP. Conventualium Recanat.)

Anno 1240. die 22. Decemb. Gregorius IX Recanatense castrum a dioecesi Humanatensi avulsum Civitatis, et Cathedrae honoribus exornavit.

An. 1247. 3. idus Octob. Innocentius IV Auximanam Urbem Episcopo Humanatensi subjecit. (Ughell. e Regesto Vatic. An. 5. fol. 468.)

19. **Joannes** Episcopus Cephaleniensis An. 1252. d. 13. Junii Humanam translatus est. (Ex Regesto Innocentii IV An. 10. Epist. 1. Ughellius Coleti T. 1. col. 745.)

20. **Frater Arnulphus** Ordinis Praedicatorum electus a Capitulo Canonicorum, et confirmatus a Pontifice Maximo d. 13. Maji An. 1254. (Ex Regesto Alexandri IV An. 2. Epist. 635.)

Vir fuit pietate, ac doctrina insignis. Indulgentias quasdam concessisse legitur una cum aliis Episcopis An. 1264. Bononiae, ubi exulabat, (apud Papebrochium in Patriarchis Hierosolymitanis.)

An. 1264 die 12. Martii Civitas Recanatensis proprio privata Pastore Humanatensi denuo subjecta fuit Ecclesiae, quae bona sua in agro Recanensi sita, ac Recanatensibus Episcopis olim concessa, recuperavit. Hisce Urbanus IV An. 1264. die 24. Maji bona Ecclesiae S. Flaviani, aliaque ab Ecclesia Romana mensae Recanatensi olim donata adjecit.

Arnulpho annuente Patres Dominiciani sedes Recanati fixerunt An. 1272. (teste Calcagnio Memorie istoriche di Recanati p. 330.)

Idem An. 1274. d. 7. Octob. indulgentiam 40. dierum de *criminalibus*, et anni unius de *venialibus* concessit iis, qui diebus dominicis cujuslibet mensis, atque in die festo S. Agathae devotionis causa accesserint ad Monasterium novum S. Agathae, quod nuper aedificatum fuerat Matilicae. (Archiv. S. M. Magdalenae sive S. Matthiae de Matelica.)

Obiit Viterbii die 20. Augusti An. 1279. ac sepultus est in Ossuario Fratrum ad S. Mariae ad gradus, ut indicat epitaphium, cujus exemplum hic subjicimus: » *Venerabilis P. Fr. Arnulphus Episcopus Humanas Ord. Praed. hic cum fratribus suis sepultus jacet, qui obiit Anno D.* 1279. *die* 20. *Augusti*.

21. **Bernardus de Balneoregio** Canonicus. Creatus die 5. Maji An. 1280. (Ex Regesto Nicolai III An. 3. epist. 24. fo. 242.)

Translatus fuit Bernardus Castrum in Hetruria d. 24. Maji An. 1285. teste Ughellio in Castrens.

Anno 1289. Kal. Decemb. Nicolaus IV. Cathedram restituit Recanatensibus cum bonis, quae olim Ecclesiae nostrae fuerant, pro quibus Ecclesiae Humanatensi, ne ad incitas redigeretur, sex florenorum millia eos rependere jussit Pontifex.

22. **Fr. Gherardinus** Ordinis Minorum creatus Episcopus Humanae Kal. Januarii An. 1290., et consecratus ab ipsomet Nicolao IV. P. M. (ex Regesto Nicolai IV. An. 2. ep. 746.)

De Fr. Ghirardino Episcopo Humanae mentio fit in codice 20. decimarum Apostolicarum An. 1300. Archiv. Vatic.

Extant in tabulario Canonicorum Ecclesiae Cathedralis Anconitanae litterae indulgentiarum conscriptae An. 1306., in quibus, teste Eduardo Corsinio, *Guarnerius* (sed legendum est *Ghirardinus*) Episcopus Humanae cum aliis multis hujus Provinciae Praesulibus spiritualia bona elargitus est iis, qui Aram B. Virginis excitatam a Fr. Nicolao Episcopo Anconitano in majori Templo S. Cyriaci frequentassent eo die, quo paulo post consecranda erat, aliisque octo sequentibus diebus. (Faustus Maronius in Comment. de Episc. Anconitanis p 64.)

Aliae similes Indulgentiarum litterae concessae d. 12. April. 1310. a *Fr. Guirardino* Ord. Minorum *Episcopo Humanae*, et ab aliis nonnullis Episcopis adservantur in Conventu PP. Conventualium Sarnanensium.

Obiit Gherardinus Episcopus An. 1322. juxta Ughellium.

23. **Fr. Petrus** Ord. Minorum, creatus die 6. Junii 1323.

Extant in Archivo PP. Conventualium Recanatensium litterae indulgentiarum, quas concessit Fr. Petrus Episcopus Humanatensis Camurani An. 1334.

24. **Bonincontrus Thomei** Canonicus Anconitanus, creatus die 22. April. An. 1338. (ex Regesto Benedicti XII An. 4. epist. 332.)[1]

---

[1] Die 7. Maji 1338. Benedictus XII ad quinquennium indulgentias quadraginta dierum concessit iis, qui Bonincontro Episcopo Ecclesiam suam Humanatem propter *terrae motum, et loci destructionem adeo dirutam, quod non restant nisi vestigia loci, ubi fundata extitit*, reaedificaturo manus porrigerent adjutrices. (Regest. Benedicti XII. parte V. epist. 274.)

Ecclesiae Humanatensis, quae *Virgini Deiparae* sacra fuit, nulla cum occurrat mentio in registris decimarum apostolicarum An. 1290., et 1300., tunc temporis jam collapsam fuisse manifestum est. Jacet etiam nunc in ruinis Ecclesia haec Cathedralis. imo ne vestigia quidem ejus comparent amplius: collapsa fuisse videtur in horrendo illo terrae motu, qui an. 1279. Picenum omne concussit. Extiterat adhuc a. c. 1250. quo frater quidam Simon ordines se a Sanguino Episcopo *in Ecclesia S. Mariae de Humana* suscepisse testatur (in processu de Eccl. S. Joannis in Pertica qui adservatur in Archivo Eccles. Cathedr. Sanseverinatis.)

25. **Simon Marcellinus** Canonicus Anconitanus Bonincontro successit die 19. Julii 1343. (e Regesto Clementis VI.) Hujus in Archivo Recanat. habentur litterae datae An. 1348.

26. **Fr. Silvester** Ariminensis Ordinis Servorum B. V. Mariae Theologus die 15. Martii 1363. (e Regesto Innocentii VI).

27. **Fr. Dominicus** Episcopus Humanatensis erat die 9. Maji 1371. qua die communia cum persolvisse servitia contestatus est nobis humanissimus atque eruditissimus vir Cajetanus Marinius, cui sequentium quoque Episcoporum accuratiorem chronotaxin debemus.

28. **Fr. Petrus** filius Bartolutii D. Francisci *de Scala* Anconitanus An. 1372. die 19. Martii communia servitia se persoluturum spopondit.

Hunc obiisse asserit Ughellius ante diem 18. Decembris 1383., ejusque successorem fuisse jam An. 1385. die 8. Januarii Fr. Antonium Trassatis Romanum. Enimvero Rñus Compagnonius Commentarii de Eccl. Auximana T. III. p. 272. instrumentum indicat confectum ea ipsa die 18. Decembris 1383., quo memorantur patentes litterae Domni Nicolai . . . *Vicarii Capituli* . . . . majoris Ecclesiae Human. nuper Pastore vacantis per obitum bone memorie D. fratris Petri olim Human. Episcopi; et mox pag. 282. aliud instrumentum d. 8. Januarii 1385. coram Venerabili viro D. Nicola Moritioni de Sirolo Vicario generali R. Patris et D. D.*Fratris Antonii Trassatis de Roma Dei gratia Episcopi Umanae*. (e protocollo Maynardi Lambertini Not. episc. Curiae Auxim. pag. 719.et 752.) [1]

30. **Fr. Antonius Trausacti** Romanus. Episcopus Humanatensis jam extitit, ut vidimus, die 8. Januarii 1385., eoque anno et sequentibus Ecclesiae illi praefuit, ejusque gavisus est redditibus, ut ex apochis pensionum Ann. 1386. 1387. 1388. 1389. mense Martio conscriptis, quae in Archivo oppidi Siroli adservantur, intelleximus. Nescio igitur quo pacto ab Urbano VI Episcopus Humanae die 11. Junii 1389. eligi potuerit, ut habet Ughellius. Obiit Antonius An. 1393.

Tempore Episcoporum Fr. Petri, et Fr. Antonii electi fuerunt a Clemente VII *Antiepiscopi* Humanatenses.

An. 1386. *Vincentius* ex lib. obligat. Huic Ughellius successisse ait *Petrum* quemdam, cujus ceteroqui nulla superest memoria; et An. 1392. 2. Julii *Dominicum*, ut e lib. obligat.

31. **Antonius** Canonicus Fabrianensis, Plebanus Montisfilottrani, et spoliorum in Provincia Marchiae Anconitanae collector, quod munus exer-

---

[1] 29. *Joannem* quemdam ab Urbano VI. electum Episcopum Humanensem, cujus mentio fiat An. 1386., comminiscitur Ughellius.

cuit etiam aliquamdiu, cum jam esset Episcopus. (E chartis Archivii Ecclesiae Recanatensis).

Electus fuit a Bonifacio IX An. 1393. ut e lib. obligat. ad diem 23. Augusti 1393.

In charta An. 1395. die 27. Augusti, quam edidit Cl. Coluccius Antiq. Picen. T. XVIII. p. 146. dicitur: *D. Antonius Episcopus Numanatensis Comitatus Civitatis Anconae, collector Sedis Apostolicae in Marchia Anconitana generalis.*

Vivo adhuc Antonio promotus fuit ad Cathedram Humanatensem

32. **Ugo** d. 14. Decemb. 1400., *qui se obligavit in camera et pro Antonio praedecessore suo, et pro altero Antonio Praeantecessore suo, et Petro altero Praeantedecessore.* (in lib. Camer. ad dictum annum). Auximanus hic fuit, eratque adhuc in vivis a. 1407. quo cives ipsius Pandulphum Malatestam rogarunt . . . . *se digne comandare* al Comuno de Castello ficardo che obedischano al Rev. Padre e nostro Cittadino Messer Ugho *consistoriale Vexovo de Humana* . . . . . videturque non esse diversus a *Fr. Ugone* Ordin. Minor. Episc. Scitiensi cujus meminit Compagnonius in Commentarii de Eccl. Auxim. T. 3. p. 272., 303. etc. ad a. 1382. et 1388.

33. Rediit tamen postliminio ad Episcopatum (anno sc. 1402.) **Antonius** Fabrianensis praedictus, quem rursus An. 1413. d. 18. Decemb. dejicere de Sede conatus est Joannes XXIII, propterea quod opera Senatus Anconitani dignitatem adeptus fuisset: sed eodem Senatu ipsum protegente irritus fuit conatus Pontificis.

Postremus hic fuit Humanatensium Episcopus: Etenim An. 1422. 14. Kalen. Nov. Martinus V constituit, ut defuncto Antonio, vel ad aliam Cathedram deducto, aut ipso libere de Episcopatu decedente, Astorgius Episcopus Anconitanus, ejusque Successores Ecclesiam Humanatensem regerent perpetuo, atque administrarent, ita tamen, ut nihil de ipsius Ecclesiae dignitate detractum intelligeretur, et Anconitanus Episcopus Humanatensis quoque Episcopus diceretur. (Martini Bullam ex Archivo Vaticano edidit Dominicus Georgius in Dissert. Hist. Cathedr. Episc. Setiae. Romae 1727.)

Quae constitutio anno 1427. post Antonii Episcopi ex hac vita discessum executioni mandata fuit, indeque ad nostram usque aetatem iidem Humanae fuerunt, qui Anconae Antistites, quorum plures ex praescripto Martini titulum assumebant, *Episcopi Anconitani, et Humanatensis.*

Deinde immutato paulisper titulo circa finem Saec. XVI. Anconitanos se Episcopos et *Humanae Comites* dicere coeperunt. Verum Benedictus XIV, qui utrique Ecclesiae praefuerat, earumque res habebat perspectissimas, litteris datis ad Anconitanum Praesulem Martini V legem,

quae in desuetudinem abierat, revocavit in usum, jussitque, ut imposterum et ipse, qui tunc vivebat Praesul, et qui ipsi in ea Sede sufficerentur, Anconitani simul et Humanatenses Episcopi dicerentur. (Epist. d. 22. April. 1747. in Bullar. Bened. XIV T. II.)

Equidem vel contempta, vel non attenta lege hac Benedictina usus adhucdum obtinet, ut Oppida quaedam, et Ecclesiae Humanatensi dioecesi subjecta, Anconitanae nihilominus dioecesis dicantur; quod sane abusus est jure merito tollendus, quemque non probasset Pontifex, si perspecti ei fuissent utriusque Ecclesiae jurisdictionis limites. Vide supra, ubi apparet, *Sirolum, Camuranum,* et *Massinianum ad Humanatensem pertinere dioecesim.*

XIX. Sed dimissis Episcopis Humanatensibus ad Recanatensem Ecclesiam redeamus, et constituti in ea Episcopatus initia accuratius exponamus. Cathedra, ut diximus, exornata est Civitas nostra ob fidem, quam difficillimis temporibus praestitit, probavitque Pontifici Romano. Postquam enim Gregorius IX in festo Paschatis An. 1239. Fridericum II Imperatorem a fidelium communione removisset, acerrimumque ideo bellum commotum fuisset per Italiam universam, Henricus Imperatoris filius eodem anno mense Septembris Marchiam nostram invasit, ac mense Octobris ad Musonem castra habebat [1], adeo ut belli vis omnis in Recanatenses statim irruisse videatur, qui vero infracto animo inter pericula, et hostium furores perstiterunt.

Picentes quamplurimi, et inprimis Auximani Friderico adhaeserant, atque inimicitiam exercebant cum iis, qui Pontificis partes tutabantur. Quo factum est, ut Rainaldus illius urbis Episcopus arrepta fuga una cum coetu Canonicorum suorum Cingulum primum profugeret Dioecesis suae oppidum, uti e charta immunitatis patet, quam Sanctimonialibus S. Jacobi de Plagia insulae concessit, data d. 8. Mens. Septembris, quamque e tabulario Cathariniano edidit Rm̃us Compagnonius T. V. p. 65. Cardinalis etiam Sinibaldus Fliscus Marchiae Anconitanae Rector Cinguli, et quidem inde a Junio mense commoratus fuerat. Is postea Recanatum discessit. Subiit tunc in mentem Recanatensibus maximo sibi honori ac emolumento fore, si Episcopus a vicinis expulsus sua in urbe receptum haberet, eique translata huc Auximana Cathedra praeesset. Nec mora: Sinibaldum adeunt, obsecrant, ut authoritate sua rem promoveat; offerunt quinque librarum Ravennatium millia [2] ad ornandam redditibus, ut Odoricus Raynaldus

---

[1] Baldassini Storia di Jesi XVI.

[2] Quinque millia librarum usualis monetae, teste ipsomet Card. Sinibaldo, obtulerunt Recanatenses, non annua, ut putavit Calcaneus, sed semel solvenda, aut

testatur, Ecclesiam Cathedralem; spondent extructuros se Episcopo Palatium, aedesque Canonicis.

Placuit Sinibaldo conditio, remque detulit ad Pontificem monens omnino dignos esse Recanatenses, quibus gratificaretur, honoremque eis impensum praemium fore virtutis, et compensationem quamdam malorum, quae Principis gratia in dies patiebantur; aliis vero incitamentum, ut in obsequio perseverarent. Ceterum conditiones afferri aequas, amplumque eis esse Templum S. Flaviano sacrum majestate Cathedrae non indignum. Rescripsit Pontifex literis ad Sinibaldum datis [1] monens, ut *cum Recatenses quinque millia librarum usualis monetae vel possessiones ejusdem valoris pro dotanda Cathedrali Ecclesia liberaliter offerentes promiserint, quod velint aedificare domos pro Episcopo, et Canonicis opportunas, adjectionem ad hanc summam facerent, de qua Episcopus et Canonici processu temporis honorifice valeant sustentari, maxime cum durante guerrarum discrimine non possit provenire de facili, quod bonorum Auximanae Ecclesiae possessionem pacificam valerent adipisci.* [2] Ceterum statuit partem Diaeceseos Auximanae Episcopo Humanatensi concedere pro jure, quod *in castro Racanati habuerat*, partem aliam *Episcopo Anconitano; reliqua fore Episcopi Recanatensis cum villa ipsa Auximana.* Proventus interim Episcopales, quos hactenus ex urbe et agro Recinensi Episcopus Humanatensis perceperat, ab eodem percipi debere, donec aliud constitutum foret, decrevit idem Pontifex d. 15. Nov. ejusdem anni [3] ne quid damni ex imminutione dioeceseos Humanatensis pateretur Ecclesia.

---

possessiones ejusdem valoris: summa sane pro tempore illo non contemnenda fuit. Libra enim Ravennas, ut auctores illius temporis passim testantur, valuit Floreno uno aureo, sive Zecchino, ita ut 5000: librarum scutis nostris minimum decies millenis; imo, si valorem consideraveris *relativum*, plusquam quinquaginta scutorum millibus aequalia fuerint. Etenim frumenti, vini, aliarumque rerum summa tum fuit respectu habito ad nostra tempora vilitas. Exemplum occurrit ex Archivo Cingulano S. Catharinae N. 545., e quo habemus An. 1269. salmam grani 18. solidis constitisse, ita ut pretio 5000. libr. Ravenn. emi tum potuerint Salmae 5555., quas si aestimaveris ex pretio, quo nunc emerentur, justum feres de Recanatensium erga Episcopum suum liberalitate judicium. Dotem a Recanatensibus constitutam prae oculis habuisse videtur Clemens V., dum in Clementina 2. §. *volentes de Magistris in extravaganti de Praebendis* novis Episcopatibus pro dote assignavit 5000. *librarum Turonensium*, quarum singulae (ut e regula 25 Cancellariae intelligitur), aequales erant floreno aureo.

[1] Reg. l. 14. ep. 109. in Append. nostra N. XIII.

[2] Qui terras Episcopatus Auximani tenebant *respondebant de fructibus nuntiis olim Imperatoris*. Ita in protocollo S. Benvenuti apud Compagnonium T. V. p. 85.

[3] Regest. lib. 14. ep. 170. — Append. n. XIV.

Sinibaldus vero Cardinalis, imo Pontifex, prout aliis quoque civitatibus et oppidis Ecclesiae Romanae fidelibus benignum se et gratiosum exhibuit, ita Recanatensibus quoque in fidei ac fortis animi praemium concessit *Portum in riva maris facere a flumine Aspiae in flumen Potentiae, et in ipsis fluminibus fluvium Mussionis conducere et derivare per loca adaptata ad portum, et fortalitia, et castra per districtum facere, ubi expedierit, et homines Montiszarii, et Montisfani Recanati recipere, et retinere.* Ex litteris Card. Sinibaldi datis Romae 10. Octob. 1240. [1]

Tandem die 22. Decembris 1240. Recanatense castrum, quod spirituali Episcopi Humanatensis jurisdictioni antea subditum fuerat, ad Civitatis, et Templum S. Flaviani ad Cathedralis dignitatem evectum est, ablato Auximatibus Cathedrae, et Civitatis honore, quo ob levitatem et rebellionem indignos se reddiderant, quam poenam, testante Rmo Compagnonio T. V. p. 56., Pontifex, licet frustra jam An. 1220. (ex Honorii III. reg. An. V. ep. 244.), iterumque An. 1233. die 22. Novemb. eisdem comminatus fuerat. Beneficium vero tantum ideo se impertiri Recanatensibus profitetur Gregorius, *attendentes*, inquit, *quod in devotione Ecclesiae illam studuistis observare constantiam, quod nec damna rerum vobis per Fridericum Imperatorem Dei et Ecclesiae inimicum illata, nec pericula corporum vos a fide Sedis Apostolicae avertere potuerunt.* [2]

XX. Atque haec est Episcopatus Recanatensis origo, qua equidem gloriosior desiderari vix potest. Neque enim casu Civitati nostrae advenit is honos, sed virtutis et fidelitatis praemium fuit, quae fidelitas multis deinde saeculis perseveravit, *perseveratque hodiedum.* Indignatio igitur subeat necesse est quemvis rerum gnarum, qui Ughellii ad seriem Recanatensium Episcoporum proemium, sive libellum potius famosum in Civitatem nostram conscriptum animo a praejudiciis libero perlegerit. Adeo auctor illius id agit, ut infamia Recanatum aspergat, asserens, *seditiosiorem in Italia urbem vix ullam fuisse, quaeque magis intestinis odiis laboraverit, ceterisque majora intulerit detrimenta; factiosissimos Ghibellinos eam fovisse, ultrices quoque perfidiae flammas usque ad excidium per-*

[1] Regest. lib. 13. ep. 235.

[2] Epistolam Gregorii Papae, et Clero Recanatensi inscriptam integram in calce libri exhibemus depromptam e Registro Vatic. hujus Pontificis. Est vero anni 14. ep. 189. scripta d. 22. Decembris, ut rerum gestarum ordo, et codex ipse Regesti a Cl. viro Cajetano Marinio nobis rogantibus inspectus docent, quamvis Ughellius in Recanaten, Calcagnius, ac ipse Compagnonius Antistes Auximanus T. 2. p. 247. datum esse scripserit XI. Kal. Junii. Recte autem Odoricus Rainaldus, et Compagnonius mox citatus in laudati operis appendice T. V. p. 67. pro *Junii* legerunt *Januarii*. (v. Append. n. XV).

pessam: Frustra dein Cathedrae rursus honorem a S. Sede *extorquere conatam* fuisse: Gregorium XIV tandem Civitatis *miseratum*, et quae sunt alia fellis et invidiae plena, e quibus facile authorem agnoscas Recanatensibus inimicum, aut rerum nostrarum imperitum, qui seriem Episcoporum Recanatensium a *Petro Bonjoannio* concinnatam, atque Ughellio missam authore invito adulteravit, de qua re idem Bonjoannius in opusculo *Colpe e discolpe dell' istoriografo*, quod manuscriptum extat apud Comites Carradorios, satis acerbe conqueritur. [1]

---

[1] Equidem haud inficiamur Recinenses non minus ac quemvis alium Piceni populum ad inimicos Romanae Ecclesiae aliquando descivisse, scilicet vi oppressos, ac resistendo non pares; sed hoc asseveramus in maxime arduis temporibus *prae aliis compluribus civitatibus* constanter eos, ac fortiter adstitisse Romanis Pontificibus inde ab anno 1230., quo anno Rectores a Pontificibus Romanis creati huic Provinciae praeesse coeperunt. Damna plurima Civitas nostra annis 1239. et 1240. a vicinis Friderici asseclis sustinuit: mense Junio 1241. etiam Roberti Castilionei Marchiae Praefecti vim experta est, qui copiis undequaque collectis eam obsedit. (Archiv. S. Cathar. Cingul.)

Manfredo quidem obedire coacta est, ut *Piceni omnes;* diutius etiam aliis, eo quod forti praesidio occuparetur, et Corradus ipse de Antiochia regii exercitus dux eum robore copiarum in ea constitisset.—An. 1259. 20. Decemb. societatem quoque fecit cum Aesinis et Cingulanis pro Manfredo (Thomas Baldassinius), ideoque ab Urbano IV. Cathedrae honore spoliata est, quem vero post longa obsequia sub Nicolao IV. recuperavit.

Luctuosam tragaediam anni 1318. nemo est qui nesciat, paucorum perfectam fuisse malitia, qui noctu Lippatium, atque Andream Guzzolini filios Auximates cum validissima Ghibellinorum manu in Civitatem immiserunt, quorum ope pauci illi, quos diximus, seditiosi quadringentos amplius cives in exilium egerunt, ceterosque vi, minis, ac caedibus in suas partes ire compulerunt invitos et gementes; cujus rei testis est omni exceptione major Johannes ipse XXII. in Bulla anni 1321. Cathedra Recanatensis tunc Maceratam translata est. Recanatum vero inde ab anno 1322., quo redierunt exules, ab Ecclesiae Romanae obsequio numquam recessit.

Prima Aegidio Cardinali Albornozio portas aperuit, causaque fuit, ut is Recanato tamquam invincibili munimento usus brevi Provinciam omnem recuperaverit. Quare antiquius nihil habuit vir maximus, quam ut decus suum Recanatensibus restitueret, quod non suo merito, sed ob iniquitatem paucorum amiserant.

Tempore schismatis sub Urbano VI. exorti ad extinctionem usque illius et Pontificem praedictum, et Successores constantissime nostri propugnaverunt, cum Macerata ipsa, et magna Piceni pars Clementi Antipapae adhaererent. Firmani, et Anconitani nostratium ope tyrannos ejecerunt. Sfortiae jugum inter primos excusserunt, neque deinceps, *ut* (demptis Auximanis et Anconitanis) *Picentes reliqui*, rursum subiere.

Quaenam quaeso Civitas, quod Castellum insignioribus gloriari poterit fidelitatis experimentis, praeclarioribusque de Romana Ecclesia meritis? Ut jure Andreas Tomacellius Marchiae Praeses, et Bonifacii IX. germanus frater in Israel tantam fidem se non invenisse profiteri potuerit (in declaratione confinium versus Castrumficardi, quam vide in Bullario Recanatensi typis edito). Quo factum est, ut

XXI. De cetero non est quod in laudes Recanatensis civitatis uberiori calamo excurram, ac pluribus verbis ostendam, quam non indigna sit, quae spectata amplitudine agri, ejusque ubertate, atque incolarum numero et praestantia, et Episcopali Sede coruscet, atque inter potiores Provinciae urbes connumeretur. Etenim, ut paucis rem absolvam, situs ejus est felicissimus: in alto montis supercilio ventis omnibus opposita aere gaudet optimo: viae Romanae qua Anconam pergitur, adjacet. Portum habet ad oram Adriatici maris quinque passuum millibus ab urbe remotum, mercimoniis aptum, piscationi opportunissimum. Ager Potentia, et Musione fluviis, ac mari fere cingitur, decem millia passuum in longitudinem porrectus: tritico, vino, olivis, e quibus oleum optimum conficitur, abundat. Celebris in primis apud exteras etiam gentes sunt ficus dictae *Cori* intus rubeae, extrinsecus virides, quae laudatorem etiam nactae sunt Innocentium VIII P. M. in Brevi dato 3. Februarii 1487. quod, si lubet, apud Calcagnium leges. Castella duo ager complectitur *Portus* et *Montis Florum* (hoc anno 1295. conditum fuit), item villas duas.

Quamplurima vero castra, [1] villae, turres, quae olim extiterunt, interiere a Dominis derelicta, qui in civitatem domicilia transtulerunt.

Urbs ipsa sita est juxta Mairii et Boscovichii recentissimas observationes sub latitudine, sive altitudine poli gr. 43. m. 25. et sec. 44., ac sub longitudine, ut Geographi loquuntur gr. 31. m. 3. sec. 38. -- Moenia habet, qua facilior est accessus, egregie munita, si paululum restaurarentur. Reliqua praerupta moenibus fere carent. Portas habet duodecim. Domus in Civitate numerabantur Petri Bonjoannii aevo, idest anno circiter 1640., omnino 1650., divisae in regiones quatuor, scilicet *S. Mariae Castrinovi.*

---

per duo deinceps saecula maxima apud Pontifices Romanos auctoritate et fide potiti fuerint Recanatenses prae ceteris Picenis, quod sine invidia dictum volo, et e decursu historiae manifestum fiet; adeo ut saeculo XV. Ecclesiae Romanae arces propemodum omnes a Recanatensibus custodirentur, quod fidelissimi et essent, et haberentur. Quod vero Sixtus V. Pontificalem dignitatem nostrae Civitati ablatam Lauretanis donavit, id neutiquam Recanatensium culpa factum est; sed quod devotio, qua Sixtus erga Deiparam Lauretanam ferebatur, limites nesciret, ac Pontifex huic adfectui sane laude dignissimo consultum esse maluerit, quam juribus Urbis nostrae. Iniquius sane, se par erat, eum Recanatensibus tunc actum fuisse, et Pontifices Sixtum secuti Innocentius IX. et Gregorius XIV. agnoverunt, et Clemens VIII. expressis verbis contestatus est in ea Bulla, qua Cathedram Civitati restituit.

Fusius haec memoranda fuerunt, licet de multis, quae dici poterant, pauca attigerim, ne quem Ughellii de inconstantia Recanatensium, facilique ad rebellandum animo verba commoverent, ut secius de praeclara Civitate, optimeque de Apostolica Sede merita sentiret.

[1] V. superius N. XII.

S. Flaviani, S. Angeli, et S. Viti. Familiae An. 1370. in urbe, et agro, cujus pars tunc erat ager, qui nunc est Lauretanus, fuerunt 1055.; An. 1532. familiae 838. Incolae An. 1695. jussu Innocentii. XII numerati reperti sunt 6129. An. 1708.-7500. Calcagnio teste: An. 1800. censa fuere capitum 14000.

XXII. Respublica regebatur olim a Consilio 200. virorum e nobilioribus, ac ditioribus, quibus mortuis liberi succedebant. Penes hos summa rei erat, et legum condendarum potestas. Magistratus vero, qui numquam a Curia discedebant, septem omnino fuerunt binis quibusque mensibus e 200. virorum numero sorte extracti: hos *Priores* vocabant. Ii, ubi res majoris momenti incidebant, *Anzianos*, sive *Seniores* in consilium accersebant 24. sorte itidem delectos. Bellicas res *Pennonerii*, sive *Vexilliferi* quatuor administrabant, quorum singuli singulis urbis regionibus praeerant, ac vexillum regionis custodiebant efferendum, cum tumultus exurgerent, aut hostes imminerent. Universae vero publicarum rerum curationis caput ac veluti princeps deligebatur quotannis, aut sexto quolibet mense *Praefectus*, sive *Potestas*, qui et consiliis praeesset, et exercitum duceret, et jura ministraret, rationem gestorum expleto officio redditurus. Cum Potestates e nobilioribus, illustrioribusque tum exterarum, tum vicinarum urbium familiis olim electi fuerint, syllabum subjicimus eorumdem e libris, et chartis pubblicis undequaque collectum.

Haec forma regiminis per aliquot saecula in hac civitate obtinuit. Verum cum progressu temporis et statuta obsolevissent, et mutata quaedam fuissent per Bullam Alexandri VI An. 1493. et per capitula, ut ajunt, sive leges An. 1603. conditas, atque id postularet boni publici ratio, recentiorem, quae nunc est, et meliorem ejusdem regiminis formam induxit An. 1717. die 20. Sept. Josephus Firraus S. Agathae Princeps in tota Picena Provincia Visitator Apostolicus, qui postea S. R. E. Cardinalibus adscribi meruit.

Insignia Civitatis Leo argenteus in pedes arrectus in campo, ut ajunt, purpureo. Leoni posterioribus temporibus corona adjecta est, et ensis, quem armo dextro tenet, quae Symbola utique et praestantiam urbis significant, et privilegia singularia, quibus ab Imperatoribus, et Pontificibus exornata fuit. Ut enim nihil dicam de antiquiori Friderici II privilegio, de quo superius dictum est; nihil de jurisdictione, ut dicunt, *alta* et *bassa*, quam Honorius IV olim concessit [1], ceterique Pontifices confirmarunt, quamque tribus minimum saeculis civitas exercuit, nihil de jure Notarios creandi; spurios legitimandi etc., quae Fridericus III indulsit; nihil de prae-

[1] E charta Anni 1333. in Archiv. secret. Civit.

rogativis ceteris, quibus fulgent et Magistratus nostri, et Patricii, quorum nullibi non agnoscitur, admittiturque generis nobilitas; id unum addo, quod inter paucas Ditionis Pontificiae urbes Recanatum una fuit, cui *Zecca*, sive auri, argenti, aeris faciendi, flandi, feriundi potestas a Bonifacio IX [1], sequentibusque Pontificibus vel concessa, vel confirmata fuit.

Supersunt in actis Senatus annalibus pacta cum cursoribus inita d. 9. Sept. An. 1450., quibus d. 14. Octob. additum fuit decretum, in *Bolonenis* ab uno latere inscribendum fore *de Recanato;* et ab alio S. Maria: *Piccolos* signandos fore *Cruce.* Anno vero 1475. sancitum est scribi oportere in antica *Sancta Maria de Loreto*, et in postica poni figuram Leonis coronati, ac ensem gestantis. Ex his decretis facile nosces, quo tempore quisque nummus fuerit cusus.

Alia in Annalibus extant pacta cum nummorum cusoribus inita annis 1461. 1472. 1473. 1479. 1487. 1492. [2]

XXIII. INDICULUS CHRONOLOGICUS

VIRORUM NOBILIUM, QUI IN CIVITATE RECANATENSI POTESTATIS, SIVE PRAETORIS MUNERE PERFUNCTI SUNT.

1195. D. Ugolinus Judex (Ex Archiv. Eccl. Cath. S. Severin. N. 412.)
1215. D. Tebaldus de Petriolo Potestas. (ex Archiv. secret. Civit. Cinguli.)
1237. Malanzonus de Bononia, remotus ab officio jussu Gregorii IX
1238. D. Thomassinus (ex Archiv. Eccl. Collegiatae Montis Luponis.)

---

[1] An. 1393. octavo idus Februarii, ut e Bulla authentica in Archiv. Recanaten.

[2] Vigintiquinque novimus nummos diversi moduli, et metalli Recanati cusos. Duos exhibet Muratorius antiq. medii aevi Dissert. 72., aereum unum e Museo Bertacchiniano, in cujus antica Crux, in postica Leo (qui ensem non gestat): inscriptio, S. Flavianus de Recaneto: alterum argenteum e Museo Vettoriano, in cujus facie legitur, S. Maria, ex altera parte; de Recaneto; Alios duos habes apud Vincentium Bellinium de monetis non vulgatis aereum utrumque. Primum describit Bellinius in Dissert. 1. p. 92. In cjus antica Crux est, et legenda: S. Flavian., in medio pusticae inscriptio: Recaneti: secundum exhibet in dissert. 4. p. 75. In hujus antica Crux conspicitur, et legenda: S. Maria de Loreto, litteris Romanis exarata, et in postica Leo ense itidem carens cum legenda: de Recanati. Quindecim aereos nummos diversos possident Reverendissimus D. Septimius Mazzagallius, ac R. D. Petrus Pintuccius.

Nummos Recanatenses alios describunt Mannius de sigillis T. 27. p. 4., Scilla, Floravantius, et in Dissertatione inedita Cl. P. Antonius Maria Marinius Recanatensis e Familia PP. Observantium Ordinis S. Francisci.

Loci, ubi monetae olim cusae fuerunt, meminit Antonius Jannis Notarius in protocollo anni 1415. ad diem 15. Decembris, ubi instrumentum legitur confertum *in Quarterio S. Viti in domo monetarum S. Matthaei.*

1244. D. Bonatacca de Senis. (Archiv. Firm.)
1259. D. Gentilis de Moliano (Archiv. Aesin.)
1285. Nobilis et potens vir D. Joannes D. Balioni de S. Joanne.
1298. Nobilis vir D. Bortultus D. Ranaldi de Spoleto.
Annis incertis. D. Vannes de Urbeveteri.
D. Rugerinus de Parma.
Jacobutius D. Manentis de Mevania.
Nobilis et potens miles D. Clavellinus D. Tosi de Clavellis de Fabriano.
1307. D. Simon de Jacanis de Perusio.
1322. 3. Maji *capta fuit Civitas, et combustum tabularium.*
1322. Jacobutius Pauli de Macerata.
1323. Nobilis vir Ciccus Grimaldi de Colbuccolo de Monteulmi.
1324. D. Simon de S. Elpidio.
1326. Nobilis et potens miles D. Ballionus D. Guidonis de Perusia.
Nobilis et potens miles D. Johannes D. Guidiclerii de Gallutiis de Bononia.
1327. Nobilis et potens vir Ciccus de Colbuccolo.
1328. Nobilis et potens miles D. Johannes D. Francisci de Manentischis de Trevio.
1329. Nobilis Miles D. Thomas de Rainaldinis de Mevania (cum salario lib. 800.)
1330. D. Corradus D. Petri della Branca de Eugubio.
1331. Nobilis et potens miles D. Albertinus D. Pauli de Albertinis de Fulgineo.
1333. D. Joannes D. Aceti de Bictonio.
1334. Nobilis et potens miles D. Albertinus De Fulgineo.
D. Johannes D. Francisci de Trevio.
1337. Nobilis et potens miles D. Johannes D. Docis de Morontis de S. Gemino.
1338. Magnificus et potens vir Ninus D. Ufredutii de Montoro.
1340. Nobil. vir Ciccus Andricti D. Rainaldi de Manentibus de Spoleto.
1341. D. Angelus D. Petri.
Nobilis et potens vir Joannes Ciccoli D. Joannis de Montesperello de Perusio.
1342. Nobilis vir Massiolus Ugolini de Campello de Spoleto.
Nobilis et potens vir Petrus D. Jannis de Montesperello de Perusio.
1343. Nobilis et potens vir Massictus D. Johannis D. Francisci de Manentischis de Trevio.
Nob. et potens vir D. Albertinus D. Pauli de Fulgineo.
Nob. et potens vir Franciscus Mini de Coscicomitibus de Senis.

1344. Nob. et potens vir Ninus Raynaldi de Mevania.
1345. D. Rainerius de Morontis.
1346. Nob. et potens dominicellus Mutius D. Lelli D. Guilelmi de Guilielmis de Assisio.
1348.—1351. Nobilis et sapiens vir D. Rainerius de Amerighis de Pensauro *generalis Vicarius per Magnificos Dominos Malatestam et Galeottum de Malatestis honorabiles conservatores Civitatis Recanati.*
1352. D. Robertus de S. Gemino *Generalis Vicarius* etc.
1354. D. Detalleve D. Martini de Maynardis de Saxoferrato.
1356. Nob. et potens miles Agnelinus Ciccoli Sinibaldi de Perusio.
Nob. vir Massictus D. Johannis D. Francisci de Trevio.
1357. Nob. et potens vir Vagnolus D. Johannis de Assisio.
Nob. vir Tangarellus de Tanghis de Somaregia.
1358. Nob. vir Nicola D. Rainuccii de Orto.
1359. Nob. vir Angelus Berti Cicchi de Castellanis de Florentia.
Nob. et potens vir Baldellus de Podio.
1360. Nob. et potens vir Nerius Nicolae de Urbeveteri.
Nob. vir Merulinus D. Johannis de Assisio.
Nob. et potens vir Benedictus Angelilli de Bictonio.
1361. Nob. vir D. Franciscus D. Nerii de Montefalco.
Nob. vir Tangarellus de Tanghis de Somarighio.
1363. Nob. vir Guelfutius D. Matthaei de Civitate Castelli.
1364. Nob. vir Johannes Andrucioli de Perusio.
1365. Nob. et potens vir D. Franciscus D. Monaldi de la Serra de Eugubio.
1366. Nob. vir Mascettus D. Johannis de Trevio.
1367. Nob. et potens vir Ghigus Betini de Melioratis de Civitate Castelli.
1368. Nob. et potens vir Juccius D. Angeli de Interamna.
Nob. et potens vir Corradus D. Gerii de Pazzis de Florentia.
1369. Nob. vir Donatus Jacobi de Strata de Florentia.
Nob. et potens vir Jacobus de Strata de Florentia.
Nob. Vir Ugolinus D. Andreae de Donatis de Florentia.
1670. Nob. miles D. Gaddus D. Petri de Accurimbonis de Eugubio.
Nob. vir D. Guilielmus de Ardizzonibus de Placentia
Nob. vir Mannutius Manni de Accorambonis de Eugubio.
1371. Nob. et potens vir Bartolus Colae D. Simonis de Spoleto.
1372. Nob. et pot. vir Petrus Vannelli D. Ufredutii Comes de Montoro.
1373. Nob. et pot. vir Mannus Berardelli D. Ghygensi de Ghigensis de Eugubio.
Nob. et pot. vir Stephanus Egidiutii de Abstutis de S. Gemino.

1375. Nob. vir. D. Miliorutius Bettini de Civitate Castelli.
Nob. et pot. miles D. Gaddus D. Petri de Eugubio.
Nob. vir Angelus Cicchi de Castellanis de Florentia.
Anno incerto. Nob. et pot. vir Varaginus de Michilottis de Perusio.
Nob. vir Johannes D. Thomae de filiis Manentis de Trevio.
1377. Nob. et pot. miles D. Angelus D. Berardi de Monticulo.
1378. Nob. vir Corradus Jacovelli de Ciardis de Fulgineo.
1382. Nob. vir Stephanus Toctii de Teramo.
1383. Nob. vir Michael de Gabreto de Vulterris.
Nob. et pot. vir Ludovicus de Racanis de Spoleto.
1384. Nob. vir Simon Jacobutii de Mevania.
Nob. vir Lucas Miglianutii de Nursia.
1385. Nob. vir Thomas Rainerii de Cavalcantibus de Florentia.
Nob. vir Alexius Baldovinicti de Florentia.
1386 Nob. vir D. Jacobus D. Landi de Biccis de Eugubio.
Nob. vir D. Lazarus D. Landi de Biccis de Eugubio.
1387. Nob. et magnificus miles D. Fortunatus D. Rainaldi de Caroccis de Tuderto.
Nob. vir Ugolinus D. Crispolti de Bictonio.
1389. Magnificus miles D. Venantius de S. Gemignano.
Nob. vir Paulus Petri de Perusio.
1390. Nob. vir Johannes Cantis de Bubulcis de Burgo.
Nob. vir Ludovicus de Racanis de Spoleto.
Nob. vir Petrus Angelelli de Perusio.
1391. Magnificus miles D. Simon de Manentischis de Trevio.
Nob. vir Ubaldinus de Guasconibus de Florentia.
1393. Nob. vir Philippus de Gabriellis de Eugubio.
Nob. et pot. miles D. Andreas D. Tribaldi de Bettona.
Magnific. miles D. Ninalbertus de Carroctiis de Tuderto.
1394. Nob. vir Brancutius Berti de Elmis de Fulgineo.
Nob. vir Antonius Toctii de Cassia.
Nob. vir Johannes D. Cypriani de Albertis de Florentia.
1396. Nob. miles Michael de Gabreto de Vulterris.
Nob. vir Valorinus Barne de Curianis de Florentia.
1397. Magnific. miles D. Rambertus de Baccileriis de Bononia.
1398. Nob. vir Polus Contutii de Comitibus de Campello.
Nob. vir Azo de Civitate Castelli.
Nob. vir Blasius de Capitonibus de S. Gemino
1400. Nob. vir D. Johannes de Crispolti de Bictonio.
1401. Nob. vir D. Marinus D. Anastasii de Ramisinis de Nursia.

Nob. vir Nicolaus M. Marini de Yteramne.
1402. Nob. vir Simon Blasii de Masseis de Narnia.
1403. Nob. vir Arigentus . . . . .
1404. Nob. vir Petrus de Captaneis de Burgo S. Sepulchri.
Nob. et pot. vir Mastinus Herici de Captaneis de Burgo S. Sepulchri.
1405. Nob. vir Johannes Jacobi de Piendebenis de Montepolitiano.
Nob. vir Bartholomaeus Herici de Seppolinis de Civitate Castelli.
1406. Nob. vir Victorius D. Johannis de Narnia.
1407. Nob. vir Rossus de Janfigliatiis de Florentia.
Nob. vir Herigus D. Colutii de Salutatis de Florentia.
1408. Nob. vir Fadulfus Roberti de Fadulfis de S. Gemino.
Nob. vir Petrus Corradi de Corradis de Tuderto.
Nob. vir Christinus D. Johannis de Camporeali de Interamne.
1409. Magnific. vir D. Bandinus de Panciaticis de Pistorio.
1410. Nob. vir Lapus Turingi de Puliensibus de Prato.
Nob. vir Lazarus D. Landi de Biccis de Eugubio.
1411. Nob. vir Guido Bellabranchae de Brancaleonibus de Pecorariis de S. Angelo in Vado.
1412. Nob. vir Pierus Ansovini de Burgo S. Sepulcri.
1413. Nob. vir Mannus de Berardellis de Eugubio.
Nob. vir Angelus Petri de Assisio.
1414. Nob. vir Petrus de Anastasiis de Interamne.
1415. Nob. et spectabilis vir Albertus de Facciardis de Perusio.
Egregius et spectabilis miles D. Jacobus de Raducis de Jadra LL. D.
1416. Spectabilis vir Comes Lapus Turinghi de Pugliensibus de Prato.
Nob. vir Johannes Pauli Angelelli de Crispignis de Perusio.
1417. D. Franciscinus de Fluminibus de Assisio.
D. Petruspaulus de Rubertis sive de Cattaneis de Burgo S. Sepulcri.
1418. Nicolaus de Pallantibus de Arritio Comes.
D. Johannes D. Bartholi de Balistariis de Nursia LL. D.
1419. Leonardus de Donatis de Mantua.
Nob. vir Franciscus Brancutii de Elmis de Fulgineo Comes.
1420. D. Belmonte de Caminatis de Arimino.
D. Cola de Scorno de Pisis.
1422. Nob. et spectabilis vir Guido Anastasii de Baractanis de Nursia.
Smiraldus de Elmis Comes S. Cristinae Fulginas.
1423. Nob. vir Petrus de Anastasiis de Interamne.
Nob. vir Novellus de Transis de Amatrice
Henricus *D. Colutii de Salutatis de Dignano.*
1424. Nob. vir Nicolaus Antonii de Guidis de Fulgineo.

Nob. vir Folcus Johannis de Bifulcis de Burgo S. Sepulcri.
1425. Nob. vir Novellus de Transis de Amatrice.
1426. Nob. vir Angelus Mainardi de Perusia.
Nob. vir Franciscus de Scionis de Reate.
Nob. et potens vir Honofrius de Lotoronibus de Reate.
1427. Nob. et pot. vir Angelus de Mainardis de Perusia.
Nob. vir Ludovicus de Valiceto de Bononia Comes Pontis regalis.
1428. Magnific. et pot. miles D. Honofrius de Virilibus de Civitate Castelli
Excell. Legum Doctor D. Lucas de Boccabianca de Ripatransonis.
Magnific. et spectabilis miles, et excell. Legum Doctor D. Ugolinus de Pellolis de Farneto de Perusia.
1429. Nob. et pot. vir Hector de Rubertis de Burgo S. Sepulcri.
Nob. et pot. vir et excell. LL. D. Johannes de Mazancolli de Interamne.
Nob. et pot. vir Gregorius D. Johannis de Lambardis de Trevio.
1430. Nob. et spectab. vir Christophorus de Montutiis de Senis.
Magnific. miles D. Cyprianus de Manaseis de Interamna.
1431. Nob. et pot. miles Mastinus de Capitaneis de Burgo S. Sepulcri.
1432. Magnif. et pot. vir Pippus de Ritiis de Lanzano.
Magnif. et pot. vir Romanus de Benvedutis de Eugubio.
1433. Nob. et spectab. LL. D. D. Benedictus de Gambacurtis de Pisis
Magnific. et potens vir Raimundus de Malatestis de Arimino.
D. Landus de Beccis de Eugubio.
1434. Magnific. et potens vir Mateus de Paulectis de Eugubio.
Spectab. et pot. vir Leonardus de Nisternis de Tuderto (cum salario duc. 400.)
1435. Baltassar Antonii de Vassaleis de Mutina
Magnific. vir D. Johannes Franciscus de Panciaticis de Pistojo.
1436. Nob. et spectab. vir Honofrius de Loteronibus de Reate.
1437. Nob. et pot. vir Bartolomeus de Gratianis de Burgo S. Sepulcri
D. Bernardus de Rosellis de Aretio.
1438. D. Joa. Marinus de Castro de Camplo.
D. Gregorius . . . . . de Visso.
D. Tarquinius de Urbanis de Urbino Vicepotestas.
Nob. vir D. Matthaeus de Grassis de S. Severino Vicepotestas.
1439. Nob. et Spectab. vir Cionius de Orlandis de Senis.
D. Riccardus q. Angeli de Ricciardis de Perusio.
Jacobus D. Ugolini de Farneto de Perusio.
1440. Nob. et spectab. vir Paulus Vidoni de Magalottis de Civitate Castelli.
1441. Nob. et spectab. vir Antonius de Ungarellis de Padua.

Nob. et spectab. vir Johannes de Barbolanis de Monteacuto.
Nob. vir Andreas de Saracenis de Cassia.
1442. D. Dionysius D Ugolini de Pilis de Fano.
1443. Nob. et pot. vir Villanus de Mancinis de Gualdo.
Nob. et spect. vir Antonius de Arnulfis de Baligano de Pergula.
1444. D. Matthaeus de Grassis de S. Severino Vicepotestas.
1445. Magnificus miles D. Georgius de Lutis de Senis.
Magnific. et generosus vir Jacobus de Siris (Sciris) de Perusio.
1446. Magnif. et spectab. vir Laurentius de Alteriis de Urbe.
Nob. et spectab. vir Bartholomaeus de Mazacollis de Interamna.
1447. Spectab. et pot. vir Benedictus de Balistariis de Nursia.
Spectab. vir Rainaldus de Mansuetis de Perusio.
1448. Magnif. miles D. Diamantes de Benenatis de Montefalco.
Magnif. miles D Onofrius de Comitibus Palatii de Fulgineo.
1449. Nob. et magnif. vir Lellus de Boccabellis de Urbe
Nob. et magnif. vir Baptista de Brendis de Urbe.
1450. Magnif. et excellens LL. D. D. Georgius Spinola de Janua.
Generosus miles D. Cicchinus de Comitibus de Campello de Spoleto.
1451. Magnif. et generosus miles D. Polidorus de Balionibus de Perusio.
Magnif. miles D. Marinus de Raneriis de Nursia.
1452. Nob. miles D. Polidorus de Benvedutis de Eugubio.
1453. Spectab. vir D. Bartholomeus de Benassais de Senis LL. D.
Spectab. et generosus miles D. Stephanus de Manasseis de Interamne.
1454. Nob. et Spectab. vir Andreas de Castro de Camplo.
Generosus miles D. Gregorius de Bazolinis de Faventia.
Nob. vir Ludovicus de Turri de Mediolano.
1455. Spectab. et gener. miles D. Petrus de Tricirchiis de Senis.
Spectab. et gener. vir Benedictus Baldini de Gratianis de Burgo S. Sepulcri.
1456. Magnif. et gener. miles D. Baptista de Castaldensibus de Corneto.
Spetab. vir Cicchinus Vici de Nobilibus de Marinata de Narnea.
Magnif. miles, et excellens LL. D. D. Gentilis de Clavellis de Gualdo Capitaneus.
1457. Nob. vir Gualterius de Zanforeniis de S. Angelo in Vado.
Spectab. vir Virilis de Virilibus de Civitate Castelli.
1458. Excellens miles D. Baptista de Castaldensibus de Corneto.
1459. Magnif. et generos. miles D. Amodeus de Justinis de Civitate Castelli.
Magnif. et generos. miles et comes D. Jacobus de Broccardis de Imola.

1460. Magnif. et gener. Eques D. Stephanus de Manasseis de Interamne.
1461. Magnif. et gener. miles et excellens LL. D. D. Laurentius de Justinis de Civitate Castelli.
Magnif. miles D. Johannes de Magalottis de Civitate Castelli.
1462. Magnif. et gener. Eques et excellens LL. D. D. Blasius de Cardulis de Narnea.
Magnif. et generosus Eques D. Gnilielmus de Pagiellis de Vicentia.
Nob. vir Gualterius de Zamponeriis de S. Angelo in Vado.
1463. Magnif. et gener. Eques D. Alexander de Alesandris de Saxoferrato.
1464. Magnif. Eques et eximius LL. D. D. Marinus Petri de Manerjis de Aquila.
Magnif. Eques et Comes Palatinus D. Antonius de Manasseis de Interamne.
1465. Magnif. et gener. miles D. Ranerius Francisci de Captaneis de Burgo S. Sepulcri.
1466. Magnif. Eques D. Ugonus de Ariostis de Ferraria.
Spectab. miles D. Franciscus de Gabrielibus de Eugubio.
1467. D. Gaspar de Grassis de Bononia Legum Doctor.
Magnif. Eques et Jurisconsultus D. Ranerius de Maschis de Arimino.
1468. Spectab. et gener. vir D. Hieronymus de Lavagnolis de Assisio.
Spectab. miles et excellens LL. D. D. Petrus de Manariis de Saxoferrato.
1469. D. Lucas de Provenzanis de Visso LL. D.
D. Henricus de Panicis de Petrasancta Jurisconsultus.
1470. Magnif. et gener. Eques D. Angelus de Isileriis de Esio.
Magnif. Eques D. Johannes Perottus de Perottis de Saxoferrato.
1471. Nob. et Magnif. Comes Marcus de Cerretanis de Interamne.
Magnif. miles et Comes D. Petrus de Falconeriis de Asculo.
Magnif. et gener. vir Franciscus de Tucciarellis de Aretio.
1472. Magnif. vir D. Almericus de Almericis de Pisauro LL. D.
Magnif. miles D. Antonius de Bichis de Senis.
1473. Magnif. Comes Petrus Paulus de Monteacuto.
Magnif. Eques et Doctor D. Petrus Franciscus de Barbulanis de Monteacuto Comes.
1474. Magnif. Eques D. Johannes de Pandolphutiis de Civita Castellana.
Magnif. Eques D. Johannes Ranerius de Raneriis de Nursia LL. D.
1475. Magnif. Eques D. Carolus de Maneriis de Aquila.
Praeclaris. Jurisconsultus et generosus Comes D. Bartholomaeus de Paganutiis vel de Gautiis de Montepolitiano.
D. Johannes de Grifis de Pisis. (Obiit Recanati. Frater fuit D. Leo-

nardi Grifi Locumtenentis Marchiae Anconitanae, qui consequenter et ipse Pisanus fuit, non Mediolanensis, non Romanus. V. Sarti de Episc. Euguh. p. 10.)

1476. Magnif. vir et gener. Comes D. Tiberius de Futiis de Montepolitiano.
1477. Strenuus miles D. Marinus Peri de Maneriis de Aquila.
Nob. vir D. Johannes Berardinus de Agnellis de Pisis.
1478. Magnif. et gener. vir D. Antonius de Camerlenghis de Luca.
D. Arditus de Coccovagis de Orte.
1479. Clariss. Juris utriusque Doctor D. Bartholomaeus de Pelagattis de Sartiano Civis Senensis.
Clariss. Juris utriusque Doctor et miles D. Cyprianus de Antoninis de Fulgineo.
1480. Magnif. miles D. Massius de Maldentibus de Forlivio.
D. Johannes Pensus Panormitanus de Senis.
1481. D. Antonius de Carrariis de Sora.
1482. D. Johannes de Sellis de Forlivio Vicepotestas.
Clariss. Eques et Doctor D Joannes de Passarinis de Nursia Vicepotestas.
D. Bernabeus Antonii de Silvestris de Pisauro.
1483. D. Galeottus de Arimino Vicepotestas.
D. Joannes Bernardinus de Agnellis sive Angelis de Pisis.
1484. Magnif. Eques D. Hieronymus Panfilius de Eugubio.
Magnif. vir D. Prosper de Mancinis de Cavi.
1485. D. Bartholomaeus de Tostis de Camplo.
1486. Magnif. Eques D. Rodulfus de Boutadosis de Montefalco.
1487. Magnif. Eques D. Carolus Manerius de Aquila.
Magnif. Eques D. Tiberius de Futiis de Montepolitiano Comes et Doctor.
1488. Magnif. Eques et Comes D. Andreas de la Serena de Senis.
1489. D. Franciscus de Philippis de Montefalco Doctor et Eques.
Magnif. Eques D. Dominicus de Cardulis de Narnia.
Magnif. et gener. Eques D. Ranerius D. Marini de Raneriis de Nursia.
1490. Magnif. Eques D. Caesar Malverinus de Viterbio.
D. Jacobus de Passarinis de Nursia.
D. Callistus de Futiis de Civitate Castelli.
1491. Magnif. Eques D. Jacobus Scottus de Placentia.
D. Thomas de Guidutiis de Urbino.
D. Octavianus Senilis de Montefalco.
1493. Magnif. Eques et I. U. D. D. Marinus de Alexandris de Saxoferrato.
Magnif. Eques et I. U. D. D. Julianus de Montegranello de Eugubio

Magnif. Eques et I. U. D. D. Perdonatus de Chitanis de Cesis.
1494. Magnif. Eques et I. U. D. D. Johannes de Valeriis de Mediolano.
Magnif. Eques et I. U. D. D. Albertus Leonelli de Spoleto.
1496. Magnif. Eques D. Bartholomaeus de Tostis de Camplo.
Clariss. LL. D. D. Marinus de Marinis de Aretio, civis Saxoferratensis Capitaneus.
1497. D. Ludovicus Confidatus de Gualdo Capitaneus.
1498. Magnif. Eques Jacobus Borromeus de Padua.
Nob. et potens vir D. Persimon Isilerii de Esio.
D. Perdominicus de Melis de S. Victoria Judex.
D. Joannes Antonius Jampede de Fabriano Judex.
1499. Magnif. Eques D. Hieronymus Bontadosus de Montefalco.
Magnif. Eques D. Joannes Baptista de Bosiis de Faventia.
1500. D. Persimon Isilerius de Esio.
Magnif. Eques et Doctor D. Jacobus de Passarinis de Nursia.
1501. Magnif. Eques et Doctor D. Silvester Baldulus de Fulgineo.
Magnif. Eques et Doctor D. Joannes Rainerius de Raineriis de Nursia.
Magnif. Eques Bonjohannes Marini de Cunbero.
1502. D. Alexius Romanus.
D. Nicolaus Lelii.
1503. D. Macarius Mutii de Camerino.
1504. D. Nicolaus Saccus de Sirolo frater Joannis Archiepiscopi Ragusini.
1505. Magnif. Eques D. Joannes Baptista Ruccigliao sive Occialai sive de Oricellariis de Florentia.
Magnif. D. Sebastianus de Montegranello de Eugubio.
1506. Magnif. et gener. Eques et LL. D. D. Augustinus de Tartis de Salis districtus Papiae.
Magnif. Eques D. Persimon Ysilerius de Esio.
1507. Magnif. Vir Eques praestantissimus et LL. D. D. Fabius de Alavolinis de Roccacontrada.
1508. Magnif. vir D. Felix de Lucidis de Trevio.
1509. D. Nicolaus de Brancaleonibus de Castello.
D. Mastinus de Captaneis (alibi de Mastinis) de Burgo S. Sepulchri.
1510. D. Joannes Baptista de Legistis de Aquila.
Magnif. vir et Eques D. Ascanius de Cuppis de Montefalco.
1511. D. Robertus Butii de Cesenis.
D. Julius de Equitanis de Cesis.
1512. D. Felix Lutii de Trevio.
D. Joannes Rainerius de Raineriis de Nursia.

1513. D. Angelus de Galatio de Aquila.
D. Pernicolaus de Filiis de Cesis.

1514. Magnif. Eques et Comes et clariss. J. U. D. D. Ranaldus de Angelinis de Calassio de Aquila.
D. Joannes Franciscus Bonanni de Saxoferrato Eques et Comes.

1515. D. Desiderius Gratianus de Montemonacho.
D. Jacobus Ricciardellus de Arimino.
D. Bernardinus de Bonis auguriis Eques Romanus.
D. Caesar de Asciariis de Clusio.

1516. D. Philippus D. Jacobi Borromaei Patavinus.
D. Franciscus Ser Benedicti de Ortona.
D. Pernicolaus de Filiis de Cesis.

1517. D. Dominicus de Tassis de Bergamo D. Aloysii Episcopi frater.

1518. D. Hieronymus de Senilibus de Montefalco.
D. Julius Grifonellus de Amandula.
D. Antonius Amorattus de Monte Granario.

1519. Nob. vir Eques auratus D. Philippus Borromeus Patavinus.
1. *Junii Leo X Gubernatorem perpetuum Civitatis Recanatensis, et Almae Domus Lauretanae creat Cardinalem Bernardum Divitium de Bibiena.*
R. P. Romualdus Lucae de Massatio Abbas S. Bartholomaei de Campo fullonum *Gubernator*. Obiit die 2. Augusti 1520.

1520. Rmus D. Raynaldus Cancellarius Episcopus S. Angeli Lombardorum Ecclesiae Lauretanae, et Civitatis Recanatensis *Gubernator*.

1520.–1521. Excellens LL. D. D. Federicus Ondedeus de Eugubio Potestas.
D. Franciscus Salimbrunus de Forlivio I. U. D. Locumtenens D. Raynaldi Episcopi S. Angeli.

1522. D. Franciscus Vacca Romanus Eques.
Generosus Eques auratus D. Antonius Malaspina de Asculo.
2. Junii D. Joannes Antonius Neronius de Spoleto Commissarius, et *Gubernator* Almae Domus, et Civitatis Recanatensis.

1523. Magnif. D. Piersimon Isilerii de Aesio.
R. D. Petrus Flores Episcopus Castelli a Mare *Gubernator* Almae Domus, et Civitatis Recanatensis.
D. Desiderius de Gratianis de Monte Monacho.

1524. 13. *Januarii Civitas Recanatensis eximitur a jurisdictione Gubernatoris Lauretani, ac subjicitur denuo Legato Provinciae.*
D. Vincentius Zaccheus de Spoleto Eques, et I. U. D.
Magnif. Eques D. Desiderius de Gratianis de Monte Monacho.

1525. 1526. Magnif. et generos. Eques D. Joannes Baptista Florius de Fabriano.
1527. Magnif. et gener. Eques D. Desiderius de Gratianis de Monte Monacho.
Magnif. et gener. D. Leonus Gratianus de Burgo S. Sepulchri.
1528. Magnif. et gener. Eques D. . . . . Malaspinae de Asculo.
Excellens LL. D. D. Joannes Cicconus de Salimbenis de Monte S. Mariae in Cassiano Vicepotestas.
1529. Magnif. et eximius LL. D. D. Innocentius Pallarinus de S. Genesio.
D. Lelius Taurellus de Fano. (Vide de eo Manni T. IX. sigill. XIII.)
1530. Magnif. D. Galeottus Massarotti de Orti.
D. Anselmus Fatibonus de S. Gemino, collateralis.
Magnif. D. Aurelius de la Roma de Lanciano.
1531. Excellens LL. D. D. Guidus Antonius de . . . . de Rocchettis in Sabina.
D. Baptista Sanctutius de Urbino.
Magnif. D. Galeazzus Crispinus de Forlivio Vicepotestas.
1532. Magnif. vir D. Felix Lutii de Trevio.
Magnif. vir D. Antonfranciscus de Lombardis de Trevio.
1533. Magnif. D. Johannes Baptista de Valentibus de Trevio Locumtenens.
1535. D. Michael Machirellus de Imola.
1536. Magnif. D. Philippus de Parentibus de Florentia.
1537. Magnif. et gener. vir I. U. D. D. Franciscus Caldaronus de Faventia.
Magnif. D. I. U. D. D. Innocentius Sorbolongus de Foro Sempronii.
1538. D. Andreas Maximi de Roccacontrada.
1539. et 1540. D. Marius Florius Locumtenens Card. Rudolfi Pii Carpii.
1541. D. Franciscus Castaneus Eques Romanus.
Magnif. et gener. vir D. Joannes Baptista Baldi de Senis.
1542. D. Bentivolius . . . . de Fano.
D. Gregorius Tutius de Eugubio.
1543. D. Vincentius n Via montium Urbevetanus.
Magnif. vir I. U. D. D. Philippus Cataneus de Arimino.
1544. Magnif. D. Bartholus de Girardis de Montebodio I. U. D.
Magnif. D. Darius Pozalinus de Imola.
1545. D. Nicolaus . . . .
D. Joannes Baptista de Valentibus de Trevio.
1546. Magnif. D. Garzias Paetus Lusitanus.
Magnif. D. Oliverius Janninus de Praesidatu.
1547. Magnif. D. Hieronymus de Zambellettis de Ravenna.
1548. D. Lutius Francolinus de Montebodio.
D. Guidus Guzolus de Faventia.

1549. D. Robertus . . . . . Rosatus de Firmo.
D. Lucius . . . . . de Forosempronii.
D. Agapetus de Grassis de Spoleto.
1550. D. Jacobus Archangeli de Montenovo I. U. D.
Julius III confirmat Recanatensibus jus eligendi Potestates, eorumque Officiales; quod anno 1556. Paulus IV, et anno 1563. die 9. Junii S. Carolus Borromaeus Marchiae Anconitanae Legatus ratum habuere.
1551. Magnif. I. U. D. D. Caesar Albizinus de Civitate Castelli.
1552. Magnif. D. Vincentius Baccilus de Firmo I. U. D.
1553. Maj. Magnif. D. Medardus Gambutus de Assisio I. U. D.
Magnif. D. Marcus Veggius sive Vectius de Ameria.
1554. Clariss. I. U. D. Ulisses Petronius de Leonessa.
1555. Magnif. D. Christophorus Burlinus de Forosempronii I. U. D.
D. Paduanus Ugolinus de Assisio.
1556. D. Petrus Celsus de Monterubbiano.
1557. D. Octavianus Gratiosus de Montebodio.
D. Hortensius Morolus de Serra S. Quirici.
1558. Magnif. D. Benedictus Victorius de Arimino I. U. D.
1559. D. Saulus Roncus de Modena.
D. Joannes Dominicus Brutus de Cingulo.
1560. D. Gaspar de Vitalibus de Pisauro.
1561. D. Joannes Baptista Roberti de Brixia.
D. Pyrrhus Gratianus.
D. Joannes Baptista Massani de Germano (Grinano) de Arimino.
1562. D. Horatius Salimbene de Sarnano.
D. Caesar Abbatissa de S. Severino Neapolitanus.
D. Joannes Paulus Nutii de Eugubio.
1563. D. Caesar Barzellinus nobilis Bononiensis.
D. Petrus Pagnonus nobilis Venetus.
D. Perjoannes Fagnanus de Arimino.
1564. D. Emilius de Orto.
D. Franciscus Costa de Assisio.
D. Franciscus de Nursia.
1565. D. Philippus Sega nobilis Bononiensis.
D. Joseph Buglionus de Fano.
1566. D. Joannes Baptista Tachinus de Forosempronio.
1567. D. Orpheus Laurentinus de Monte Erbaro.
D. Macarius Maccaronus.
D. Joannes Baptista Lisnardi de Carpo

1568. D. Paulus Ursinus de Alatro.
D. Hortensius Manareus de Saxoferrato.
1569. D. Corradus Bellarminus de Montepolitiano.
D. Marinus Brunettus de S. Elpidio.
1570. D. Laurentius Taurusius.
1571. D. Fabritius Bracciolinus de Pistoja.
1572. D. Hortensius Manareus de Saxoferrato.
D. Attilius Mancinus Cortonensis
D. Antonius Maria Tartagna.
1573. D. Carolus Verla Romanus.
1574. D. Hercules Peregrinus Bononiensis.
D. Dominicus Joctus de Firmo.
D. Bernardinus Herculanus Bononiensis.
D. Thaddaeus de Sartis Bononiensis.
D. Rogerius de Rugeriis de S. Severino.
1575. D. Camillus Merolus de Serra S. Quirici.
D. Aurelius Perius Januensis.
D. Mondutius Ghiandenghi de Roccacontrada.
1576. D. Tiburtius Baccarius de Velletro.
1577. 1578. D. Nicolaus Segadinarius Bononiensis.
1579. D. Julius Caesar Bambinus de Fano electus uti et sequentes a Cardinali Philippo Boncompagno.
1580. D. Joseph Bartolus de Clngulo.
1581. D. Andreas Luschi de Mondavio.
1582. D. Monaldus Vigilantis de Assisio.
1583. D. Petrus Ricinius de Urbino.
Magnif. et excellens I. U. D. D. Galfius Simonettus de Interamna.
D. Bernardinus de Rubeis de Ravenna.
1584. D. Rogerius Odorisius de Visso.
1585. D. I. Fabius Rainutius Maceratensis.
D. Joannes Martini de Castro guardiae.
1586. D. Dominicus Ghiottus de Firmo.
1587. Magnif. et illustris D. Fulvius Passarinus de Cortona.
1588. Magnif. D. Leonardus . . . . . . de Pisauro I. U. D.
D. Marcus Aurelius de Prosperis de Scurcula.
1589. Magnif. D. Julius Caesar Ultramontanus Neapolitanus I. U. D.
1590. D. Franciscus Palmerius Spoletanus.
1591. D. Annibal Benignus de Camerino I. U. D.
1592. Magnif. et excellens D. Romulus Venturellus de Lauro.

1593. Magnif. et excellens D. Franciscus Narc de Massa.
1594. Magnif. et excellens D. Michelangelus Riecius.
1595. Magnif. D. Antonius Bonfiolus Nob. Bononiensis I. U. D.
1596. Illmus D. Livius Saginatus Senogalliensis I. U. D.
1597. Illmus D. Octavianus Castracanus.
1598. —— D. Christophorus Merlinus Foroliviensis.
1599. —— Idem prorogatus.
1600. 1601. D. Fridericus Adami nobilis Firmanus.
1601. —— D. Octavius Carluccius de Magliano (Regni Neapolitani).
1602. Perill. et Rmus D. Marcus Antonius de Magistris de Sonnino I. U. D. Protonotarius Apostolicus.
1604. Magnif. vir Decius Longus I. U. D.
1605. Magnif. D. Joannes Baptista Savinus Nob. Camers.
1606. Magnif. et excellens D. Nicolaus Clementinus Ariminensis.
1607. Magnif. et excellens D. Caesar de Alexiis I. U. D.
1608. Ill. et admodum excellens D. Octavius Ursinus Nobilis Romanus.
1609. Ill. et admodum excellens D. Bernardinus de Montibus Firmanus.
1610.–1612. Ill. et admodum excellens D. Laelius Milliarius Nob. Ferrariensis I. U. D.
1613. —— » —— D. Franciscus Ciavarnella.
1614. —— » —— D. Alfonsus Catanius.
1617. —— » —— D. Octavius Checconius.
1619.–1621. » —— D. Felix Donatus Romanus I. U. D.
1621. Ill. et admodum excellens D. Joa. Paulus Caccia Romanus I. U. D.
1622.–1624. Perillustris et admodum excellens. D. Adrianus de Adrianis de S. Elpidio I. U. D.
1626. —— » —— D. Baccius Gaddius.
1627. —— » —— D. Franciscus Maria Merlinus.
1628. —— » —— D. Joannes Petrus Olevarius.
1629.–1632. » —— D. Camillus Staccolus.
1633. Perill. et Rmus D. Cristophorus Peutinger Augustanus Protonot. Apost. qui hoc ipso anno Praepositus Ecclesiae Collegiatae S. Stephani Civitatis Constantiae creatus est.
1635. Perill. et excellens D. Pompejus Compagnonius Maceratensis.
—— » —— D. Andreas Massa *Gubernator*.
1636. —— » —— D. Marius Baldinottus.
1638. —— » —— D. Carolus Faber.
1640. —— » —— D. Brancondius Brancondii de Ofida.
1642. Perill. et Exemus D. Franciscus Jacintus Romandiolus Nob. de Cesena I. U. D.

1644. Perill. et Excm̃us D. Tarquinius Placidus.
1645. —— » —— D. Fabius Tempestinus a Monte Falco.
1647. —— » —— D. Franciscus Hyacinthus Romandiolus.
1649. —— » —— D. Camillus Lili Camers.
—— » —— D. Hieronymus Mastrus.
—— » —— D. Joannes Antonius Franeischinus.
1650. —— » —— D. Joannes Baptista Galli Auximanus.
—— » —— D. Alexander Caimus Nobilis Mediolanensis.
1651. —— » —— D. Gaspar Franciscus Fonseca.
—— » —— D. Franciscus Maria Herculanus Maceratensis.
1652. —— » —— D. Carolus Guilelmus Ingenierius Papiensis
1653.-1658. » —— D. Aloysius Riga de Amandula.
1658. Perill. et excellens D. Marianus Cuccinus Romanus.
1659. —— » —— D. Rodulfus Leopardus de Monte S. Martini.
—— » —— D Abbas Joannes Valentinus Caferri de S. Victoria.
1660. Perill. et Excm̃us D. Antonius de Abbatibus de Eugubio.
1661. —— » —— D. Silvius Urbanus de Apiro.
1663. —— » —— D. Joannes Franciscus Collaterali.
—— » —— D. Bernardinus Blancus Montieulanus. (de eo Bibl. Picen. T. 2.)
1666. Ill. et Rm̃us D. Nicolaus de Juvenibus Matelicas.
1667. —— » —— D. Joannes Sallustius Victorius de Gualdo.
1669. Perill. et Excm̃us D. Julius Pigna nobilis Romanus.
Illm̃us et Rm̃us D. Rugerius Cajetanus.
1672. Perill. et excellens D. Ferdinandus Galvanus nobilis Romanus.
1677. —— » —— D. Laurentius Philippus Bardinus.
—— » —— D. Eusebius Philippus Nobilis.
1688. —— » —— D. Felicissimus Spadetta.
—— » —— D. Joseph de Angelis.
1691. —— » —— D. Fulvius Vari.
1692. —— » —— D. Cyprianus Antonius Cypriani.
1693. —— » —— D. Petrus Paulus Marinangeli Monteluponensis.
—— » —— D. Antonius Jacobus Perozzi.
—— » —— D. Joseph Vinci.
1694. —— » —— D. Julius Pavoni.
—— » —— D. Andreas Vitali.
1700.-1705. » —— D. Laurentius Aloysius Benveduti.
1707. —— » —— D. Antonius Marini.
1709. —— » —— D. Petrus Maria Bragaldi.
1710. —— » —— D. Joannes Franciscus Tetii.

1712. Perill. et excellens D. Hyacinthus de Gigantibus.
1715 —— » —— D. Fridericus Aromatarii.
1716. —— » —— D. Dominicus Bernardus Agostini.
1720.–1725. » —— D. Annibal Micalones.
1726. —— » —— D. Joannes Antonius Romagnoli.
1727.–1735. » —— D. Vincentius Antonius Lunertus.
1736. —— » —— D. Philippus Antonius Mallius.
1739. —— » —— D. Petrus Paulus Sperelli.
1742. —— » —— D. Hieronymus Farroni.
1744. —— » —— D. Marius Benvenuti.
1749. —— » —— D. Nicolaus Montanari.
1752. —— » —— D. Paulus Riccomanni San-genesinus.
1758.–1765. » —— D. Cajetanus Maroni.
1766.–1771. » —— D. Claudius Agostini Aveduti.
1780.–1797. » —— D. Josephus Corradini Urbinas.
1797.–1798. » —— D. Ludovicus Adriani Fanensis.
1798.–1800. » —— D. Josephus Antonius Qualeatti Trevensis.
1800.–1802. » —— D. Gaspar Sabbatini de Montenovo.
1803.–1804. » —— D. Joannes Baptista Martini de S. Victoria.
1805.–1808. » —— D. Aloysius Zacchiroli Imolensis.

XXIV. Originem vidimus Ecclesiae, et Episcopatus Recanatensis. Sequitur, ut de membris, e quibus illa constat, disseramus. Quaenam haec fuerint inde a primordiis luculenter docet Innocentius IV in Bulla data Lugduni die 22. Martii An. 1249., qua Ecclesiam Recanatensem, omnesque ejus possessiones et Ecclesias ad eam spectantes sub B. Petri, et Sedis Apostolicae protectione suscepit, cui Bullae Pontifex ipse cum septem Cardinalibus subscripsit. [1]

Fuerunt igitur Episcopo Recanatensi subjectae Ecclesiae sequentes. quas eo ordine, quo in Bulla ipsa leguntur, exhibemus. [2]

Ecclesia S. Flaviani (1)
Monasterium S. Joannis in Pertica. (2)

---

[1] Apographum Saec. XIII. in membrana exaratum extat in Archivo Ecclesiae Auximanae Litt. A.

[2] Nulla hic mentio fit, ut monuimus superius, Ecclesiarum, quae immediate Romano Pontifici, aut quae Monasteriis a jurisdictione Episcopi exemptis parebant.

(1) Ecclesia est Cathedralis.

(2) Extra Portam Romanam vulgo *Beato Placido*.

Ecclesia S. Viti. (3)
Ecclesia S. Mariae de Varano. (4)
Ecclesia S. Mariae de Monte. (5)
Ecclesia S. Laurentii de Montezotto. (6)
Ecclesia S. Joannis in Arculo. (7)
Ecclesia S. Laurentii. (8)
Ecclesia S. Michaelis. (9)
Ecclesia S. Petri. (10)
Ecclesia S. Martini. (11)
Ecclesia S. Mariae de Ursis. (12)

Ecclesiae Urbanae

S. Jacobi (13)
S. Simonis. (14)
S. Joannis de Monte. (15)
S. Luciae. (16)
S. Angeli. (17)
S. Georgii. (18)
S. Salvatoris. (19)
S. Gregorii. (20)
S. Michaelis. (21)
S. Severini. (22)
S. Jacobi. (23)

---

(3) Ubi olim Collegium PP. Jesuitarum.
(4) Extra Portam Lauretanam Conventus PP. Minor. Observaut.
(5) De Civitella prope Lauretum.
(6) Prope Lauretum.
(7) Sive *Portus*. Ecclesia Parochialis intra Castrum, nunc diruta.
(8) In Contr. *Valdice*, sive putei in prato.
(9) *S. Michaelis ilcis* in Strata maris, de qua mentio in chartis 1391. 1406.
(10) Ecclesia S. Petri *de Cardeto*.
(11) *De aqua Sancta* versus Potentiam.
(12) In colle sita fuit Lauretum inter et Portum Recanatensem Monachis Claravallensibus Flastrensibus olim subjecta.
(13) *De porta murata* in Civitate Recanatensi.
(14) Beneficium translatum fuit in Ecclesiam S. Luciae.
(15) Extra portam S. Francisci.
(16) De Platea, olim Parochialis.
(17) De Platea, olim Parochialis, nunc *S. Annae* vulgo dicitur.
(18 19 20) Omnes sitae fuerunt in foro, sive platea magna Civitatis Recanatensis haud procul a Curia, sive Palatio urbis.
(21) De Ponticello, nunc vulgo *Suffragii* dicta.
(22) Nunc *S. Caroli Borromaei*.
(23) De Monte Morello juxta portam *della peso*.

S. Michaelis de Montemorello. (24)
S. Mariae de Platea. (25)
S. Stephani. (26)
S. Maroti. (27)

In Territorio

Ecclesiae S. Savini (28)
S. Lazari (29)
S. Petri de la Piano. (30)
S. Johannis de Strata. (31)
S. Petri Blandonicis. (32)
S. Victoriae. (33)
S. Salvatoris in Curte. (34)
S. Laurentii. (35)
S. Andreae. (36)
S. Mariae de Cerro. (37)
S. Martini de Morlongo. (38)
S. Stephani de podio. (39)
S. Philippi. (40)
S. Mariae de Montazzano. (41)
S. Stephani. (42)
S. Stephani de Montazzano. (43)

Singulae cum pertinentiis suis.

---

(24) Ubi nunc Sorores Capuccinae.

(25) Ecclesia Parochialis dicta Montis Morelli.

(26) Nunc Ascterium Sanctimonialium Ordinis S. Clarae Observantium.

(27) Eo in loco ubi hortus est Sororum Capuccinarum.

(28) Extra portam Montis Morelli, in via, quae ducit ad molendina.

(29) In fundo *S. Lazari* 1384. 1414. ad pontem Potentiae.

(30 31 32 33) Existebant hac Ecclesiae anno adhuc 1384. nunc vix nomen superest eo in loco, ubi sitae fuerant, et quidem primae in regione *S. Petri* juxta viam molendinorum, alterius in regione dicta *Campi longi*; tertiae, et quartae eo in loco, qui etiamnum *S. Victoriae* dicitur.

(34) Intelligitur Ecclesia *S. Salvatoris*, quae sita erat prope viam, qua ad oppidum Montis Sancti proficiscimur. Alia Ecclesia S. Salvatori Sacra extitit olim in regione *Vicinoti*, alia in platea magna urbis.

(35) In contrata *Collilongi*, sive vallis ilicis.

(36) Juxta stratam maris, alias *viae novoe*, sive Marconicis in *valle cerri*.

(37) Ad monasterium vallis castri olim pertinuit.

(38) In colle ad dexteram viae, qua Laureto ad Portum Recanat. itur.

(39) Hujus quoque *Podii*, ubinam fuerit, periit memoria.

(40) De Montcazano, de qua in Bulla 1184. Lucii III. pro Abbatia Vallis fucinae apud Turchium. Ann. 1290-99. dicitur Ecclesia S. Philippi de Castro S. Martini.

(41 42) Harum Ecclesiarum ipsa interierunt vestigia.

(43) In Contr. de *contra*.

Quamplurimae ex his Ecclesiis interierunt, ita ut nonnullarum ex iis nec vestigium quidem supersit. Aliae quaedam existunt adhuc mutato nomine, ut ex notulis intelligitur, quas subjicimus.

Illud etiam observari volumus, nullas in hoc privilegio recenseri Ecclesias Auximanae olim Ecclesiae subjectas, quamvis Pontifex Gregorius IX majorem earum partem uti et civitatem ipsam Auximanam Recanatensi Episcopo regendam commiserit. Attamen ex monumentis Cingulanis, Ecclesiam S. Jacobi de plagia Insulae prope Cingulum anno adhuc 1253. Recanatensi Dioecesi adscriptam fuisse, deprehendimus.

Extiterunt apud Nos saeculo XIII. praeter Templa superius enumerata, quae Praesbyterorum saecularium erant, Monasteria *S. Mariae Castri Novi* Monachorum Avellanensium, *S. Joannis in Pertica* Benedictorum, *S. Mariae de Varano, S. Mariae Montis Ursi* Cisterciensium, et *S. Mariae Pedis Potentiae* Cruciferorum, quibus postea accesserunt Coenobia Fratrum, qui S. Francisci, S. Dominici, et S. Augustini instituta sequuntur. Extiterunt Monasteria Mulierum, *S. Agathae extra portam Cerasiam, S. Matthaei de Fonte novo, S. Catharinae, S. Mariae Magdalenae extra portam muratam* sive extra *portam S. Francisci, S. Nicolai extra portam Marinam, S. Crucis de preta cavata*, et *S. Joannis de Laureto*, sive *de Monte Ciotto*, ne quid dicam de Cellis singularibus, quae *Carceres* vocabantur.

Bellorum civilium furor effecit, ut petitis urbibus et locis munitis, derelinquerentur ab incolis rura, silvaeque pro villis et agris solerter cultis passim succrescerent, desererentur etiam, aut exscinderentur Ecclesiae et Monasteria, quae extra oppida aedificata fuerant. Quo factum est. ut de quadraginta et amplius Ecclesiis ab Innocentio IV commemoratis vix tresdecim adhuc supersint aut quatuordecim.

XXV. Reliquis Ecclesiis Recanatensibus ut dignitate sic antiquitate praeeminet Ecclesia *S. Flaviani* anno 1240., ut diximus, in Cathedralem erecta.

Notavimus superius Ecclesiam eidem S. Flaviano dicatam extitisse olim in agro Recanatensi haud procul a via, quae ducit Auximum. Ecclesiam hanc ad S. Petri patrimonium pertinuisse ostendit liber Cencii Camerarii, e quo habemus persolutos pro ea fuisse Ecclesiae Romanae singulis annis denarios XII. Quo tempore vetusta illa Ecclesia, cujus hodie vix Saxa quaedam dispersa supersunt, destructa fuerit, nullibi invenimus annotatum. Circa saeculi tamen XII. finem id contigisse conjicimus. Tunc enim ob urgentia bella Ecclesiae rurales, villae, et Castella minora passim exscindebantur translatis ad loca munitiora incolis. Ili vero novas sedes exornare solebant Ecclesiis, quibus dirutarum, aut relictarum Aedium sacrarum jura, bona, et nomina adjiciebantur. Quo pacto diruta veteri illa, et

campestri Ecclesia, novam S. Flaviani intra moenia aedificatam fuisse aedem vero simillimum est. [1]

Enimvero cum anno 1240. nova jam extiterit intra oppidum Recanatense S. Flaviani Ecclesia, quae Sedes Episcopatus evasit, cumque antiquioris nomen in Bulla Innocentii IV An. 1249. neutiquam legatur, eam jam tunc eversam, aut saltem derelictam fuisse liquido patet. Loco autem, ubi extiterat, nomen ad hanc usque diem remansit *S. Flaviani vecli seu veteris.*[2]

Antiquissimus porro est, ac longe lateque in his regionibus diffusus S. Flaviani cultus. Vix enim civitas est, in cujus finibus templum ei dicatum non fuerit. Celebris est Abbatia Rambonensis, cui titulus fuit *S. Mariae et S. Flaviani;* occurrunt in chartis medii aevi *Abbatia S. Flaviani* in oppido Montis Rubiani; *Praepositura S. Flaviani* de Rocca Maji in dioecesi Camerinensi; *Plebs S. Flaviani* de Ruvitino, quae nunc possidetur ab Episcopis Montaltensibus, *Ecclesiae* S. Flaviani Cinguli, S. Ginesii, Massignani etc.

Castrum S. Flaviani dicebatur olim Oppidum provinciae Aprutinae, ubi Cluverius aliique *Castrum* Romanorum Coloniam vetustissimam extitisse affirmant, quo ab hostibus exciso et ab incolis derelicto haud procul inde *Julia nova* condita fuit, ubi nunc, ut ajunt, Corpus S. Flaviani Patriarchae Constantinopolitani adservatur et colitur translatum illuc a *Julio de Aquaviva Duce Adriae* circa annum 1455., si qua fides habenda sit rudibus quibusdam versiculis marmori olim, ut fertur, inscriptis, quorum varia circumferuntur exemplaria multum a se invicem discrepantia.[3]

---

[1] Exemplum vide T. XXX. Antiq. Picen. Cl. D. Josephi Colutil p. 108. translationis Ecclesiae S. Valcutini castri Montis Rodaldi in Terram S. Victoriae, aliudque apud eumdem T. XXXI., ubi facultas conceditur destruendi Ecclesiam ruralem *S. Severini de Blotenano*, aliamque intra Castrum Montis Elpari extruendi, quae eidem Sancto dicata esset, iisdemque juribus frueretur, quibus ruralis illa gavisa fuerat.

[2] Rudera ejus superfuisse videntur saeculo adhuc XV. Etenim in protocollo Ser Antonii Jannis An. 1415. p. 85. 1.° mentio fit *Foveae a grano* in quarterio S. Mariae ante Ecclesiam *S. Flaviani veteris.*

[3] Aliud enim est quod Ughellius edidit, aliud extat penes D. Josephum Riluccenti Patricium Asculanum in charta pergamena exaratum. Aliud vidi in Codice M. S., qui adservatur in aedibus Confaloneriorum Recanati, quod ob lituras et interpolationes, quibus perlitum est, autographon esse videtur auctoris, qui saeculo XVI. exeunte vixit. Carmen hoc insulsum, atque Cicarellianis mercibus adnumerandum secundum exemplum Asculanum hoc est:

Anno Dei quatricenteno
atque primo quinquageno
Imperatrix Galla luxit,
quae *huc* Flavianum conduxit
per mare patriarcham
interclusum in Arcam

Cultus a majoribus nostris de S. Flaviano exhibiti monumentum superest Statua ejus marmorea saeculi, ni fallor, duodecimi opus. Hanc olim in facie Templi super foribus majoribus positam fuisse existimo, remotam vero cum Palatium Episcopale a Benzonio Episcopo extrueretur. Reperta est Anno 1793. lamina plumbea Statuae basi adfixa, in qua haec legebantur: *Fr. Augustinus S. R. E. Presbyter Card. de Aracoeli Recineten. et Lauret. Antistes vetus simulacrum S. Flaviani atque ejus* DEDICATIONIS MEMORIAM *ante M., et amplius annos in antiqua basi incisam contra temporis injuriam restaurari, et in hac plumbi lamina renovari fecit anno Domini* 1619.

Verum dolendo fato periit basis, deestque in lamina dedicationis memoria, quam in ea transcribi voluerat Cardinalis Galaminius, ipsaque lamina, nescio qua de causa Romam missa fuit ibi custodienda.

Adservantur in Sacrario Basilicae praeter quamplurimas aliorum sanctorum Reliquias Brachia duo S. Flaviani, alterum inde a ducentis et amplius annis, (ut ex actis visitationis 1548. et 1587.) alterum cum parte cranii non exigua donatum fuit Ecclesiae nostrae Anno 1796. a Rňo D. Aloysio Pirelli Episcopo Aprutino rogatu Septimii Mazzagallii Collegii Canonicorum nostrorum Praepositi.

Gemina in honorem S. Flaviani festa celebrare consuevit Ecclesia Recanatensis, alterum die 18. Februarii, introductum, ut arbitror, Anno 1611., cum ex decreto Synodi digereretur Calendarium dioecesanum. Sed nullam obtinuit aut vacationem a laboribus servilibus, aut majorem in ecclesiasticis officiis solemnitatem. Decantabantur horae Canonicae ritu duplicis minoris ob beneficium et altare S. Flaviano in Templo Cathedrali dicatum ab Altaristis solis (Canonici enim ferialibus diebus in Choro nondum conveniebant) donec Anno 1700. die 21. Octob. Laurentius Gherardius motus precibus Canonicorum Missam, et Vesperas solemniter ab universo Basilicae Clero celebrandas esse constituit. Decretum hoc post brevem altercationem Capitulum inter atque Altaristas, qui morem antiquum servandum esse contendebant, confirmavit S. Congregatio Rituum die 3. Decembr. 1701.

Et dudum fui, quando
quarto (*et*) millesimo *ando* (anno, idest annis 4004. post. 451.)
Julius inde me asportavit.
Et ecce sum vobiscum
et juxta teneo *fiscum*
nomine castrum rego
cavete ne decipiar ego.

Exemplar Recanatense exornatum est in fronte notis quoque chronicis a creatione mundi, Olympiadum etc. more solemni impostorum.

Alterum S. Flaviani festum, et quidem solemniori ritu celebratur die 24. Novembris, quod solum antiquitus actum fuisse videtur cum Recanati et in Piceno, tum in Provincia Aprutina. Calendarium Firmanum vetustius a Catalanio editum ad diem praedictam festa commemorat SS. Elpidii, Valentini, Prosperi, *et Flaviani Martyris.* In Calendario Breviarii ad usum Fratrum Minorum An. 1334. conscripti (inter codices Biblioth. Raphael. Cingul.) ad diem 8. Kal. Decembris legitur *S. Flaviani Epscopi et Martyris.* Atque haec quidem calendaria *Flavianum Martyrem* hac die coli demonstrant. In codice vero manuscripto Martyrologii Usuardi, qui Parisiis apud S. Germanum adservabatur, quique (testibus Bollandianis ad diem 18. Februarii) circa annum 1240. exaratus fuit, sic habetur *VIII. Kal. Decembris . . . . Abrutio S. Flaviani Episcopi et Confessoris.* Ea ipsa die festum S. Flaviani *Episcopi et Confessoris.* agitur hodieque cum in Ecclesia Fulginatensi, tum in Theatina ubi insignes ejus reliquiae, imo ut volunt, corpus integrum habetur et colitur. Recanati vero festum S. Flaviani solemniter actum jam olim fuisse die 24. Novembris docet charta Nicolai Pisani Episcopi nostri An. 1365. conscripta quae extat in archivo. PP. Silvestrinorum Fabriani, docet liber actorum civilium Anni 1396. in archivo Recanatensium publico, annales Magistratuum libri, acta visitationis sacrae An. 1587. etc. Quae quidem argumento sunt non dubio, geminos vel ternos extitisse coelites sanctos quibus nomen *Flavianus*, quorum cultum eidem diei adscripsit olim Ecclesia: alterum *Martyrem*. eundem forsitan, cujus corpus An. 1222. inventum fuit atque honoratur Anconae (Hunc exhibere videtur sigillum Thesei de Cupis Episcopi Recanatensis, vertice nudo, simplici ac breviori vestitu indutum, librumque dextra et sinistra palmam praeferentem, unde Martyrem agnoscas clericum, non Episcopum); alterum *Confessorem*, et *Episcopum*, et quidem Episcopum, ni fallor, *Castri* coloniae Romanorum vetustissimae in provincia aprutina, quod aevo medio Episcopio [1] et sepulcro S. Flaviani insigne fuit, ac eam ob rem *castrum S. Flaviani* vocabatur. Episcopium postea ad Ecclesiam Interamniensem sive Aprutinam transiit; corpus autem sancti Episcopi destructo *Castro Juliam novam* translatum est. Hunc posteritas patriarcham Constantinopolitanum, et non-

---

[1] In placito, quod habitum est a. 1027, ac refertur ab Ughellio (T. 1. in episcopis Aprutinis), disceptatum fuit de rebus *Episcopi S. Mariae et S. Flaviani*, cui Carolus Imperator *pro mercede animae suae curtem de Montone* donavit, ut constat ex alio placito a. 897. (Ecclesia S. Mariae juxta mare sita fuit in suburbio S. Flaviani, ut docet charta a. 1108. Anno 1174. Atto ex *Archipresbytero S. Flaviani* Episcopus creatus est Aprutinus. (Ughelfius l. c.)

nulli, ut est in notis ad Martyrologium Romanum die quarta junii, Antiochenum fuisse existimarunt.

Certum est autem S. Flavianum, cujus memoria celebratur apud Recanatenses die 24. Novembris, pro *Martyre* nunquam non habitum fuisse. Videre hoc licet in charta Matthaei Episcopi Recanatensis An. 1249., qua Monasterium S. Mariae Magdalenae a dioecesana lege exemit indicta ei pensione unius librae cerae quae offerenda erat quotannis in festo *S. Flaviani Martyris.* Sic An. 1291. Salvus Episcopus itidem noster Dominicanis Tudertinis indulgentias concessit « *auctoritate B. Flaviani Martyris patroni nostri.* » Et Fridericus Episcopus An. 1310. die XII. Aprilis Ecclesiae S. Francisci de Corinalto *auctoritate beatorum martyrum Flaviani et Viti, quorum sumus obsequio mancipati.* (in archivo conventus PP. Conventualium Sarnanensis ut docuit me eruditus vir Stephanus Rinaldius ex ordine Minorum Conventualium.)

S. porrò Flavianum et Martyrem et Episcopum fuisse demonstrant calendarium illud quod diximus Raphaelianum et imagines ejus quae Recanati extant, antiquiores, ut statua, de qua superius, et sigilla Episcoporum quae vidimus, Angeli Mevaniensis, et Thomae Thomasellii, et effigies sarcophago Nicolai Astii, ac lapidi, qui honori dicatus est B. Bartholomaei Apostolini insculptae, qua quidem imagines omnes S. Flavianum exhibent eo vestitu indutum, quo Episcopos Occidentales recentioris aevi insignire Pictoribus et Statuariis usus est, nullo addito martyrii signo. Archiepiscopum vero constantinopolitanum fuisse Flavianum Recanatensium Patronum recens est opinio, cujus nullum extat documentum antiquius actis visitationum sacrarum An. 1587. [1]

Ante erectam Cathedralem Recanatensium Ecclesiarum princeps fuisse videtur Templum *S. Mariae Castri Novi* [2] Plebis vero nomine et juribus gaudebat Ecclesia *S. Viti.* [3]

[1] De S. Flaviano Patriarca agunt Martyrologium Romanum ad diem 18 Februarii, Cardinalis Baronius in notis ad Martyrologium, Menologium Graecorum sub eadem die, Bollandiani, et Historiae Ecclesiasticae Scriptores omnes.

[2] In Statutis Recanatensibus libr. 1. rubr. 4. decernitur . . . . ut Potestas et priores *cum Pallio Communis offerendo* accedant ad Ecclesiam *S. Mariae de Castronovo* in festo Assumptionis B. Virginis gloriosae quod pallium deinde a syndico centum solidis redimi debeat. . . . . In Ecclesiis vero S. Flaviani et S. Viti solidos quidem centum offerri mos erat, sed non *pallium.* Ex quo primariam urbis Ecclesiam fuisse olim arguimus Templum S. Mariae Castri Novi. Fidem adstruunt nundinae Mense Augusto olim celebrari solitae, quod ex statutis urbis antiquioribus constat. Nundinas autem festum Patroni majoris et populorum ad illud concursus introduxit.

[3] Hinc factum est, ut hodieque S. Vitus ut Patronus colatur Recanatensium, secundo nimirum loco; primus enim S. Flaviano utique debebatur ob honorem

Attamen Gregorius IX cum Civitatem nostram Cathedrae honoribus constituisset augere, sedem Episcopi in neutra istarum, sed in Templo *S. Flaviani* collocandam esse praecepit, jure quidem merito, tum quod antiquior esset reliquis, ac vetustissimum S. Petri patrimonium, tum in primis quod *bona ejus* Mensae Episcopali *concesserat* Pontifex. [1]

XXVI. Promiserant equidem, ut superius diximus, Recanatenses quinque millia librarum Ravennatensium se expensuros pro coemendis fundis ad dotem Ecclesiae et Episcopo constituendam, ac insuper Palatium Episcopale, aedesque prope illud Canonicales aere suo aedificare decreverant. An promissis steterint, nescimus; documenta enim desunt. Certum tamen est Episcopos nostros quamplurimos possedisse fundos, sive a Recanatensibus coemptos, sive ab Ecclesia Humanatensi acceptos, sive ad beneficia Mensae unita spectantes, quorum indiculus extat confectus die 15. Martii 1285. His accedere debuissent redditus *Mensae Auximanae*. Sed ob rebellionem Auximatium caruerunt eis Episcopi, ac percipiebantur a ministris Friderici Caesaris. Anno autem 1247. subjecta fuit civitas Auximana Episcopo Humanatensi. Quare monendi fuerunt majores nostri a Gregorio Pontifice . . . . *ut aliquam pecuniae summam adderent, de qua Episcopus et Canonici processu temporis honorifice valeant sustentari.*

E registris annorum 1408. et 1420. intelligimus, Episcopos nostros possedisse praeter fundos Mensae proprios bona Ecclesiarum *S. Joannis in Monte, S. Jacobi de porta murata, S. Mariae Cicarellae, S. Mariae in Monte, S. Crucis, S. Margaritae, et S. Mariae de Laureto*, medietatem quoque bonorum, quae pertinebant ad Monasteria S. Agathae [2], *S. Joannis de Laureto* et *S. Matthaei.* [3] Has Ecclesias Humanatensis Ecclesiae olim fuisse patrimonium conjicere fas est ex epistola Bonifacii VIII data die 7. Maji 1296., in qua testatur *Nicolaum IV* concessisse Ecclesiae

---

Cathedralis Ecclesiae. Atque ita sensisse majores nostros liquet tum e statutorum codice, tum e monetis antiquis, in quibus *Flaviani* non Viti nomen legitur.

[1] Urbanus IV. in epistola data die 24. Maji an. 1264. expresse affirmat, e *bonis Ecclesiae Romanae* quandam partem Recanatensi Ecclesiae concessam fuisse, *scilicet*, inquit, *bona Ecclesiae S. Flaviani*, et nonnulla alia bona.

[2] Monasterii cujusdam *S. Agathae* meminit codex Ravennas saeculi X., qui extat inter monumenta Ravennatensia a Comite Marco Elephantutio edita T. I. p. 42. ubi dicitur *Monasterium Episcopii Humanae.* Ecclesiae vero *S. Mariae de Laureto* ad Humanatensium Episcoporum Mensam olim pertinentis mentio fit in charta Jordani Episcopi anni 1194., quam Maurus Sartius et Annalistae Camaldulenses in lucem publicam protulerunt.

[3] Bona, quae fuerunt dictarum Ecclesiarum, ut e libris censualibus Anni 1408. constat, quartam partem bonorum omnium Mensae Episcopalis aequabant.

Recanatensi possessiones omnes Ecclesiae Humanatensis, quas habuerat in Civitate et agro Recanatensi usque ad flumen Mussionis.

Pro bonis Ecclesiae Recanatensis, quae Anno 1264. concessa fuerant Episcopis Humanatensibus, cum honos Cathedrae Urbi nostrae a Nicolao IV una cum bonis Mensae olim addictis restitueretur, jussi fuerunt majores nostri Ecclesiae Humanatensi, ne ad incitas redigeretur, exsolvere sex florenorum millia. Quo factum est, ut jura in episcopatum acquisiverit Civitas nostra *Patronatus* quippe quae dotem Episcopis aere suo constituit, non semel, sed *bis*.

Atque haec quidem sunt, quae de *Mensa Episcoporum* dicenda nobis erant. Cetera, ubi de Episcopis Salvio, Nicolao Astio, Theseo de Cuppis, et Galeatio Morono agemus, prosequemur. Id tantum hic obiter moneo, bona Ecclesiae Recanatensis nunc pro majori parte possideri ab Ecclesia Lauretana, *locata* eidem a Theseo de Cuppis.

XXVII. Quod ad *mensam Capituli* adtinet, constare ea debuisset e fundis Canonicorum Auximatium, uti constituerat Gregorius IX. Verum obnitentibus Auximanis, Canonici Recanatenses creati fuerunt e numero Clericorum Beneficiariorum Urbis nostrae ii, quibus pinguiores prae ceteris erant redditus [1], Clerici praesertim servitio Ecclesiae S. Viti adscripti. [2] Quidam ex iis fuerant Ecclesiae Humanatensis Canonici, ut e chartis, quas in Appendice damus, anni 1238., ubi Humanense, et anni 1249. ubi Recanatense recensetur Capitulum, invicem collatis manifestum fiet. [3]

Aedes pro Canonicis (qui vitam id temporis communem instituere solebant) nunquam extructae fuerunt, quod tamen facturos se anno 1240. spoponderant Recanatenses nostri. Ob hunc aedium canonicalium defectum remansit Ecclesia S. Flaviani destituta Canonicis, qui officia divina in ipsa peragerent — Anno 1290. Salvus Episcopus consentiente Capitulo *et Canonicis Ecclesiae Cathedralis* Parochiale Templum S. Gregorii Dominicanis concessit. Nominantur in charta concessionis Canonici omnes — *Eosdem*

---

[1] Praebendae Canonicales olim fuisse reperiuntur Ecclesiae campestres *S. Mariae Vallis Cerri, S. Petri Blandonicis, S. Mariae de Monteozano, et S. Pauli.*

[2] Quatuor Canonici alebantur e fructibus bonorum Ecclesiae S. Viti, ut e catasto anni 1408.

[3] *Auximani* Canonici fuerunt An. 1239. *D. Siniboldus* Archidiaconus, *D. Ranutius, D. Palmerius, D. Anselmus D. Uguitio, D. Ragnutius, D. Joannes* — Canonici *Humanatenses* anno 1238. D. *Christianus*, D. Laurentius, D. Bonaventura Personae, *D. Deuteadjute, D. Simon, D. Sthephanus* — Canonici *Recanatenses*, An. 1249. D. Bonaventura Personae, *D. Bartholomaeus Nassanelli, D. Homodeus*, D. Laurentius Thomae, *D. Rainaldus Tarabotti, D. Petrus Simeonis, D. Advinante Jordani, D. Burdo D. Jacobi Leonis.* Nulli igitur Auximates, duo vero Canonici Humanatenses Capitulo nostro adscripti fuisse videntur.

vero Canonicos S. Viti denominari perspicies in codicibus decimarum Apostolicarum Annorum 1292: et 1299. (ex Archivo Vaticano) — In actis quoque litis cujusdam inter PP. Dominicanos et Augustinianos agitatae (extant in Archivo Conventus S. Augustini) mentio fit *Clericorum*, sive *Canonicorum S. Viti.* Idem ergo tunc fuerunt Canonici Ecclesiae *Cathedralis*, qui Clerici aut Beneficiarii sive *Canonici Ecclesiae S. Viti.*

Quod vero rem extra controversiam ponit, testimonium est actorum processus de limitibus dioecesesis Maceratensis proferendis, quae adservantur in Archivo civitatis Firmanae N°. 126., in quibus expressis verbis ita legitur: *Ecclesia Cathedralis* (Recanatensis) *antea* (idest ante restitutam ab Aegidio Albornozio Cathedram) *officiabatur ad libitum; nunc vero oportet D. Oliverium* (qui tunc erat Episcopus Recanatensis) *facere ipsam officiari etiam per Cappellanos conductos,* QUIA CANONICI A LONGO TEMPORE RESIDENT IN ECCLESIA S. VITI, *non habentes domos apud Cathedralem.*

In chartis nostris habemus nomina quorumdam id genus Cappellanorum ab Episcopo conductorum pro servitio Ecclesiae Cathedralis. Reperimus nimirum ad Annum 1333: *Dompnum Franciscum Cappellanum Ecclesiae S. Flaviani* Vicarium D. Episcopi Maceratensis; Anno 1343. *Dompnum Franciscum Johannis et dompnum Gregorium Cicchi Sacerdotes Ecclesiae S. Flaviani;* quibus successerunt Sacristae, ac deinde Parochi.

Postquam Anno 1384. Cathedralis Ecclesia reparata et ampliata fuit, coeperunt Recanatenses pro pietate sua sacerdotia quaedam, sive sacella, in ipsa instituere, quae anno 1417., ut e catalogis illius aetatis patet, ad denarium jam numerum excreverant. Antiquius ceteris est sacerdotium sive altare tituli *S. Lucae;* sequuntur beneficia, *S. Blasii* fundatum Anno 1392., *S. Catharinae* Anno 1393., *S. Thomae Archiepiscopi* Anno 1397., *S. Stephani, S. Hieronymi, SS. Juliani, Agathae, et Margaritae* Anno 1405., *S. Andreae* Anno 1408. *S. Angeli S. Mariae Magdalenae* Anno 1412. Qui Beneficia haec possidebant, iis in suo cuique Altari, uti litterae fundationum demonstrant, sacra quaedam facienda erant pro fundatorum suorum animabus. Nulla inter eos societas, nulla collegii forma erat, donec nobilis quaedam Matrona *Corradina* sive *Corradutia* Suppolini filia 48. Sacra pro requie animae suae singulis annis celebranda instituit (Anno 1417.), quibus adesse voluit Sacerdotes illos, qui *Altaria* sive Beneficia in S. Flaviani Templo obtinerent, qui eam ob rem *Altaristae* vocari solent. Ad sumptus in haec sacra faciendos bona sua universa destinavit Corradina, ita ut fructus ipsorum distribuendi essent quotannis inter eos tantum Altaristas Ecclesiae S. Flaviani, qui officiis divinis a Fundatrice praescriptis

adfuissent. Haec est origo *Collegii*, quod hodieque floret *Altaristarum, et Massae* sive fundi communis.

Placuit institutum Corradinae piis omnibus, ita ut brevi tempore non pauci facultates suas in parem usum convertendas reliquerint, ac Sacerdotia etiam nova fundarint. Tandem Nicolaus de Astis Episcopus non exiguam pecuniarum summam elargitus est, fundosque dedit ac domos, e quibus redditus colligerentur distribuendi inter eos Altaristas, qui Canonicorum more officiis divinis in Ecclesia Cathedrali celebrandis adstitissent. Atque hoc modo auctore piissimo illo et beneficentissimo Pastore decus, quo tamdiu caruerat, officiorum nempe divinorum omnium solemnis celebratio Cathedrae suae restitutum est. Ab eo tempore (ab Anno scilicet 1453.) numquam cessatum fuit a laudibus D. O. M. in Ecclesia nostra diu noctuque canendis.

Ceterum Canonici Recanatenses etiam post institutam in Cathedrali officii divini recitationem solemnem perrexerunt ad Ecclesiam S. Viti convenire, ibique sacra facere, uti hactenus consueverant, qui ea propter Canonici S. Viti dicebantur, atque Ecclesia ipsa S. Viti *Cathedralis* sive *Major Ecclesia.* Eo denique res devenit, ut Canonicorum pars major, quum redditus eorum fere ad nihilum essent redacti, deserta etiam S. Viti Ecclesia, nullique omnino addicti choro vitam pro lubitu agerent, aut relicta urbe nostra alienis Ecclesiis inservire cogerentur.

Convocabantur tamen Canonici in Sacrario Ecclesiae S. Flaviani, quando aut Episcopus aut Vicarius Capitularis erat eligendus, aut de Ecclesiae Recanatensis necessitatibus commodisve agendum, aut cum stallus, ut ajunt, novis Canonicis, dum Canonicatum inirent, erat assignandus.

Ea nempe tunc erat infelicitas temporum, is omnium fere totius orbis Ecclesiarum status miserandus. Melior fortuna ne ipsi quidem S. Petri Basilicae Vaticanae Ecclesiarum omnium principi obtigit. Enimvero, ut a Rm̃o Martorellio discimus in Historia Cleri Vaticani impressa Romae Anno 1792. pag. 222. constat e Diario Antonii Petri, *initio saeculi XV. totaliter eam fuisse derelictam, quatenus omnes Canonici habent Ecclesias parochiales per urbem, et ideo non curant de nostra veneranda Basilica.* Sic Recanatenses Canonici plerique aut parochialibus praeerant Ecclesiis, aut inter Altaristas Cathedrali inserviebant nullo discrimine, nisi quod almutiis insigniti essent, et primas in choro sedes tenerent. Qui honos iis quoque habebatur, qui supra numerum Canonicis erant adscripti, ut ex decreto patet diei 22. Maji An. 1481., atque ex actis quamplurimis posteriorum temporum. Nonnulli e Canonicis Altaristarum munia obibant ad S. Mariae Castri Novi, ad S. Viti, vel ad S. Mariae Montis Morelli, ubi iisdem gaudebant praerogativis, ut ceteros Altaristas, qui Canonici non essent, anteirent.

Anno demum 1577., cum Ecclesia S. Viti Jesuitis concessa fuisset, jussi sunt Praepositus atque Decanus ad Cathedralem Ecclesiam transire, quam vero nonnisi diebus festis adibant, et cum Episcopo sacra obeunti adsistendum erat. [1] Ex Canonicis ii tantum, qui Beneficia in Cathedrali Templo obtinentes, ideoque Altaristarum coetui adscripti distributionum quotidianarum erant participes, horas canonicas quotidie in choro recitabant. Cum igitur Altaristae Ecclesiae continuo inservirent, majorque eorum pars de numero esset Canonicorum, coepit eorum Collegium paulatim nomen et jura *Capituli Ecclesiae Cathedralis* sibi vindicare, reclamantibus Praeposito ceterisque Canonicis.

Tandem Cardinalis Roma in visitatione primum dioeceseos Anno 1621. deinde in Synodo Anno 1623. declaravit *Capituli* nomine Canonicos solos intelligi debere, Altaristarum vero Collegium *Congregationem* esse nominandam pro more veterum (atque ita decreverat Aloysius quoque Tassius Episcopus Anno 1519.) Ceterum ut manifestius foret discrimen, Canonicis proprios redditus e Beneficiis quibusdam Sodalitiorum, sedes sublimiores, vestesque insigniores adsignavit, obtinuitque, ut deinceps Ecclesiae Cathedrali Capitulum quotidie inserviret. Quae decreta a S. Congregatione Concilii Tridentini An. 1646. die 13. Decembris, et Anno 1658. die 3. Augusti confirmata fuerunt.

Perdurarunt tamen diutissime lites, quae de jure eligendi Vicarium Capitularem exortae fuerant primo quidem Canonicos inter et *Clerum universae Dioeceseos*, cujus congregatio *Capitulum generale* dici consueverat, quique ea propter ex male intellecto Concilii Tridentini decreto electionem sui juris esse contendebat. Agnito errore acquievit quidem reliquus Clerus, non item Altaristae, qui Congregationem suam *Capitulum* esse Ecclesiae Cathedralis, cui Synodus Tridentina Vicarium eligendi jus concesserat, pertinaciter contendebant. Finis tandem impositus fuit liti per sententias geminas a Sacra Congregatione Concilii latas die 4. Junii Anno 1701., et die 30. Augusti 1704., quibus Canonicorum causa vicit. Enimvero innumeris documentis comprobatum fuit, *Canonicorum Capitulum* inde a prima Episcopatus origine extitisse, atque ad nostra usque tempora non interrupta serie pervenisse; Altaristas vero anno demum 1417. in Collegium coaluisse, atque Anno 1453. primum choro Ecclesiae Cathedralis fuisse addictos: distinctum autem numquam non extitisse Canonicorum nomen ac dignitatem ab Altaristarum officio. Habemus actus complures *Canonicorum Ecclesiae S. Viti*, verbi gratia annorum 1399, 1406.,

[1] Ex Actis Sacrae Visitationis anni 1587.

1417. etc., e quibus perspicimus eosdem illos Canonicos et Episcopum elegisse, et Vicarios Capitulares instituisse, et de rebus Dioeceseos universae, ac juribus mensae Episcopalis in commune consuluisse, quarum rerum potestatem dumtaxat penes Canonicos Ecclesiarum Cathedralium esse notius est, quam ut pluribus ostendere necesse sit. Canonicis non Altaristis Anno 1522. jus concessum fuit Archipresbyterum eligendi, ut e fundatione ipsa, actisque electionum constat. Praebendae etiam canonicales inde a prima institutione extiterunt semper, hodieque existunt, atque a Canonicis possidentur. Quae quidem si perpendissent majores nostri, controversiae illi tam diuturnae locus profecto non fuisset, neque Altaristae unquam dominii quoddam genus in Templum princeps, Sacristiam etc. sibi arrogassent.

Haec de Ecclesia Cathedrali, et Episcoporum, atque Canonicorum mensa et juribus praemittenda duxi. De ceteris Ecclesiis, prout res feret, in decursu narrationis opportunius agemus.

PARS SECUNDA

PARS SECUNDA

SERIES EPISCOPORUM RECANATENSIUM.

I. RAINALDUS

XXVIII. Episcoporum nostrorum primus, ut superius diximus, fuit *Rainaldus* [1] Episcopus Auximanus, qui postquam una cum Canonicis suis circa finem anni 1239. [2] Ecclesiae bonisque suis vale dicere coactus fuisset, translatus est a Gregorio IX ad Cathedram Recanatensem, nuper (22. Decemb. 1240.) extincta penitus Auximana Sede [3] erectam. Rainaldum

---

[1] Non *Rainerii*, ut post Ughellium habet Calcagnius aliique, sed *Rainaldi* nomen huic Episcopo fuisse, demonstrarunt Dominicus Pannellius in Comment. de S. Benvenuto p. 24. et seq., et Reverendissimus Compagnonius de Ecclesia Auximana T. II. p. 246. Documenta plura ab hoc allata videsis in Appendice T. V. p. 81. 84. 98. 99. 100.

[2] Die 8 Septembris (anni 1239 vel 1240) — *Cinguli* commoratum fuisse Rainaldum una cum Archidiacono, Archipresbytero et quinque Canonicis Auximanis probat charta edita a Reverendissimo Compagnonio lib. cit. T. V. p. 65. deprompta è Chartophylacio Sanctimonialium S. Catharinae de Spiaeto extra moenia Civitatis Cingulanae (N. 1085.), qua Rainaldus *Sorores reclusas Monasterii S. Jacobi de Plaja Insulae a jurisdictione Episcopali exemit.* Sigillum adhuc manet chartae appensum, quod e ceteris illius aevi nihil discrepat; oblongae enim est formae, et Episcopum exhibet mitra ornatum et casula indutum, qui manu dextera benedicit. Circumcirca vero legenda est haec: *S.* (Sigillum) *Rainaldi Episcopi Auximani.* Anno 1240. die 10. Octobris Romae agebat Rainaldus, ut ex privilegio intelligitur, quod Cardinalis Sinibaldus Recanatensibus concessit, cuique scribendo adfuit *Rainaldus quondam* Auximanus Episcopus.

[3] Regest. Vatic. Gregorii IX. an. 14. epist. 203. f. 56.

quantocius ad novam Ecclesiam accedere jussit Pontifex litteris datis 17. Januarii 1241. [1]

Quamdiu Recanatensibus praefuerit, et quando, aut ubi diem clauserit extremum aeque incertum est. [2]

II. PETRUS

XXIX. *Petrus Gregorii* [3] Basilicae Principis Apostolorum Canonicus ab Innocentio IV Recanatensi Ecclesiae DIU *jam Pastoris solatio destitutae ex potestatis plenitudine* [4] Antistes datus est anno 1244. 5 idus Decembris (Reg. An. 2. Epist. 6.)

---

[1] Equidem Reverendissimus Compagnonius T. 2. p. 260. contendit Auximauam Ecclesiam numquam omnino defecisse, translata dumtaxat Recanatum Episcopi Auximani habitatione. Verum falli eruditissimum Antistitem clarissimis verbis Pontificum epistolae docent, quae inscribuntur Episcopis *quandam* Auximanis *nunc* Recanatensibus, et Clero *quondam* Civitatis et Dioecesis Auximanae, frequentissima etiam injecta mentione *Diaeceseas Recanatensis*, et alicubi etiam *Villae* Auximanae.

[2] Ex protocollo S. Benvenuti apud Reverendissimum Compagn. T. V. p. 84. desumitur Rainaldum Episcopum non diu supervixisse; perbibet enim loc. cit. testis quidam, se fundum aliquem Ecclesiae Auximauae tenuisse tempore DD. Sinibaldi, *et Rainaldi olim* Episcoporum, *et post mortem ipsorum usque ad adventum Judicis Roberti nuncii olim Imperatoris tribus annis ut plus.* Quae si vera sunt, obiit Rainaldus ante finem anni 1242., vixque anno uno Ecclesiae suae Recanatensi praeesse potuit, quam forsan ne adire quidem umquam ei licuit. Enimvero paucis mensibus post constitutam Cathedram, Junio scilicet mense 1241. obsidione cinctam fuisse Recanatum charta Archivi Cingulani docet. Historici porro omnes testantur sequente anno (1242.) vacante Apostolica Sede, Fridericum universa pene Marchia fuisse potitum, eamque tenuisse adhuc anno 1244., quo Rainaldus *Episcopus* successorem nactus est. Recanatenses eo tempore Friderico paruisse habemus e charta Archivi Firmani (N. 1732.) data 19. Junii 1244. in *castris super Ancona* sub territorio Jacobi de Morra *Vicarii Imperialis* in Marchia *coram D. Bonatacca de Senis Potestate Recanati.* In eodem Archivo (N. 1327.) alia est ejusdem Jacobi charta d. 22. Augusti Maceratae scripta praesente eodem Bonatacca, sive Bonareca Potestate Recanati. Ex quo arguere fas est Civitatem nostram Friderici partes tunc fuisse secutam. Quo autem praecise anno in Imperatoris potestatem fuerit redacta, rescire hactenus nobis minime licuit. Refert Wadingus ad An. 1242. de B. Luchesio loquens, miraculum Beati hujus intercessione Recanati patratum, scilicet: fratricidam quemdam juxta leges, quas tum in hac Civitate obtinuisse testatur, una cum fratre occiso vivum haud procul ab Ecclesia S. Francisci defossum fuisse, postera vero die ambo vivos e sepulcro emersisse, quod factum asseruntur vidisse oculis suis *Magistratus, Dominus Civitatis*, (idest *Potestas* sive Praetor) Episcopus, et *Clerus.* Quod si nullus in hanc narrationem error irrepsit, ex ea discimus, ineunte saltem anno 1242. et Episcopum adhuc vixisse, et Ecclesiam suam rexisse.

[3] *Gregorii* non *Georgii*, ut habet Ughellius, in Regesto Vaticano legi affirmavit nobis Cl. Cajetanus Marinius, qui rogatus a Reverendissimo Paulio codicem inspexit.

[4] Adhaerebant tunc Recanatenses, ut supra diximus, inimicis Ecclesiae , quod

Acta ejus nulla extant.

XXX. Ad idem fere tempus referenda esse existimamus, quae de S. Petri Martyris in hac Urbe mora et praedicatione vetus traditio testatur; quam in Calendario suo meminit Rutilius Benzonius Episcopus olim noster. Fama enim constans fuit, et nunc est apud Recanatenses, Sanctum illum Virum in Civitate nostra verbum Dei aliquando praedicasse, et in sui memoriam atque amicitiae testimonium particulam SS. Crucis do-

---

ex ipso initio Epistolae Innocentii IV. colligitur. Apprecatur enim is Clero Civitatis et Dioecesis Recanatensis *Spiritum consilii sanioris*. Quare committere non potuit, *ut Capitulum* defuncto Episcopo Successorem pro more eligeret, sed Pontifex recedendum sibi existimavit a via juris, atque utendum, ut ipse ait, *potestatis plenitudine*, ut viduatae Ecclesiae opem ferret. Quem enim, nisi factiosum quemdam ac rebellem eligere poterant Canonici, quibus rebelles dominabantur?

Ut primum Petrus Recanatensi praefectus fuit Ecclesiae, derelictis Friderici partibus manus admoverunt cives nostri extruendae Ecclesiae S. Francisco sacrae. Superest in Tabulario Conventus Bulla Innocentii Lugduni data 24 Septemb. 1245., qua indulgentias peccatorum concessit iis, qui eleemosynis aedificationem juvissent. Verum anno demum 1257. fastigium impositum fuit fabricae, ut ex sequenti inscriptione intelligitur, quae etiamnum extat in superliminari Templi —

« Joannes Accadiane fecit hoc opus
« A. D. M. CCLVII. Indictione XV.
« tempore D. Alexandri PP. IIII.

Alias indulgentias elargitus est Innocentius die 9. April. 1247. Monasterio nostro S. Nicolai, cui anno insequenti facultatem quoque indulsit accipiendi et possidendi bona haereditaria. Cum in Portu Recanatensi injuriis affecti, rebusque expoliati fuissent familiares nonnulli Episcopi Anconitani ad Concilium Lugdunense proficiscentis, Abbati S. Mariae portus novi Anconit. Dioecesis id negotii datum est ab Innocentio Idib. Maji 1247., ut reos censuris ecclesiasticis ad restituendas res ablatas compelleret. Ex quo colligere quis posset, circa idem fere tempus fato functum fuisse Petrum Episcopum; neque enim ipsius ulla fit mentio in literis Innocentii.

Vires hoc anno resumpsit in Piceno pars Ecclesiae opera, ut puto, Gregorii de Monte longo Cardinalis, qui, teste Clementinio l. 4. f. 465 pro Sede Apostolica Anconae praefuit. Post illum Provinciae nostrae Rectorem constituit Innocentius Marcellinum Pete Anconitanum, Asculi primum, deinde Aretii Episcopum, qui alias Rectoris in Marchia nostra munere perfunctus fuerat. Extant litterae ad Marcellinum Marchiae Anconitanae Rectorem datae ab eodem Pontifice Idibus Maji 1247. Parebant ei (teste Ughellio T. I. Camerin. et Lilio. p. 253). Camertes, et Fanenses cum aliis plurimis. Verum digresso hinc Gregorio, qui mense Junio Parmam astu cepit, quam mox Fridericus ingenti conatu recipere molitus est, crevit animus Ghibellinis Picenis, qui adversarios numero vincebant, ita ut duce Roberto Castillionio Imperatoris in Marchia Vicario, ac stipati non exigua Teutonicorum et Saracenorum manu cladem illam maximam haud procul Auximo intulerint Anconitanis, Camertibus, *Recanatensibus*, aliisque, qui Ecclesiae signa sequebantur, interfectis quatuor hominum millibus; quam cladem refert Pandulphus Collenutius lib. 4. fol. 107.

nasse, quae hodieque apud PP. Dominicanos adservatur, ac annua Processione tum in utraque SS. Crucis, tum in dicti Sancti Festivitate colitur; [1] quaeque illaesa in flammis permansit. in quas Petrus eam conjecerat, ut insigni hoc miraculo veritatem praedicationis suae haereticis persuaderet. Festum porro et Sodalitatem jam inde a pluribus saeculis (de qua re fidem faciunt chartae An. 1387. et statuta, et Annales publici etc.) B. Martyri dicarunt Majores nostri.

Non sum quidem nescius a nonnullis negari S. Petrum hisce in partibus praedicasse, quum rei monumenta antiquiora perierint. Veruntamen minime negligendam esse puto traditionem hominum nostratium, cui similis in aliis quoque Piceni locis viget, uti Asculi, teste Rmo Marcuccio in opere, cui titulus — *Saggio delle cose Ascolane p.* 252. — Enimvero Thomas de Lentino, qui S. Martyris vitam conscripsit, eique coevus fuit (apud Bollandianos T. 3. Aprilis f. 690.) expressis verbis haec habet. C. I. N. 9. « Ubi autem velut alter Gedeon tubam praedicationis assumpsit, « quam glorioso clangore sonuerit, hostes ac fideles excitans, in multis « partibus est auditum. Exivit enim sonus ipsius in omnem terram Pro- « vinciae Lombardiae, apud Urbem etiam, et per modicam partem Tusciae, « *et per Romandiolam totam* [2] *et Marchiam Anconitanam. Quas enim « Civitates aut oppida ibi sita devotis aliquando clamoribus non exci- « tavit?* quarum gentium *per dicta loca* morantium non concussit corda?

Quod si ergo in *Marchia Anconitana*, atque *oppidis* et *civitatibus ibi sitis* eum praedicasse certo certius est, quis neget Recanati eum aliquando fuisse et Asculi, quae duo civitates tum in primis fidelitate, erga Romanae Ecclesiae principatum claruerunt? Et de Recinatibus quidem ex iis, quae supra diximus, res manifesta est. Asculanos An. 1246. mense Septembri praelio adversus Firmanos Ghibellinos decertasse testis est Antonius Nicolai Chronici Firmani inediti auctor.

De cetero Bollandiani de Particula Ligni SS. Crucis a S. Petro Martyre Recanatensibus donata ea tantum referunt, quae a Modesto Benvenuto Monacho Silvestrino, ejusque libro de Sanctis et Beatis Recanaten-

---

[1] Mos olim fuit apud Recanatenses die Veneris Sancti liberandi reum ex iis, qui in carceribus publicis detinebantur, *eumque condonandi Venerabili ligno Crucis, quod gloriosus S. Petrus Martyr exportavit, condonavit, et reliquit, prout notorie constat omnibus de dicta Civitate.* Ita in supplici quodam libello, quem anno circiter 1530. Clementi VII. porrigendum curarunt Fratres Confraternitatis *S. Petri Martyris de Civitate Recanatensi.* (In Archiv. Fraternit. ejusdem Sancti).

[2] Anno 1249. conciliatam fuisse a S. Petro pacem Arimineses inter et Faventinos, Ravennates etc. ostendit Em. Garampius in Comment. de Vita B. Clarae Arimin. p. 25.

sibus acceperant, quibus nos aliam auctoritatem non tribuimus, nisi quod traditioni, quae auctoris aevo vigebat, testimonium adferunt et fulcimentum.

III. MATTHAEUS

XXXI. Quo tempore *Matthaeus* Cathedram Recanatensem conscenderit, quove obierit, incertum est. Sedem vacasse An. 1247. supra conjecimus. Cum Innocentius IV praecipuo quodam amore cives nostros prosecutus fuerit, procul dubio curavit, ut ne diu Pastore carerent. Servatur adhuc in Tabulario Civitatis epistola ipsius Lugduno ad Majores nostros data An. 1248. 23. Decemb., qua certiores eos faciebat de coronatione Guilelmi Hollandi in Regem Romanorum, quam contigisse ait Kalendis Novembris Aquisgrani; quod sane argumento est Recanatensium res ipsi in primis cordi fuisse, quum laeta, quae sibi obtigerant, ut amicis singularibus eis perscribere haud dedignatus fuerit. Anno 1249. XI Kal. Aprilis idem Innocentius privilegium Episcopo concessit, quo Recanatensem Ecclesiam sub. B. Petri protectione suscepit, juraque et possessiones confirmavit. Bullam ex Archivo Episcopali Auximano exscriptam Appendici inseruimus.

Matthaeus Episcopus An. 1249. 29. Maji Sanctimoniales, ac *Monasterium S. Mariae Magdalenae* positum *in fundo Petreti, sive S. Eliae* in suburbio Recanatensi haud procul a porta S. Francisci exsolvit ab omni canonica subjectione, dioecesanaque lege, indicta pensione cerei unius librae quotannis in Festo S. Flaviani Martyris offerendi: quod privilegium confirmaverunt die 8. Junii Canonici *novem Majoris Ecclesiae Rachanatensis,* Donnus *Bonaventura Personae,* Donnus *Bartholomaeus Nassanelli,* Donnus *Homodeus*, Donnus *Laurentius Thomae*, Donnus *Raynaldus Tarabotti*, Donnus *Petrus Simeonis*, Donnus *Advinante Jordani*, Donnus *Burdo Domini Jacobi Leonis,* Donnus *Moricus Morici Suppi.* Instrumentum extat in tabulario PP. Minorum Conventualium Recanat. Appensum ei est sigillum cereum ovale, quod figuram exhibet Episcopi benedicentis cum hac epigraphe -- S. MATHEI DI GRA RACAN... EPI -- idest *Sigillum Matthaei Dei gratia Racanatensis Episcopi.*

Ceterum Sanctimoniales istae regulam sequebantur S. Clarae. Monasterium fundatum An. 1238, diu floruit, censumque habuit non contemnendum, utpote qui in catasto An. 1412. aestimatus fuit 200. lb. quantum praeter Episcopum Recanati nulla Ecclesia habuit. Paucis tamen post annis quod collapsum jam esset, Monasterium unitum fuit a Martino V An. 1426. Monasterio S. Nicolai; aedes ipsae fuerunt dejectae An. 1444.

Urbis muniendae causa. Sanctimonialibus concessum An. 1447. fuit Monasterium S. Benedicti, quod hodieque floret in Castro Novo Recanati situm.

Anno 1251. exorta est lis inter *Franciscanos* nostros atque *Augustinianos*, quod *Prior et Fratres Heremitarum Ordinis S. Augustini de Recanato domum quandam ad usum Monialium sui ordinis extruxissent* in loco adeo propinquo Conventui fratrum minorum, ut via dumtaxat media esset, *magnum in ea conficere Monasterium intendentes*. Verum Innocentius IV die 15. Martii hujus anni Sanctimoniales amoveri inde jussit, quod confirmavit Alexander IV die 6. Maji 1255. et 13. Martii 1256. Litterae Pontificum extant apud PP. Conventuales.

Ecclesia S. Mariae de Castro novo circa id temporis sin minus reaedificata, saltem restaurata fuisse videtur, ut ex inscriptione patet, quae supra portam majorem conspicitur

Anno Domini 1253. die 11. Aprilis Indictione II. domnu Carus explevit. Magister Nicolaus Anconitanus fecit hoc

1254. 2. Idus Januarii Innocentius IV Episcopo Recanatensi in mandatis dedit, ut Gerardum Episcopum Firmanum nuper electum adsociato sibi Coepiscoporum numero legitimo consecraret, ut testatur ex Regesto Vaticano Michael Catalanius de Eccl. et Episcopis Firmanis p. 367.

XXXII. Ecclesiae Recanatensis jurisdictio sub Matthaeo Episcopo non parum imminuta fuit. Primum quidem *civitas Auximana* ei subtracta, et Humanatensi Episcopo subjecta est die 13. Octob. 1247. (Ughell. in Human.) ita tamen, ut pars major dioecesis Auximanae sub Recanatensis Episcopi potestate esse pergeret. *Cingulanos* deinde Cardinalis Petrus Capoccius die 16. Augusti 1250., idemque die 30. ejusdem mensis Sactimoniales Cingulani Monasterii S. Catharinae, cui a Spineto cognomen est, a quavis Episcopali jurisdictione exemit. Reliqua Monasteria, quae Cinguli erant, Episcopo Recanatensi parere perrexerunt. Superest enim in archivo supradicti Monasterii S. Catharinae de Spineto charta scripta An. 1253. 25. Septemb., in qua Monasterium S. Jacobi de Plagia insulae, quod PP. Observantium Reformatorum Ordinis S. Francisci hodie domicilium est, adhuc *Dioecesi Recanatensi* subjectum fuisse probatur. Anno autem 1255. Alexander IV (Epist. 301.) translationem Auximanae sedis a Gregorio IX factam ad Recanatensem Ecclesiam, quam Innocentius IV confirmaverat, ipse quoque auctoritate sua ratam esse voluit.

Alienavit Matthaeus Episcopus, inopia forsan pressus, quod in difficilia admodum tempora Episcopatus ejus incidisset, fundos quosdam Ecclesiae Auximanae, eosque concessit D. Raynaldo, et Corradutio D. Benvenuti Donesdei Cingulanis, e quorum stirpe nobilissimam Silvestriorum gentem

prodiisse olim conjecimus. At fundos illos An. 1266. 3. Novemb. S. Benvenutus Episcopus Auximanus Ecclesiae suae restituendos curavit, ut videre est in Cl. Viri Francisci M. Raphaelii Commentario de vita S. Exuperantii Episcopi Cingulani in Appendice p. 72.

IV. BONAJUNTA

XXXIII. *Bonajunta* Ordinem S. Francisci professus ad Recanatensem Cathedram evectus est ab Alexandro IV An. circ. 1256., quo anno, die 10. Septemb., in charta, de qua mox plura, *electum Recanatensem* ipse se vocabat. Fabrianensis fuit (teste Fr. Salimbene Minorita auctore coaevo in chronico inedito), ac socius B. Joannis de Parma Ministri Generalis Ordinis sui, ex quo non modica huic Episcopo nostro accedit sapientiae, et sanctitatis existimatio, si e socio arguere velis quis ipse fuerit. Ughellius in Aesinis Bonajuntam agnominat de *Boscolis*.

In ipso sui praesulatus exordio An. scilicet 1256. die 10. Septembris *Frater Bonajunta divina patientia Recanatensis electus*, cum consensu totius Capituli Canonicorum, videlicet dompni *Pauli Todelgardi Prioris* ipsius Capituli, et decem aliorum, Sanctimonialibus *Monasterii S. Nicolai* de Racanato indulsit, ut exemtae essent a jurisdictione Episcopali, soluturae tantum quotannis in Festo S. Flaviani pro censu unam libram cerae. Acta sunt haec in *Camera Palatii Episcopatus Civitatis Recanatensis*. Privilegio huic, quod extat in tabulario PP. Conventualium nostratium, Alexander IV An. 1259. die 18. Julii auctoritatem suam adjecit. (Append. diplom. N. XXII.)

Bonajunta forsitan Episcopo annitente, idem Pontifex liberalem admodum se exhibuit Ecclesiis illis Recanatensibus, quae ad Ordinem Fratrum Minorum pertinebant. Etenim jam An. 1256. die 22. Junii indulgentias *Ecclesiae S. Francisci* concesserat lucrandas diebus festis SS. Francisci, Antonii, et Clarae, ac septem diebus eas consequentibus. Anno sequenti 5. Octob. indulgentias 100. dierum elargitus est iis, qui Sanctimonialibus *S. Eliae sive S. Mariae Magdalenae* domos atque officinas construentibus manus porrecturi forent adjutrices. Literis vero postridie ejus diei datis *Monasterio S. Nicolai*, et 5. Novemb. *Fraternitati S. Mariae, et S. Francisci* 100. itidem dierum indulgentias concessit.

Fraternitas haec, tunc forte erecta, eadem est ac Fraternitas, quae hodieque floret *Mercatorum* dicta. Licet enim ob bella mox exorta, et Manfredi Regis tyrannidem Anno demum 1269. legibus aucta fuerit, ad hunc tamen annum (1257.) jure initia ejus referenda esse ex Alexandri IV litteris, quae apud PP. Conventuales extant, liquido demonstratur.

Itaque inter antiquissima id genus Laicorum Sodalitia censeri debet. Odoricus Rainaldus Annalium Card. Baronii Continuator ad An. 1267. N. 83. *primum* Sodalitium Romae sub titulo S. Mariae de Confalone erectum. hujusque exemplo similia alibi instituta fuisse existimavit. Muratorius equidem Dissert. inter eas, quas de Antiquitatibus Italicis medii aevi conscripsit, 75.ª *de piis Laicorum Fraternitatibus*, ac nuperrime Angelus Fumagallius Monachus Cisterciensis *delle Antichità Longobardico-Milanesi, Milano* 1793. *Dissert.* 29. antiquiora quaedam inde ab Anno 418. recensent, rarissima tamen in *Italia* [1] fuisse confitentur. Cujus generis fuerint Sodalitia illa a Muratorio, et Fumagallio adducta hujus loci non est fusius examinare. At illud vere dixerimus, nullum forte esse Sodalitium, *cujus leges supersint* legibus nostri Sodalitii antiquiores, quas ideo in Appendicem referimus, satis certi iis edendis non levem nos ab eruditis gratiam inituros, quod multa contineant ad aetatis illius mores pernoscendos utilia. Sodalium officia praecipua in iis declarantur haecce: Concordiae civium studere, abstinere a fraudibus ac dolis in contractibus; singulis diebus Templum, singulis mensibus Conventum Sodalium adire; singulis annis semel ad minus Ecclesiae Sacramenta percipere; Sodalibus egenis opem ferre; pro defunctis orare, ac in funera eorum venire. (append. Diplom. N.° 26.)

XXXIV. Anno 1258. 7. Martii Alexander IV Bonajuntae id commiserat, ut lapidem a se benedictum ipse in fundamentis Ecclesiae et Conventus S. Francisci, quae Asculi aedificanda erant. immitteret (Bull. Franciscan. T. 2. p. 280.). Verum ob adventum forte Percivalli de Auria, qui Marchiam Manfrido Siciliae Regi armis subjecit, res tum quidem perfici non potuit.

In tabulario PP. Conventualium litterae sunt ejusdem Pontificis datae septima die Julii Anni 1259., quibus Episcopo Bona-junctae facultas conceditur campos quosdam Mensae sitos *juxta S. Leonardum* (haud procul a Portu ad pontem Musionis veteris), *littus maris et silvas* commutandi cum aliis campis, qui ad Monasterium S. Nicolai spectabant, et siti erant prope Montem ursum juxta bona D. Simpliciani (ex Nobilibus de Marina)

Atque hoc quidem ultimum est, quod in manus nostras pervenit, documentum, in quo de Bonajunta adhucdum Episcopo nostro mentio

---

[1] Mercatorum quorumdam *Confraternitatem piam* An. 1170. *Parisiis* fundatam fuisse discimus ex Encyclop. Patavina verbo *Confrerie*. Fraternitatis in subsidium fidelium defunctorum ineunte saeculo XIII. Beneventi erectae mentio est in charta a. 1273. quam (in Beneventanii Archiep.) edidit Ughellius.

fiat, quum is haud ita multo post, ut mox dicemus, fugam arripere, atque Ecclesiam suam relinquere necesse habuerit.

Cum enim Alexander IV P. M. ditionem omnem Sedi Apostolicae subjectam pacatam accepisset, quod Innocentii IV sapientia, virtute, expensis incredibilibus, ac fortitudine perfectum fuerat, mox qua de causa non facile dixerim, sive temporum infelicitate, sive nepotum culpa, sive Manfredi artibus factum est, ut bellis omnia ac seditionibus perstreperent. Quare ut primum Percivallus Auria Manfredi Legatus cum exercitu in Picenum venit, quod mense Octobri 1258. accidit, defecerunt a Pontifice civitates omnes, atque intra paucos menses Regionem universam Manfredus habuit, quam tenuit donec superstes fuit Alexander. Recanatenses vero An. 1259. 20. Decembris societatem quoque cum Aesinis, Cingulanisque inierunt, cujus tabulas Baldassinius refert, pro defensione mutua, et Manfredi Regis.

XXXV. Auximatium vetustissimae et praeclarissimae civitatis, quae paucos ante annos, quod pro Friderico acrius constantiusque pugnasset, ad Villae nomen depresssa fuerat, nunc vero melioribus factis decori pristino restitui ambibat, praecipua haec laus est, quod deficientibus a Sede Apostolica Picentibus plerisque omnibus, ipsi in fidelitate persistere ausi sunt diutius, partesque Pontificias tueri. Promeriti igitur sunt, ut cum ceteri Piceni interdicto, aliisque Ecclesiasticis censuris subjacerent, ipsi in fidei praemium Administratorem Ecclesiae suae acciperent anno 1259. Joannem Columnam Dominicanum Archiepiscopum Messanensem virum eruditione, ut tum erant tempora, ac pietate clarissimum [1], atque subtraherentur Episcoporum Humanatensium legibus.

Mortuo Alexandro, Urbanus IV, qui eum excepit, statim ingentes ad bellum apparatus facere, Picenos in suas partes missis litteris amoris, et hortationum plenis pellicere. [2] Quibus inter primos paruerunt Auximates: anno enim 1262. 3. Kal. Decembris in gratiam Pontificis re-

---

[1] Messanae Antistes creatus fuerat Joannes Anno 1255. cum civitas illa a Manfredo descivit, sed quando Messanenses ad vomitum rediere, fuga sibi consulere coactus est. Ecclesiae deinde Auximanae regimini admotus, quamdiu ipsi praefuerit rescire non potui: brevi sane tempore; Auximates enim anno 1260. ad Manfredum desciverunt. Rexit autem eam absens Vicariis usus Thaddaeo Archipresbytero Pipernate, Uguccione de Cingulo, qui Aesinus postea et Pisaurensis Episcopus fuit, Palmerio Canonico Auximano, et Andrea de Spoleto. Idem Romanam urbem vice Pontificis gubernavit, ut adnotatur in lapidea inscriptione anni 1263., quam refert P. Touronius in vitis Dominicanorum illustrium T. 5. pag. 117. edit. Italicae anni 1746. in vita Joannis.

[2] Martorelli Memorie d'Osimo pag. 122.

dierunt, ac promeruerunt, ut Kal. Augusti 1263. procurandam jubente Pontifice acciperet Ecclesiam illam *S. Benvenutus* Archidiaconus tunc Anconitanus, et Cappellanus Pontificis, qui paulo post (12. Martii 1264.) Episcopus creatus ignominia Auximatem urbem exsolvit.

XXXVI. Haec de reintegratione, ut ajunt, Cathedrae Auximanae breviter nobis fuerunt perstringenda, quod cum fatis Recanatensis civitatis intimo sint nexu conjuncta. Recanatenses enim licet et ipsi saepius ut ad officium redirent, moniti fuissent surdas tamen Pontifici aures praebuerunt, qui propterea contumaces gravissimis literis datis Urbeveteri VI. Kal. Aug. An. 1263. Episcopali dignitate privavit. Executio illarum dilata est aliquamdiu. Demum cum frustra esset usus patientia, eadem, qua honos Cathedrae Auximanis restitutus, eadem Bulla Recanatensibus ademptus est. Bullam Urbani datam apud Urbem veterem tertio idus Martii Anno Pontificatus tertio, quae extat in Regesto ipsius T. 3. Epist. 127. edidit Compagnonius T. 5. pag. 77. Subjecti tunc fuerunt Recanatenses Episcopo Humanatensi, cui antequam Episcopatum ipsi adipiscerentur, paruerant. Concessa porro die 24. Maji (ut in Regesto T. 3. ep. 247.) fuerunt Antistiti Humanensi Ecclesia S. Flaviani, et alia bona, quae olim Episcopis Recinensibus a Sede Apostolica donata fuisse adseverabat Arnulphus Episcopus Humanas. [1]

Translatus denique fuit Bonajunta noster die 13. Octobris anno 1264., prout videre est in Regest. Vatic. anni praedicti epist. 19. et 247. ad Aesinam Cathedram, in qua postquam sedisset annis duobus, dignitate se abdicavit, atque ad vitam privatam rediit, quieturus a curis, quibus vexatissimis hisce temporibus agitatus fuerat. Cum igitur ei successisset Aesii Anno 1266. die 22. Decembris Ugutio filius Compagnoni Johannis

---

[1] Reservatis tamen Ecclesiae Auximanae juribus super Ecclesia *S. Mariae de Civitate. Civitas* regio olim fuit agri Recinensis, in qua Monasterium S. Nicolai vineas etc. possidebat, ut e Bullis Innocentii IV Anni 1254., et Alexandri IV Anni 1256. perspicimus. De Ecclesia in ea regione olim sita hic sermonem esse existimo, et valde fallor, ni ea fuerit, quae *S. Maria de Monte* postea vocata est, quamque paucis post diebus (2. Junii) Venturae cuidam Canonico S. Venantii de Asculo Cappellae Pontificiae Clerico contulit Urbanus IV, injungens Benvenuto Episcopo Auximano, ut in possessionem eumdem induceret. Chartam affert in Appendice Compagnonius. Vocatur autem in ea *Ecclesia S. Mariae de Monte sita extra Castrum Recanati.* Mentio illius occurrit etiam in Instrumento anni 1285., et in catasto anni 1408., unde constat bona ipsius unita fuisse Mensae Episcoporum. Ceterum intelligi etiam posset sub nomine *S. Mariae de Civitate* Ecclesia *S. Mariae Castri novi.* Etenim Sinibaldus Episcopus Auximanus fundos anno 1257. in emphyteusim concesserat *Ecclesiae S. Mariae de Castro Novo;* eoque nomine Ecclesia ista videri posset adstricta fuisse Episcopis Auximanis.

de Montieulo Cingulanus Pisaurensis antea Episcopus, Bonajunta resumpsisse creditur Episcopi Recanatensis nomen (titulum ut ajunt, absque re), eumque tenuisse ad vitae usque finem. Narrat Joan. Antonius Flaminius in vita Alberti Magni, et post eum Michael Plodius in Histor. Dominicana (lib. 2. c. 37.) Episcopum quemdam Recanatensem *sub Nicolao III* Nuncium in Germania Apostolicum fuisse, qui exoratus a B. Alberto Magno Indulgentias Leoni cuidam SS. Crucifixi Coloniae Agrippinae concesserit. Hunc Recanatensem Episcopum Hyacintus Sbaralla in supplementis ineditis Italiae sacrae Ughellianae existimat fuisse Bonajuntam, qui dimisso Episcopatu Aesino Recanatensis iterum Episcopus dictus fuerat. Legatio igitur ejus in Germaniam incidit in An. 1278, Nicolai III primum, aut in 1279., aut denique in 1280., quo S. Albertus fatis cessit.

XXXVII. Haud diu post sublatum sibi Cathedrae honorem resipuerunt Recanatenses. [1] Extat enim epistola Clementis IV ad Cardinalem Simonem Paltinerium data 12. Kal. Julii 1265., qua multum se de *Recanato* gaudere testatur. [2] Postquam vero Manfredus e Piceno copias omnes evocavit mense Februario 1266., quo ipso mense in praelio contra Carolum Andegavensem occubuit, advolavit tunc statim Cardinalis Paltinerius Recanatum. Die enim 17. Martii Recanato litteras ad Matelicanos dedit. [3]

Compositae mox fuerunt a Bonajunta nostro olim Episcopo, tunc vero Aesino, jubente Clemente IV, cujus litterae datae die 9. Martii 1266. apud PP. Conventuales extant, simultates, quae Clero Humanatensi cum Fratribus Minoribus intercesserunt eo maxime tempore, quo Manfredus dominabatur. Cum enim jus mortuos in Ecclesiis suis sepeliendi a Gregorio IX concessum fuisset Fratribus Minoribus, aegre admodum id tulerant Presbyteri Parochiani, oblationes mortuorum, aliosque e funeribus redditus sibi auferri ea ratione conquesti. Itaque Clerus noster Sacramenta iis denegabat, qui sepulturam in Templis Fratrum sibi delegissent, eorumdem funera comitari abnuebat, campanas pulsari vetabat, hisque similia non pauca legibus editis constituerat. Quae cum ad aures Pontificis pervenissent, a Bonajunta Cleri acta hujusmodi rescindi, pacique et concordiae consuli voluit.

XXXVIII. Qua porro fide erga Romanam Ecclesiam Recanatenses fuerant; antequam externa vi ab ea averterentur, eam sibi relicti constanter

---

[1] Resipiscere prius non sine ingenti vitae, et rerum suarum discrimine potuissent Recanatenses: tenebatur enim Civitas forti praesidio a Manfredianis, et Corradus ipse Capeccius Regis in Marchia Vicarius generalis An. 1263.-1265. pluribus mensibus Recanati sedem fixerat. (Ex Archiv. Firm. et Matelic.)

[2] Catalani de Eccl. Firm.

[3] Archiv. Matelic.

retinuerunt, extinctis factionibus inter cives. Ad quam rem non parum operae contulisse arbitramur Sanctam Virginem *Sperandiam*, cujus corpus Cinguli in Monasterio ab ipsa instituto incorruptum adservatur, et colitur. Ut enim auctor vitae ipsius [1] testatur, Recanatum profecta diuturna odia inter cives extinxit, concordiaeque firmioris auctor fuit. Quae quidem, ut perpetua esset, coaluit denuo Sodalitium S. Mariae Virginis et S. Francisci honori dicatum, saluberrimisque die 15. Junii 1269. munitum est legibus, quarum secunda Sodales ei adscripti cuivis parti, sive factioni renuntiare, pacique unice studere jubentur. Leges illae postmodum auctae ab Andrea Bontempio S. Romanae Ecclesiae in Marchia Vicario An. 1384. die 29. Januarii, et 1387. iterum ab eodem, ac demum a Joanne Baptista Sinibaldio Auximatium Episcopo, qui An. 1542. mense Decembri visitationem hujus Dioecesis pro Cardinali Joanne Dominico de Cuppis Ecclesiae nostrae Antistite obibat, confirmata fuere.

Notavimus autem superius Fraternitatem hanc vetustissimam ac nobilem hodiedum florere, et camdem esse, quae *Mercatorum* dicitur, non quod e solis mercatoribus conflata umquam fuerit, sed forsan quod *Consules* olim elegerit, qui mercatorum potissimum lites decidere solebant.

Anno 1272. mense Junii Arnulphus Episcopus Humanatensis O. Praedicatorum licentiam dedit Fratribus sui Ordinis Coenobium hac in urbe aedificandi. (Calcagni p. 330.)

XXXIX. Eodem fere tempore *S. Nicolaus Tolentinas* Conventum Ordinis sui Recanatensem incoluit, in ipso illius exortu. Sententia enim extat in Archivo Conventus lata An. 1298., qua definitur, nihil obesse, quominus in eo Patres Augustiniani commorentur, licet post Dominicanos Recanatum advenissent; distare enim utraque Coenobia legitimo 140. cannarum, sive perticarum nostratium intervallo, imo longiori. Originem ergo suam habuit is, qui nunc existit, Conventus S. Augustini post annum 1272., quo Patres Praedicatores huc advenisse superius annotavimus. Attamen ante Manfredi bella Patres Augustinianos Recanati [2] jam consedisse discimus e Bulla anni 1251., qua *Prior, et Fratres loci heremitarum S. Augustini de Recanato* Coenobium satis amplum pro Sanctimonialibus sui Ordinis extruere coepisse affirmatur, de qua re superius actum est pluribus.

S. Nicolaum Recanati aliquamdiu egisse, testis est omni exceptione major Frater Hieronymus de Monte Rubbiano auctor coaevus, qui in ejus

---

[1] Edidit eam Maurus Sartius in Comm. de Episcopis Eugub. pag. 119.

[2] Fama est incoluisse eos primum ad Ecclesiam *S. Laurentii*, quae nunc *SS. Benedicti et Nicolai* dicitur, et Monasterio conjuncta est Virginum Sacrarum.

vita scribit, Sancto Viro, *cum in civitate Racanati Conventualis degeret*, de fratris domo nuntium advenisse, qui de nece in Castro *Apetiani* fratri ab hostibus illata certiorem faceret. Locus ille *Apetiani* in confinibus jacet agri Terrae S. Genesii, et Castri Lauri, ac de eo diu et acriter Firmanos inter, et Sangenesianos decertatum fuit. [1] Animam fratris e purgatorio igne suis precibus liberasse fertur Nicolaus. Quod factum, si quidem Beatus ille vir Tolentini continuis, ut putant, triginta annis egit, cum obierit An. 1309., ante annum 1279. contigerit necesse est.

XL. S. Nicolai Tolentinatis aequalis fuit *B. Benvenutus de Recanato*. Fratrum Minorum hic amplexus est institutum, atque, ut conjicere fas est, unus ex primis fuit Coenobii nostri Franciscani incolis. De ejus virtutibus ac miraculis multa habet Waddingus T. I. Annalium ad an. 1289. hausta e B. Bartholomaeo Pisano, qui lib. I. Conformitatum S. Francisci cum D. N. Jesu Christo, fructu XI. de eo agit. Laicus fuit, tantaque devotione ferebatur erga Augustissimum Eucharistiae Sacramentum, adeo studiose Sacra adibat, quibus id conficitur, ut . . . . *cum relicto coquinario opere aliquando vacasset diutius orationi coram hostia sacratissima, mereretur operis vicarium habere Angelum — Et Frater Joannes de Alvernia* (qui post vitam 50. annis inter Fratres Minores actam anno circiter 1322. ad Superos abiit) *fuit unus de manducantibus, et alii omnes, qui comederunt, erant in sanctitate praecipui*. Ita Pisanus.

Quam insigni prosecuti fuerint cultu sanctum hunc Virum Cives ipsius Recanatenses, a felicissimo ejus obitu ad nostram usque aetatem, documenta docent luculentissima.

Cum enim intericrint chartae vix non omnes anno 1322. antiquiores, in Codice an. 1323. paucis post excidium urbis mensibus conscripto Cereus commemoratur, qui eo anno *ad laudem S. Benvenuti* a Magistratibus oblatus fuit. Cereum in festivitate *S. Benvenuti* offerendum esse quotannis in volumine Statutorum decernitur; quod volumen scriptum quidem fuit anno demum 1405., at leges continet non nuperas, sed e codicibus antiquioribus depromptas, ac in novum tantum et meliorem ordinem redactas. Itaque *festum quoque S. Benvenuti* statuto illo antiquius fuisse probabilis est conjectura. [2]

---

[1] Sic anno 1301. mense Augusto Firmanos 40. in Castro Apezzani a Sangenesianis interfectos chartae veteres testantur.

[2] In libro, ut ajunt, Bullettarum anni 1323. expensae factae pro cereo et libra candelarum *oblatis ad laudem S. Benvenuti* referuntur sub die 20. Septembris. In libro autem causarum civilium anni 1445. (penes R. D. Petrum Pintuccium) inter *dies feriatos*, quibus jus dici nefas erat, recensetur *dies 17. Septembris propter fe-*

Anno 1330. die 13. Martii [1] Episcopi quamplures indulgentiam concesserunt invisentibus Ecclesiam S. Francisci die festo S. Benvenuti, atque octiduo sequenti, aliisque nonnullis diebus festis, cujus concessionis diploma sigillis suis munitum adhuc in Tabulario Coenobii superest.

Anno 1404. 25. Martii pius quidam vir sepulcrum lapideum . . . *pro honorando et collocando Corpus Sanctissimi Confessoris B Benvenuti de Racanato situati in dicta Ecclesia S. Francisci* . . . aere suo faciundum curavit (Archiv. S. Francisci). Sepulcri formam, ut aetate illa, non inelegantem describit instrumentum anni 1407. 24. Februarii, quod e protocollo Antonii Jannis depromptum in Appendice damus. (N.° 58.).

Aliud instrumentum est in Archivo S. Francisci, quo Franciscus Paulutii Praepositus S. Viti quadraginta ducatos persolvisse dicitur *pro ornamentis Cappellae S. Benvenuti.*

Ornamenta illa, et Cappella in meliorem formam commutata fuere An. 1604. addita pictura, adscriptisque versibus:

Hic Benvenuti clauduntur membra Beati
Sanctorum multae reliquiaeque manent.

Remota tabula picta conspiciebantur intra armarium quoddam capsulae duae, quarum altera Caput Benvenuti, altera Reliquias continebat. In capsula Reliquiarum picta erant insignia Nobilium familiarium Marinae, et Alamanniae (quarum forte sumptibus confecta fuerat capsula), atque insigne Seraphici Ordinis, opus utique recentioris aetatis. In portula armarii effigies erat B. Benvenuti, ut indicabant litterae B. B. R. idest *Beatus Benvenutus Recanatensis.*

De Capite B. Viri in Ecclesia S. Francisci adservato meminit in Calendario An. 1611. Rutilius Benzonius fel. mem. Episcopus olim noster.

Recognovit sacra lipsana An. 1724. 17. Junii Laurentius Gherardius, ea vero in urnam novam transtulit An. 1730. 29. Julii Vincentius Maria Muscettola, ac denuo recognovit An. 1794. Dominicus Spinutius Episcopus

---

stum S. Benvenuti. Unde colligitur ad illa usque tempora celebrari illud solitum fuisse die 17 Septembris. Nunc autem agitur die 5. Maji.

[1] Scilicet: *Petrus Nazarenus, et Guilelmus Antibarensis* Archiepiscopi: *Jordanus Acernensis, Angelus, G. . . . scitanus, Sergius Catharensis, Madius Den. . . . , Rodulphus Dunensis, Bernard. Diagorganensis, Johannes Caprulanus, Martinus Torralbensis, Stephanus Pharensis, Johannes . . . . erbiensis, Guilielm. Taurisiensis, Vincent. Marrensis, Jordanus Columbensis, Johannes Cassanensis, Meletius Gallipolitanus, Bonifacius Sulcitanus, Fr. Sinibaldus Dioec. Auximanae, Johannes Urbinas, Johannes Senogalliensis, Petrus Humanas, et Franciscus Anconitanus Episcopi.*

Maceratensis. Cultum solemnem concesso officio probavit Sacra Rituum Congregatio die 17. Sept. 1796.

B. quemdam *Compagnum* Ordinis Minorum Fratrem circa haec tempora apud nos vixisse refert Calcagnius, quo teste, ego quidem ignoro. De illo tamen mentio fit in Martyrologio Franciscano die 6. Februarii.

Ne quid hic loci praeteream, quod ad historiam Conventus nostri Franciscani facere videri posset, adnotasse juvat, sub ipsa illius primordia hic receptum fuisse ad Ordinem *B. Joannem de Penna S. Joannis* opera cujusdam Fr. Philippi, qui in illis partibus verbum Dei populos edocuerat. Obiisse creditur B. Joannes circa annum 1271., Corpusque ejus in Patria tumulatum hodieque miraculis floret, atque a fidelibus colitur. Videsis de eo fusius agentem Cl. Colutium Antiqu. Picen. T. XXV. [1]

XLI. Ceterum Recanatenses postquam ad obsequia Ecclesiae redierunt, non cessarunt *multiplicatis instantiis a nonnullis Romanis Pontificibus* expostulare, ut pristinus Patriae honos restitueretur.

Indiculum habemus bonorum Ecclesiae S. Flaviani et Episcopatus confectum paucis diebus [2] antequam Bernardus Episcopus Humanensis ad Castrensem in Etruria Cathedram transferretur.

Juxta hunc indiculum possidebat Mensa Recanatensis modiolos 1843. et staria 3., (modulus constabat sextariis XI, sextarius decem perticis quindecim pedalibus). Singulorum fundorum recensetur situs, et mensura jussu Senatus diligenter exacta.

Poenitentiae lacrimis, ac doloris suspiriis diu peractis, tandem Nicolaus IV Recinenses votorum compotes effecit, cum die 1. Decembris 1289. *ad homines Recanatenses utpote ipsius* Romanae Ecclesiae peculiare peculium, *et fideles, qui . . . nunc errores malorum temporum redimentes sicut tenentur per exhibitionem bonorum operum facti sunt benedictionis filii, paternae benignitatis oculos dirigens Civitatem Recanatensem ad dignitatem Episcopalem restituit*, ita ut Ecclesiae Humanatensi, de cujus bonis *nonnulla olim receperat*, Commune Recanatense sex florenorum auri millia [3] in satisfactionem persolvere teneretur, convertenda in emtionem possessionum ad opus Ecclesiae Humanatensis, concedendo etiam *pro dioe-*

---

[1] Cultum B. Joannis a Penna probavit anno 1807. Pius VII., ejusque memoriam horis canonicis, lectionibusque et Missa, ut ajunt, propriis in Firmana, et aliis quibusdam Dioecesibus coli permisit.

[2] Die 14 Martii 1285.

[3] Summae tamen illius nonnisi tertia pars statim soluta fuit, ita ut quinquennio post Bonifacius VIII. litteris 1296. 7. Maji datis (Regesl. Vatic. an. II. ep. 178) ad residuum persolvendum cogi jusserit Recanatenses.

cesi territoria quaedam, quae fuerant dioecesis Humanensis.[1] Die porro 12. Decembris Pontifex Nicolaus Fratrem Salvum Ordinis Praedicatorum a Latino Card. Ostiensi consecratum Episcopum Recanatensibus Antistitem constituit.

V. FR. SALVUS

XLII. Restituta igitur Ecclesiae Recanatensi dignitate Pontificia Kal. Decembris 1289., designatus est a Nicolao IV 2. idus ejusdem mensis [2] Fr. *Salvus* ex Ordine S. Dominici, qui ei praeesset, quem in Episcopum consecravit Latinus Cardinalis Ostiensis. Licet de actis Salvi Episcopi pauca ad nos pervenerint, ex iis tamen perspicimus virum fuisse pietate, ac zelo salutis animarum procurandae omnino insignem. Prima ejus cura fuit disciplinam Cleri, quam proximis temporibus non parum imminutam fuisse dubitari vix potest, in melius reformare; dein Ecclesiarum sibi creditarum decori, atque administrationi magis proficue consulere. Itaque et Canonicorum numerum, qui deni, aut duodeni fuerant, in duplum auxisse videtur, et Ecclesiam Parochialem S. Gregorii adsentiente Canonicorum Capitulo Ecclesiae S. Dominici ob paupertatem tum Conventus, tum Templi Parochialis, cujus redditus vix uni Clerico alendo sufficiebant, adnexuit.[3]

Cum Ecclesia *S. Joannis in Pertica* licet redditibus amplioribus instructa, a Monachis tamen vix non deserta esset, septem in ea Clericos constituit; et Rectorem Ecclesiae rurali *S. Mariae de Monte Azzano* praefecit, privilegio innixus Innocentii IV, qui An. 1249. utramque Ecclesiam jurisdictioni suae subjecerat. Contigerunt haec An. 1290. mense Septembri; sed anno insequente Salimbene Abbas Monasterii S. Mariae de Vallefucina, ad quem Ecclesiae illae pertinebant, lite hac super re Episcopo

---

[1] Exorta est non ita multo post hanc Nicolai Bullam contentio de Aspiae alveo ac finibus dioecesis Recanatenses inter et Anconitanos, cui finis impositus est An. 1302. Vide quaedam de eo bello disserentem Nicolaum Peranzonium de Laudibus Piceni T. XXV. — Antiqu. Picen. Cl. Josephi Colucii.

Eadem contentio recruduit Saeculo XV., qua de re agemus in actis Nicolai de Astis.

[2] Bullar. Dominic. T. 2. et App. dipl. n. XXXI.

[3] Documentum hujus unionis extat in Archivo Eccl. Cathedr. Recanatensis suo adhuc sigillo cereo munitum, in cujus circuitu sequentes litterae cospiciuntur ✠ S(ignum sive Sigillum fratri S: SALVI D(ei gratia) EPI RACA(nat)EN(sis). In medio conspicitur imago Episcopi benedictionem populo impertientis. Datum est *Racanati in Palatio D. Episcopi* 14. Aprilis a. 1290 (Append. diplom. N. XXXIII.)

mota obtinuit, ut reductis Monachis Clerici ex Ecclesia S. Joannis amoverentur. [1]

Paulo post Nicolaus IV Urbem Romam Vicario nomine in spiritualibus regendam Salvo commisit, quod munus nonnisi spectatissimis viris demandari solet.

(Ad Salvum Episcopum Recanaten. Urbis Vicarium scripta est epistola 203. Regest. Vatic. An. 1291. 12. Maji.)

Extant apud PP. Dominicanos Tiburtinos Indulgentiarum litterae, quas Fr. Salvus Episcopus Recanaten., et Urbis Vicarius *auctoritate BB. Petri et Pauli, et B. Flaviani Martyris Patroni nostri* ipsorum Ecclesiae concessit, datae An. 1291. die 11. Septembris. (Bullar. Dominic. T. VIII. p. 454.)

Salvo Bonifacius VIII anno 1300. 13. Martii licentiam dedit *benedicendi primum lapidem Ecclesiae S. Clarae de Ancona Ord. S. Augustini* (in Archiv. Conventus illius.)

Ceterum anno eodem die 25. Septembris testatus est Salvus Episcopus se recepisse a *Thedelgardo Gradolonis*, (qui Monaldutii nobilissimorum Comitum Leopardiorum proavi frater fuit) et a Monasterio S. Benedicti 220. libras Ravennates, qua de causa nescio, sibi debitas (ut in Archiv. PP. Conventualium nostratium) et Append. N.° 36.

Postera die interfuit, cum a Cardinale Neapoleone Ursino, qui castra habebat ad Potentiam flumen, pax inter Auximates et Recanatenses conciliaretur, cujus instrumentum in Archivo Civitatis Recanatensis extat. [2] Aliquot enim ab hinc annis bellum exortum fuerat vicinas inter illas civitates, eo quod nostri arcem quamdam in loco de Montillo, sive de Montali, quae *Montis Floris* dicitur, excitassent in *praejudicium Civitatis Auximanae*, *et Sedis Apostolicae*, ut asseritur in litteris Apostolicis, quas Guilielmo Durando Marchiae Rectori, die 20. Octobr. An 1295. exhibuerant Auximani, teste Cl. Muratorio in Antiquitatibus medii aevi Dissert. 71. col. m. 182., quasque edidit in Appendice ad observationes suas criticas Lucas Fanciullins pag. 772.

Superest adhuc in tabulario oppidi Montis Luponum charta An. 1294., e qua colligitur circa finem An. praecedentis ope Thebaldi D. Ramberti

[1] Acta litis in Archiv. Cathedr. Eccl. S. Severini N. 22. 90. 231. 73. 213. et 328. et Appen. diplom. N. XXXII.

[2] Renuntiarunt Auximates juri suo in Castrum Montalium, sive *Montis Florum*: Recinates juri in Castrum *Montis Fani*. Reducti utrinque exules, conventumque fuit, cives alterius loci ab alteris nequaquam in habitatores recipi debere; ceterum liberos commeatus inter utrosque fore, declarati etiam limites utriusque territorii.

de Mainettis occupatum fuisse a Recanatensibus oppidum *Montis Luponis*, expulsosque cum sequacibus Marcum de Morellis, fractos muros, introductos exules; ac demum Montcluponenses eodem Theobaldo duce suppetias Recinensibus adversus hostes tulisse. Qua de causa mulcta eis irrogata fuit 500. florenorum fisco solvenda.

Compositis rebus non multo post e rebus humanis excessit Salvus Episcopus; etenim successorem anno proximo habuisse invenimus. Fama ejus virtutum ad posteros pertransiit, qui *Beatum* agnominarunt, Martorellio teste in Theatro S. Domus Lauretanae, et Auctoribus Bullarii Dominicani.

XLIII. Hujus Episcopi tempore inclarescere coepit miraculorum fama Lauretanae Virginis Aedicula, cujus historiam diligentissime juxta et elegantissime Horatius Tursellinus contexuit, cui praeivit An. 1531. Hieronymus Angelita Senatus Recanatensis a Secretis. Alterutrum horum consulat, cui volupe erit res loci illius sanctissimi, ac per totum orbem celeberrimi accuratius cognoscere. Nos enim, qui Episcoporum potissimum gesta memoriae commendanda suscepimus, de illo parcius, ubi res postulaverit, mentionem interjiciemus. Non pauca tamen ad Lauretanam Aedem pertinentia ab auctoribus citatis praetermissa, aut brevius perstricta proferemus in Praefatione ad Lauretanorum Antistitum seriem.

XLIV. Elenchum hic loci inserendum duximus Ecclesiarum Dioecesis Recanatensis, a quibus Ann. 1290. et 1299. decimas pro subsidio Regni Siciliae impositas, persolutas fuisse discimus e Codicibus XIII. et XX. Archivi Secreti Vaticani.

		LIBR.	SOL.	DENAR.
	D. Salvus Episcopus solvit	23.	4.	4.
(1300)	D. Petrus Rector Ecclesiae *S. Andreae*. .	—	—	—
	Dp. Erculanus Cappellanus Eccl. *S. Angeli*, et Praebendati duo	—	8.	—
	Dp. . . . . . familiaris Ecclesiae *S. Crucis* .	—	—	—
(1299)	Dp. Partholus Cappellanus, et Clericus Ecclesiae *S. Jacobi de Monte S. Viti* . .	—	2.	5.
(1299)	Dp. Ugus Cappell. Ecclesiae *S. Jacobi de Porta Murata*	—	3.	—
	Dp. Jacobus et Dp. Colisanti Cappellani *S. Jacobi, S. Lazari, et S. Johannis* . .	—	19.	—
	Dp. Bertinus Cappell. Ecclesiae *S. Johannis de Monte*	—	15.	—
	Prior *S. Johannis de Pertica*, et Dp. Simon Cappellanus	3.	—	—

	LIBR	SOL.	DENAR.
Dp. Nicolaus Cappell. *S. Lurentii de Matia*	—	8.	10.
Dp. Homodeus Cappell. *S. Luciae,* et Partulus Praebendatus	1.	2.	3.
(1299) Dp. Jacobus Cappell. *Ecclesiae S. Luciae de Montazano*, et Praebendatus	—	—	—
Dp. Rusticus Camerarius Ecclesiae *S. Mariae de capite Racanati* pro Priore . .	25.	—	—
Dp. Matthaeus Monachus	—	5.	—
Dp. Jacobus Cappellanus	—	4.	—
Dp. Albricus Cappell. Eccl. *S. Mariae de Cerro*, et Maurus, ac Philipputius ejus Clerici	1.	—	—
Dp. Raynaldus Dominae Viridis Cappell. Ecclesiae *S. Mariae de Montazano* . .	—	13.	8.
Dp. Matthaeus } Cappellani Ecclesiae *S. Mariae de Monte Morello* .	—	9.	—
Dp. Sanctorius }	—	17.	—
Deusteadjute Clericus	—	5.	—
Dp. Nicolaus Cappellanus Ecclesiae *S. Mariae de Platea* cum duobus Praebendatis	—	5.	—
Prior et Monasterium *S. Mariae Pontis Potentiae*	7.	—	—
Prior Ecclesiae *S. Mariae de Varano*, Dp.	2.	—	—
Matthaeus Cappellanus, et Floranus Clericus	1.	—	—
(1299) Dp. Gualterius Cappellanus Ecclesiae *S. Mariae novae*	—	—	—
Dp. Rainaldus Valienti Cappellanus Ecclesiae *S. Maroti*	—	14.	—
Dp. Marcus Cappell. *S. Martini* de castro S. Martini	—	10.	5.
Dp. Alevrandinus Cap. *S. Michaelis de Monte Morello*.	—	10.	—
Dp. Deu-te-defenda Praebendatus	—	6.	—
Dp. Rainaldus Capp. *S. Michaelis de Ponticello*	—	6.	—
Dp. Laurentius Cap. Eccl. *S. Petri de Montezano*	—	4.	6.
Dp. Acto Cappell. Eccles. *S. Philippi de Castro S. Martini*	1.	10.	—
Dp. Jacobus Cap. Eccl. *S. Salvatoris* . .	—	13.	—

	LIBR.	SOL.	DENAR.
(1299) Dp. Franciscus Cappell. et Praebendatus Ecclesiae *S. Severini*	—	—	—
Dp. Jacobus Capp. Eccl. *S. Silvestri*	—	5.	—
Dp. Dominicus Capp. Eccl. *S. Stephani.*	—	13.	11.
Dp. Joannes Praebendatus	—	4.	11.
(1299) Dp. Gualterius Cappell. Eccl. *S. Venantii de Montezotto*	—	—	—
Canonici Ecclesiae S. Viti			
Dp. Petrus Rainerii	—	—	—
et D. Tolomeus.	—	—	—
Dp. Benedictus	1.	—	—
Dp. Thomas	1.	10.	—
Dp. Corradus Salvi	—	10.	—
Dp. Jacobus Fantiboni	4.	8.	—
Dp. Jacobus Rainerii	1.	16.	—
Dp. Acto	—	12.	—
Petrus Andreae	1.	10.	—
D. Fredericus	—	10.	—

Accedunt in charta ejusdem anni pro Conventu S. Dominici data, cujus superius meminimus,

D. Corradus *Archidiaconus*
Dp. Amodeus
Gentilutius Francisci
Crescentius D. Grimaldisci
D. Bernardus de Camera
Dp. Damianus
D. Ranaldus Petri
D. Lambertus Pellegrini de Esculo
Jacobutius Jacobi Nicolai
qui omnes dicuntur *Capitulum et Canonici Cathedralis Ecclesiae*

Monasteria Sanctimonialium e Codice XX. Archiv. Vatic. Anni 1300. fuerunt octo, nimirum:

S. Agathae
S. Benedicti
S. Catharinae

S. Crucis
S. Margaritae
S. Mariae Magdalenae
S. Matthaei
S. Nicolai

In testamento Matthaei Roberti, quod conditum fuit An. 1292. memorantur *loca Dominarum juxta campum Tarabotti*, quae idem forte sunt ac Monasterium S. Catharinae, quod solum in dicto testamento non nominatur.

Mentio fit praeterea in testamento mox citato *Carcerum*, sive locorum *inclusorum:* item

Fratris cujusdam Joannis *Regulariorum:* ac Fraternitatum *Continentium* [1] et Notariorum:

Hospitalium, S. Spiritus (prope Portam Cerasiam)
A Porta S. Mariae (de Castro Novo)
S. Eustachii.

VI. FRIDERICUS

XLV. *Fridericus* Nicolai filius, Joannis nepos [2] Civis et Canonicus Recanatensis suae Patriae electus est Episcopus a Capitulo, et confirmatus a Bonifacio VIII. An. 1301. idib. Novembr. (ex Regest. Vatic. An. VII. epist. 263).

De rebus a Friderico in primis Episcopatus sui annis gestis rescire nihil potuimus. Constituta fuit An. 1302 a Neapoleone Cardinali Ursinio pax et concordia Anconitanos inter et Recanatenses, qui de Turri Aspiae armis decertaverant.

Cum An. 1305. Clemens V. Guilielmum Episc. Guabalitanum et Pilifortem Abbatem Lomberiensem in Italiam misisset injuncto eis munere

[1] Qui Tertium Ordinem S. Francisci erant professi, ut ex epistola Gregorii IX., quam in Bullario Franciscano T. I. edidit Hyacinthus Sbaralea.

[2] Recanatensis fuit nobili genere natus, Fratres habuit *D. Zanum militem* (idest equitem), *Ballutium*, et *Rubeum*: nepotem *Brandalisium;* plurimasque domos in urbe, fundosque in agro Recanatensi possedit, ut in actis annorum 1314. et 1315., de quibus infra. Friderici Canonici Recanatensis nomen subscriptum legitur diplomati An. 1290., quo Salvus Episcopus Ecclesiam S. Gregorii Fratribus S. Dominici elargitus est. Annis porro 1299. et 1300. decimas pro Pontifice in Dioecesi Recanatensi collegit. De fratre ejus mentio fit in charta An. 1315. 2. Maji Maceratae conscripta in qua vocatur *D. Cianus de Racanato miles*.

pacificandi et *reformandi* provincias Tusciae, Marchiae Anconit., Romandiolae etc., iique d. 18. Febr. 1306. pacis inter Camertes, Sanseverinenses, Fabrianenses et Matilicanos ineundae leges dictarent, adhibendum sibi in consilium putarunt cum Rambaldo Comite Tarvisii Marchiae Rectore, et Gabriele de Mediolano Rectore super spiritualibus *Fredericum Episcopum Racananum* (Archiv. Matilic.)

Anno 1308. Fridericus Episcopus Ecclesiam *S. Mariae de Cerro* Abbati Vallis Castri restituit, ut est apud Annalistas Camaldul. T. V. quamvis non diu eam tenuerint Monachi.

Anno 1310. 11. April. Ecclesiae S. Francisci de Sarnano indulgentias concessit. Act. Recanati.

XLVI. Fridericum Episcopum Ghibellina factio, quae tunc maxime invaluerat, adeo divexavit, ut numquam quieto ei esse, et Ecclesiae cum pace praeesse licuerit, quinimo An. 1313. ipsum cum Guelfis omnibus Civitate ejecerit.

Initium hoc fuit dolorum, et veluti semen, e quibus cetera delicta enata sunt, ob quae tandem Recanatenses Civitatis. et Cathedrae honorem rursus amiserunt, atque res patriae in ultimum discrimen adduxerunt. Sed cum a pluribus confuse admodum historia horum annorum tradita fuerit, ab illo praesertim, qui seriem Antistitum nostrorum Ughellio vulgandam misit, qui nescio quo affectu abreptus miros ubique de Recanatensium, ut ait, perfidia, seditionibus, rebellionibus clamores ciet, juvabit rem altius repetere, et accuratius enucleare, quam hactenus a quoquam factum sit.

Nota res est inter Guelfos tum temporis et Ghibellinos totam Italiam fuisse divisam; ac initio quidem praevaluisse Guelfos, quorum partes tuebantur Pontifices Romani, Carolus Rex Italiae inferioris, Florentini, Bononienses, Perusini, Camertes, Anconitani, cum Malatestis Ariminenses, aliique quamplurimi.

In Ghibellinos tamen propendisse visus fuerat Nicolaus III, eumque secuti sunt Nepotes Ursinii, Cardinalis inprimis Neapoleo Sacri Senatus Princeps vir maximae sane auctoritatis, forte quod timere coepissent Guelforum potentiam, aut extingui odia facilius posse putarent, si alteri quoque parti nonnihil concederetur. Qua de causa maximum sibi apud Guelfos odium conflarunt. Itaque Neapoleo missus An. 1308. Florentiam, ut cives illos ad pacem hortaretur, ne ausus quidem est civitatem intrare: Anno sequenti vero Bononia vi expulsus est, quod Ghibellinis nimium favere diceretur. Eo ipso anno liga sive foedus, ac societas inter civitates Romandiolae et Piceni, quae cis Potentiam sunt, coaluit, quae *Amicorum* dicta fuit; cui tametsi Ghibellinorum esset, praefuit Giraldus de Tastis

Marchiae Anconitanae Prorector. Cumque Malatestae Guelfi Senogalliam, Fanum, Pisaurum, et Forum Sempronii occupassent, Giraldus *Amicorum* istorum ope amissa recuperavit mense Majo 1308. Cardinalis Neapoleo contra Florentinos, et Bononienses exercitum coegerat, auxiliis usus Friderici Comitis Feltreusis, qui inter Ghibellinos primas partes agebat . . . *Anno* 1309. *mense Junio factus est conflictus bene* 3000. *hominum de civitate Anconae per Comitem Fridericum de Monte feretro, qui Capitaneus erat pro Ecclesia Romana, de civitate Aesii etc.* Ita Annales Caesenates apud Murator. T. XIV. col. 1131. in Script. rerum Italic., et Clemens ipse V in litteris An. 1310. 21. Junii datis, quibus in Anconitanos, Senogallienses, Asculanos etc. ut in rebelles varias poenas decernit. Litteras illas Compagnonius in Reg. Pic. pag. 167. ex Archivo Montis Causarii edidit.

Paulo post hanc victoriam Fridericus Feltrius Spoletum noctu cepit, ejectis inde Guelfis. Advocaverat etiam Clemens V Henricum VI in Italiam contra Guelfos, eumque in Templo S. Joannis de Laterano coronari voluerat, eo quod S. Petri Basilica a Guelfis teneretur.

Atque hoc modo Recanatenses, qui pro Pontifice stabant, in ligam Ghibellinorum ipso Pontifice ejusque Legatis auctoribus vel inviti pertracti sunt.

. Equidem anno 1311. quum Clemens V ob adventum Imperatoris Ghibellinos triumphare perspexisset, etenim is Guelfos Lombardia ejecerat, ac Matthaeum Vicecomitem Mediolani Vicarium Imperii constituerat, eum haec comperisset, inquam, Clemens V., sibique metuere coepisset, ne opprimeretur ab iis, quos hactenus foverat, a Ghibellinis ad Guelfos transiit, et revocato Giraldo de Tastis, Piceno Raymundum a Spello, Romandiolae Robertum Siciliae Regem Guelfos praefecit.

Verum non ita proclive fuit Recanatensibus a liga, cui tot annis assueverant, cuique animis et armis conjuncti fuerant, discedere. Licet enim *Sperantia Comes Montis feretri, et Capitaneus ligae terrarum Amicorum de Marchia* pacem cum Raymundo Piceni Rectore iniisset initio anni 1312., recruduerunt tamen acrius bella An. 1313., fatis functo Henrico VI Imperatore. Societatem eo tempore fecisse inter se Auximum, Recanatum, Fabrianum, Sancti Severini, Montis Milonis, et Montis Cassiani oppida, Cingulum, Serram S. Quirici, Montem Albottum, Corinaldum, et Montem Novum refert in Regia Picena p. 171. Compagnonius.

Quae cum probare nollet Fridericus Recanatensium Praesul, plurimosque jam sua auctoritate movisset, ut ne a Summi Pontificis Principis sui obedientia deflecterent, furore correpti, quibus diversa factio

placuerat, *Jacob, et Berardus D. Percivalli, Adiolettus Cruciani*[1], *Burgarescus Simpliciani, Percivallus, et Albricutius Gabrielis, Zanolus, Petrutius, Zerolus*, *Burdo et Leo filii Corradi Petri* Ghibellinae partis duces cum aliis quamplurimis armati domos Episcopi mense Aprilis anni 1313. expilarunt, ablatis 425. salmis vini, panis, aliaque suppellectile; et colonos e fundis ejus expulerunt, direpto quidquid fuerat grani, hordei, olivarum, vini etc., et excisis vineis atque arboribus.

Neque his contenti mensibus proxime sequutis quinque domos Episcopi destruxerunt, possessionesque vastarunt, ita ut ne coli quidem sinerent. Imo eo usque audacia progressi sunt, ut mense Augusti 1313. ac deinceps *singulis festivitatibus B. Virginis, et in Octavis ejusdem ad Ecclesiam S. Mariae de Laureto ad Recanatensem Ecclesiam, et D. Episcopi mensam immediate spectantem accesserint, et contra voluntatem Cappellani sive Presbyteri positi per dictum D. Episcopum ad colligendas oblationes dictae Ecclesiae* totam pecuniam, quae erat in trunco dictae Ecclesiae abstulerint, rapiendo etiam super Altare dictae Ecclesiae, et de dicta Ecclesia *undique* omnes *oblationes et omnes tortitios et faculas et imagines de cera, et de argento*, accipiendo etiam, et asportando super imaginem Beatae Virginis, et *de Cona* (Statua) *ejus, et super imaginem Domini nostri Jesu Christi, quae erat in dicta Cona, omnes guillandras de argento cum pernis* (perle), *et sine pernis, et bindas, et velittos* (fettucce e veli) *de sirico et omnes tobaleas de sirico, et sine sirico*. Haec e sententia descripsimus, qua praedones illos An. 1315. die 23. Octobris Jacobus de Nursia Judex super maleficiis in Marchia Anconitana generalis ad resarcienda damna condemnavit, adjudicatis quoque bonis eorum fisco.[2] Verum non ita multo post die 2. Februarii 1316. intercessit Stephanus de Columna Capitaneus ligae, obtinuitque, ut in gratiam Ecclesiae Romanae socii ligae illius reciperentur modica poena Camerae Apostolicae persoluta.

Neque tamen diu a bellis cessatum est. Resumpserunt enim arma socii mense Julio Duce Rainaldo de Brunforti, ac deinde Federico Mon-

---

[1] De *Mazolenis*, ut in libro Causarum Civilium An. 1334. p. 98. Capitaneus olim fuit, ut ibi legitur, *Societatis S. Viti*. Quae cum nulla ejus mentio alibi occurrat, coetus fuisse videtur factiosorum hominum, qui id nominis assumpserunt veluti tesseram unionis, ut fraternitas S. Mariae Auximi eodem ferme tempore instituta, sub cujus colore, ut ait Joannes XXII. (Compagnoni Memorie della Ch. di Osimo T. V. p. 112) *auximani rebelles in Ecclesiae fideles crudelius saeviebant*, aliaque *fraternitas S. Mariae Virginis* Parisiis An. 1357. instituta, cujus caput Marcellus fuit Mercatorum Praefectus, qui ob rebellionem haud diu post supplicio affectus est ultimo.

[2] In Archiv. Recanaten., et Append. diplom. N. XXXVIII.

teferetrano. Finxerunt quidem Auximates mense Augusto An. 1317. ad obedientiam Ecclesiae se redituros, datisque fidejussoribus spoponderunt, Appignanum, Ofaneam, Montem S. Mariae in Cassiano una secum jussa facturos Amelii de Lautreco Praepositi Bellimontis Marchiae Rectoris. At vero tantum abfuit, ut promissis starent, ut spreto parlamento generali, quod Monteulmi die 14. Decembr. 1317, habitum fuerat, cujus decreta in Archivo Maceratensi extant, spretis pactis solemnibus, et ipsi sub tyrannorum jugo perseveraverint, et perseverare sub eo Oppidanos Comitatus sui coegerint; imo Recanatum mense Octobr. 1318. inopino insultu aggressi civitatem illam caedibus, rapinis, et expulsione civium, qui adversabantur, perterrefactam eo adegerint, ut nobilium quorumdam, quos supra nominavimus, imperio collum et ipsa subderet, ghibellinorum partibus accedens.

De criminibus igitur a tyrannis Auximanis, et Recanatensibus perpetratis jure actum est mense Octobris, lataeque contra eos sententiae, de quibus consulatur Muratorius Dissert. 72. Joannes vero XXII, ut cum reis mitius ageretur, die 6. Decembr. licentiam Amelio Rectori, et Aymerico Thesaurario concessit paciscendi cum eis de poenis pecuniariis, ad quas persolvendas condemnati fuerant. Ablegat ergo Amelius Pontium Arnaldi de Castro Verduno Marchiae Marescallum consobrinum suum cum Pontio de Vacaratio nepote, ac non exigua militum manu, quae burgum, sive suburbium S. Joannis in Pertica statim occupavit, ut nimirum sententias a Judicibus Curiae generalis latas eo facilius exequeretur, statumque civitatis tyrannis in ordinem redactis componeret. Mox per praecones Pontius proclamari jubet in urbe, non injuriae cuiquam aut vis inferendae causa se advenisse, sed pacis et concordiae cum Ecclesia Romana et inter ipsos cives statuendae desiderio ductum. Venirent igitur quotquot ob delicta ad exilium, ac bonorum jacturam condemnati fuissent, ac veniam commissorum acciperent. Quid tum illi? Arma arripiunt, ac Ducibus Thoma Guilelmi Presbytero, Jacobo, et Berardo Percivalli, Ajoletto Cruciani de Mazolenis, Burgaresco Simpliciani ejus nepote, Zarolo, Leone, et Zanolo Corradi Petri de Leonibus, Percivallino, et Albrico Gabrielis de Percivallis, qui nobiles erant Recanatenses, Tarabotto Raynaldutii de Tarabottis, et Joanne de Patrignanis Anconitanis, qui tunc apud Recinates agebant, accersitis in auxilium Lippatio, et Andrea D. Guzzolini de Gozonibus populoque Auximano, iisque clam in civitatem introductis, impetum in Pontium ejusque socios faciunt, ipsum cum Pontio altero Vacaratii Domino, et Amelii nepote, cumque Rainaldo Simonis Canonico Recanatensi, Fr. Simone de Monte S. Mariae in Cassiano Ordinis Cruciferorum, Philippo *de Massa*, Carolo *Sinibaldi* de Auximo, Nuto ejus fratre, et Matthaeo filio,

Zano Nicolai, et Ballutio Friderici Episcopi fratribus, Thoma Petri, ac Thoma Flamengi militibus Recanatensibus, et Berto Thomae nepote, aliosque fere 300. trucidant; cives, qui Marescallo adhaeserant, capiunt, eosque per civitatem pedibus tractos, alios eo loci, ubi domus eorum, quas funditus diruebant, extiterant, vivos sepeliunt, alios suspendunt e patibulis, truncant capitibus, ipsorum filios interimunt, bona diripiunt, domus Episcopales Ecclesiae Recanatensis disperdunt, mulieres nuptas, imo et Sanctimoniales vitiant, ejiciunt de Monasteriis Abbatissas, intrusis eorum in locum aliis [1], infanda infinita committunt, quae narrantur a Villanio, S. Antonino, et recentioribus Rubeo in Hist. Ravenn., Tursellino in Hist. Lauret., Claramontio in Hist. Caesen., Lilio l. 2. p. 77., Fanciullio in observat. p. 785., Compagnonio utroque etc. Acciderunt haec Kalendis Januarii An. 1319. Notatu porro est diguissimum. inter auctores hujus tragaediae . . . . . . *partem fuisse non modicam, cui mens sanior inerat, et tantae temeritatis excessus non leviter displicebat; sed habuerunt vel inviti furori confusae multitudinis cedere, dum illius nequierunt conatibus obviare:* Ita Joannes XXII. in Constitutione, quae refertur inter Aegidianas lib. 1. cap. 14., et lib. 4 cap. 46., atque in Extravagantibus Joannis XXII. Tit. 12. de poenis, data Avenione 8. Kal. Sept. An. 3. idest 1319.

XLVII. Ubi flenda haec historia ad aures Pontificis pervenit, non tantum is justa ira percitus constitutionem edidit, *Dierum crescente malitia*, quam citavi, sed eadem die Auximanis, Recanatensibus, aliisque Picenis per litteras querimoniarum plenas enormitatem delictorum ob oculos posuit, ad poenitentiam hortatus, ac poenas intentans. Quas litteras e Regesto An. III (Epist. 192.) descripsere Ughellius in Macerat. et Compagnonius in Commentariis de Ecclesia Auximana T. V. p. 115. Exemplaria porro earumdem vidimus in Archivo Firmano, Cingulano etc.

Ceterum Pontifex ubi monitis parum profici animadverteret, armis agere constituit, ereato Imperii in Italia Vicario Roberto Rege, et Berardo Varanio Capitaneo in Marchia Anconitana generali. Varia dein fortuna saepius dimicatum est . . . . . . *Die 15. Septembris die lunae* 1320. *tempore D. Gutii* D. Berardi de Camerino *Capitanei guerrae milites Ecclesiae* ad S. Salvatorem *in agro Recanatensi a Lippatio et Recanatensibus magna clade adfecti sunt.* In cujus rei memoriam S. Victoriae

---

[1] Cum interdicto Civitas subjaceret, abstinuerunt a sacris publice faciendis, sonituque campanarum Religiosi omnes, uno excepto Fr. Andrea, sive Andriolo Priore Conventus S. Augustini, qui eam ob rem a Superioribus Ordinis sui carceri mandatus fuit. De quo plura inferius. Interdicti observatio origo fuit odii erga Episcopum, et Ecclesiasticas personas, et causa persecutionum.

Aedem eo in loco trophaei instar extructam fuisse Bonjoannius, Calcaneus, aliique retulerunt. Sed hoc falsum est. Ecclesia enim illa in privilegio An. 1249. ab Innocentio IV Episcopis nostris concesso jam memoratur. Aedes illa S. Victoriae pridem interiit, nomen loco, ubi extiterat, remansit.

Inter haec non destitit Pontifex commonere, urgere pertinaces, ut ad saniorem mentem redirent, sed frustra. Obduruerant animi. Itaque denuo condemnantur ut rebelles, privantur honore, feudis, ac bonis. Civitas Recanatensis dignitate Episcopali exuitur die 18. Novemb. An. 1320. (ut in Regesto An. V. Epist. 291). Transfertur Cathedra cum Episcopo et Canonicis die 4. Januarii 1321. Maceratam [1], quae tum primum Civitas esse coepit, cum paruisset antea Episcopis Firmano, et Camerinensi, a quorum jurisdictione paucis post diebus (die 23. Januarii) exemtus fuit ager quoque Maceratensis universus, indignissime rem ferentibus Firmanis, et Camertibus, qui propterea Kal. Februarii in oppido S. Angeli in Pontano convenere, ac foedere icto conjunctis viribus Episcoporum suorum ac Civitatum jura quantiscumque expensis opus foret propugnare decreverunt, et procurare, ut novitas illa tolleretur, *et resistere de jure et de facto Maceratensibus, qui voluerunt, et impetraverunt, ut dicitur, dictam noxiam novitatem, et aliis omnibus ipsius terrae Maceratae fautoribus, et sequacibus, et defensoribus novitatis jam dictae, et defendere Episcopos dictarum Civitatum in possessione vel quasi suarum Dioecesum, . . . et honorem et jurisdictionem pro praedictis competentem Communibus Firmi, et Camerini . . . . . insuper facere guerram contra dictum Commune Maceratae, et alios ipsius complices, et sequaces.* Haec e charta Archivi Firmani N.° 1609., cui scribendae adfuit cum aliis multis nobilibus viris *D. Berardus D. Gentilis de Varano Camerinensis civis.*

Conjectare itaque fas est non facinus a Recanatensibus admissum unicam fuisse causam ablati ab ipsis Episcopatus, sed nonnihil tribuendum ea in re esse Maceratensium quoque ambitioni, ut claris verbis testatur charta Firmana superius allata ex ore utique Berardi Varani, cui procul dubio machinationes illorum temporum notissimae erant. Huc accedit, quod Recanatensium plerique immunes erant ab omni culpa, imo praemiis potius condecorandi, quam poenis infamibus afficiendi. Perierant enim trecenti plus minus Recanatenses cum Pontio Marescallo, totidem fere e Pa-

---

[1] Pergamena extat in Archivo PP. Conventualium Civitatis novae scripta die 20 Octobris Ann. 1521. cui appensum est sigillum *Venerabilis Patris et Domini Friderici Dei gratia Maceratensis Episcopi.* Sigillum hoc quod *S. Julianum* exhibet *habitu militari* equo insidentem aeri incisum in Appendice exhibemus.

tria exulabant, quorum fidelissima opera in bellis suis utebantur Rectores Provinciae; longe majorem vero eorum, qui in Patria manserant, numerum *in corde Ecclesiae Romanae fideles fuisse* testis est omni exceptione major Joannes ipse XXII. Quod si porro consideraverimus facinoris auctores praecipuos, Lippatium scilicet antedictum atque Auximanos, qui pluribus postea annis, scilicet ad finem usque Anni 1329. imo ad diem 13. Augusti 1333. in rebellione perseveraverunt, innumeraque mala Ecclesiae intulerunt, ab omni fere poena liberos mansisse, et Episcopatum Auximanum neutiquam alio translatum, sed mox ut in fidem rediere, eis restitutum fuisse; si consideraverimus Maceratenses, ut videbimus, acerrime obstitisse, ne Recanatensibus ablatus honos restitueretur, adscribere, opinor, nonnulla ex parte poterimus invidorum malitiae, et fraudibus, ac ambitiosorum artibus et Recanati excidium, et Episcopatus amissionem. Quam proterve delicta a se ipsis plerumque conficta, et facilius, cum nemo accusatos defenderet, credita auxerint, exemplum esto processus sane perquam ridiculus contra Recinates confectus a Laurentio de Mondaino Inquisitore, quem aliquot post annis a Fr. Antonio de Ancona itidem Inquisitore irritatum fuisse, ac Lippatium amplissimis verbis absolutum, honoremque ac bona recepisse testatur Fanciullius Observ. Critic. p. 442. Extabat Parisiis in Biblioth. Mazariniana codex inscriptus: *Accusatio, et defensio Fr. Laurentii de Ancona O. M. Inquisitoris in Prov. Marchiae, qui (die 9. Octob. 1335.) absolverat Lippacium et Andream fratres de Auximo condemnatos, (d. 21. Januarii 1321.) uti haereticos et idololatras a Fr. Laurentio de Mondayno.*

Sed quomodocumque se res habeat circa causas amissae Cathedrae, gravissime profecto ea poena perculsos fuisse Recinensium animos existimare fas est, quum Firmani, et Camertes tam aegre tulerint, ut vidimus, abstractam a Dioecesibus ipsorum Maceratam.

XLVIII. Itaque tanta cum obstinatione pugnari coeptum est, ut Joannes XXII. confirmata sententia Laurentii de Mondaino Fidei Quaesitoris, qui idololatriae et haerescos damnaverat Fridericum Feltrium, Gonzolinios fratres, et Recanatenses cum Auximanis, Spoletinis, Urbinatibus, Aretinis, et Foroliviensibus, Cruciatam expeditionem ad eos debellandos indicendam putaverit, die 8. Decemb. 1321. (Fanciullius p. 783. l. cit., et Compagnonius in Reg. Pic. 188. atque Archiv. Recanaten.). Quo factum est, ut ingens Cruce signatorum multitudo e Tuscia, Romandiola, et Longobardia adversus Ghibellinos confluxerit, teste Villanio lib. 9. c. 140. S. Antonino etc., brevique ingens rerum conversio secuta fuerit. Fanum enim Berardus Varanius, et Ferrantinus Malatesta ad deditionem coegerunt; capta Assisium et Spoletum a Perusinis, atque interremptus die 26. Aprilis ab

Urbinatibus Fridericus Comes Feltrensis, qui cum militibus Episcopi Aretini, Castruccii, suisque profectionem in Picenum moliebatur.

Quae cum audissent Recanatenses, inquit S. Antoninus par. 3. cap. 1. *expulsis Rectoribus suis, qui erant pro Ghibellinis, se Ecclesiae, et Marchioni subdiderunt*. (die 3. Maji 1322. festo die *Inventionis S. Crucis*). Nihilque omiserunt eorum, quae ad contestandum dolorem de peractis, atque ad mitigandam Rectoris iram videbantur pertinere. Missae claves urbis Maceratam, dejectae portae, ne vexilla Ecclesiae, ita ajebant, iis se submittere cogerentur ingredientibus urbem copiis pontificiis . . . . *Sed Marchio in vindictam interfectionis nepotis sui, et suorum, imponendo eis vitium idololatriae, urbem igni exposuit,*[1] *et muros ejus ad fundamenta diruit. Quod quidem ex parte Marchionis crudelitas nimia fuit; ex parte Dei justum judicium propter magna scelera civitatis.* Ita S. Antoninus. Repertum enim fuerat idolum, quod Lippacius, atque Andreas Gozzolini Auximates, et Tarabottus Anconitanus adorasse ferebantur. (Villani)

Ceterum Pompejus Compagnonius Regiae Picenae Auctor recte affirmat excidium urbis Recanatensis fama de eo sparsa horribilius multo visum fuisse, ac reipsa extitit. Magna enim Civitatis pars, et Ecclesiae pleraeque omnes a flammis illaesae perstiterunt. Exustum est Palatium Civitatis, et Archivum cum chartis et privilegiis [2], quorum nonnulla tamen flammis subtracta ad nos usque pervenerunt.

Potestas Recanatensibus datus est *Jacobutius Pauli* Macerantensis hoc ipso Anno 1322., ac sequenti *Ciccus Grimaldi de Colbuccolo;* dein *Simon de S. Elpidio*, conditaque mox statuta nova, ita ut errasse convincantur ii, qui An. 1328. demum restauratam fuisse urbem existimarunt.

XLIX. Hunc finem accepit obsidio Civitatis Recanatensis duce Fulcone, sive Fulcherio de Calbulo insigni illius aevi bellatore, postquam durasset annis fere tribus, multique in ea cecidissent non obscuri nominis viri, interque eos, teste Lilio Camerinensium rerum auctore, *Nutius et Sigismundus* Rudolphi Varanii filii, Berardi Nepotes.

Redierunt brevi post ad vomitum clade hac nentiquam attriti Auximates, Firmani, Urbinates, Fabrianenses, ceteri.

---

[1] Excidii urbis nostrae meminerunt frequenter monumenta, quae supersunt. Sic in codice Statutorum lib. 3. rubr. 79. . . . . *A tempore combustionis civitatis Recanati etc.* — In charta An. 1358 (in Archiv. secret. Civit.) vigore privilegiorum Papalium, *quae combusta fuerunt* tempore, *quo tota civitas combusta fuit.* — In libro Causar. Civil. An. 1334. sermo est de debito contracto ante *combustionem terrae Recanat.*, ac de deposito, quod tempore *combustionis et derobationis deperditum et combustum fuit.*

[2] E Sententia, et Processu An. 1333. in Archiv. secr. Civitat. Recanaten.

Recanatenses vero, qui malitia paucorum peccaverant, calamitate edocti fideles adeo se deinceps exhibuerunt Ecclesiae Romanae, ut nulli magis; ipseque Joannes XXII vix biennio post litteris datis Avenione Kalendis Aprilis 1324. meritis eos laudibus extollendos judicaverit, quod memores libertatis a tyrannide Ecclesiae ope recuperatae in officio perstitissent.

Auctores tumultuum, et rebellionis, quos An. 1324. 10. Junii justis poenis affici jusserat Pontifex, anno demum 1328. solemni ritu in gratiam recepti sunt a Francisco Cingulano Florentinorum Antistite. Actumque est An. 1341. de restituendo Recinatibus honore Cathedrae, recepissentque eum haud dubie, ni Benedicti XII obitus, secutaque mox inter Picenos dissidia impedimento fuissent, ut fusius mox enarraturi sumus.

Rebus compositis Maceratenses votorum compotes effecti die 23. Martii An. 1323. *Ecclesiam S. Mariae Pacis* dedicaverunt (Reg. Picenae p. 190.) Fridericus vero Episcopus ignominiam Patriae non diu aequo animo ferre potuit. Itaque translatus est mense Junio 1323. Senogalliam, cui Ecclesiae cum praesset, negotium ei datum fuit 23. Martii An. 1325., ut cum duobus sociis a Sede Apostolica delegatis inquireret in virtutes et miracula S. Nicolai Tolentinatis, qui aetatis illius ac Piceni universi ornamentum paulo ante fuerat, eritque in aevum.

L. Anno 1326. die 22. Julii Fridericus bona sua, quae Recanati habebat, omnia, quaeque, amissis fratribus Zanne, Ballutio, et Rubeo, atque nepotibus, ad ipsum redierant, Monachorum Ordinis S. Silvestri esse voluit hoc pacto, ut *Ecclesia S. Mariae de Mercato officietur per sex Sacerdotes ad minus de Fratribus dicti Ordinis, et unus deputabitur de dictis Fratribus ad regimen et curam hospitalis, quod Dominus Episcopus aedificat, et aedificari facit in dicto loco, et in dicto hospitali faciat tenere viginti lectos fornitos de omnibus necessariis,* atque ut annis singulis libra una candelarum cerae Episcopis successoribus die festo *S. Juliani* offerretur (Ex authentico, quod olim apud PP. Silvestrinos in Archivo Fabrianensi teste Calcaneo extitit instrumento, a quo exemplar sumpsit Petrus Bonjoannius noster). Contulit ergo Fridericus huic Monasterio, quod *Sanctae Mariae de Platea* nunc dicitur, molendina duo, domos quatuor, et agri ac vinearum modiolos plus minus 300. praeter mille libras Ravennates, quas a Communitate in adjutorium Ecclesiae expendi obtinuerat.

Tandem postquam die 1. Decemb. 1328. interfuisset civium suorum absolutioni, extinctaque vidisset odia, quae tot jam annis inter eos arserant, Fridericus die 18. Januarii 1329. Ariminensis creatus est Episcopus, quo ipso anno fatis cessit, sepultusque est Ughellio teste Arimini. Vir certe ob intrepide propugnatas Ecclesiae partes immortali memoria dignus, aeternisque mactandus laudibus, ac vix non inter Martyres adnumerandus.

LI. Caruit 37. omnino annis Ecclesia Recanatensis Episcopo suo et Capitulo, qui Maceratam An. 1321. die 4. Januarii, ut supra diximus, translati fuerant, quamvis negari non possit complures e Canonicis Recanati mansisse, ubi Ecclesias, et Praebendas possidebant. Nomina obiter adnotavimus D. Boetii Manfredi de Recanato, qui Archidiaconus postea fuit Camerinensis, D. Vannis Baligani, D. Matthaei Georgii, D. Paganotti Thomassutii annis 1333., et 1341., D. Jacobi Scagnutii, qui Rector quoque fuit Ecclesiae S. Mariae Montis Morelli An. 1341., Dompni Francisci Johannis Cappellani ad S. Flaviani Canonici Maceratensis, et Vicarii in Terra Recanati pro D. Petro Episcopo annis 1333. ad 1343., D. Johannis Deuteadjute Canonici Maceratensis, et habitatoris Recanati anno 1336., D. Fuctii Canonici Maceratensis et Vicarii ejusdem D. Episcopi An. 1343.

Quamquam vero ab instituto nostro alienum videri posset Episcopus illos recensere, qui Maceratae praefuerunt, quo tempore Civitas nostra Praesule caruit proprio, cum tamen horum quoque gesta novisse oporteat eum, qui integram Ecclesiae Recanatensis historiam addiscere velit, optimum fuctu existimavimus Maceratensium quoque Praesulum Petri, et Guidonis, qui per id tempus Ecclesiam rexerunt, brevem saltem notitiam interserere.

FRATER PETRUS ORDINIS MINORUM

MACERATAE EPISCOPUS

LII. Creatus die 6. Junii 1323. (Bullam lege, si lubet, in Pompeji Compagnoni Regia Picena ad hunc annum). Multa de eo Lucas Wadingus, aliique scriptores rerum Ordinis S. Francisci. Auctorem enim ii volunt fuisse Petrum una cum B. Angelo Cingulano Instituti Clarenorum, de quo tam varia fuere, et sunt variorum judicia. Addunt Petrum una cum eodem Angelo, cum Thoma Tolentinate, Marco Monteluponensi etc. sub Ann. 1292. in Armeniam propagandae fidei causa a Raymundo Ordinis Minorum Generali Ministro missum fuisse. Enim vero tenebris obsita est fere cimmeriis Clarenorum historia, tum ob penuriam documentorum, tum quod scriptores, qui de ipsis verba faciunt, aut res eorum ignoraverint, aut partium studio ducti verum dicere noluerint, sive ausi non fuerint. Qui Clarenum fuisse Petrum Episcopum Maceratensem inter primos scripsit, Jordanus fuit, de cujus narratione judicent alii. Multa profecto falsa veris ille admiscuit. Quomodocumque vero res se habeat, Petrus certe inter Clarenos non mansit. Chartam enim producimus anni 1345. 22. Januarii, cui scribendae adfuit *Frater Vanninus Francisci Ordinis Fratrum minorum socius*

dicti Domini Episcopi. Clareni vero a Franciscanis se omnino segregaverant.

E processu quodam in Archivo Firmano adservato, qui confectus fuit An. 1371. urgente Oliverio Episcopo olim nostro, habemus *Petrum* e divite admodum ac illustri *Mulutiorum* familia fuisse, Friderici nimirum Mulutii fratrem, qui non paucis annis Patriae suae Maceratensis dominatum tenuit. Erroris igitur convincitur Ughellius, qui *sequens*, ut ipse ait, *opinionem inveteratam* Petrum hunc e Compagnoniorum illustri pariter ac vetusta stirpe prodiisse scripsit. [1]

Obiit Petrus Anno 1347. ac die 29. Octobris, qua in Martyrologio Franciscano obitus ipsius adnotatur. Numeratur enim inter Beatos Instituti Minoritici.

LIII. Paucis nunc ea perstringamus. quae Recanati vivente Petro Episcopo gesta sunt. Vix unus effluxerat annus, ex quo Pontificis jussa facere coeperant Recanatenses, cum resistendum iis fuit inimicis, qui urbem denuo tyrannis, subjicere omni ope moliebantur. Ceperant ii mense Octobris 1323. suburbium S. Francisci. Verum haud diu post expulsi fuerunt a Recanatensibus, quibus suppetias tulerant vicini, ac praesertim Oppidani Montis Sancti. Horum nonnulli occisi in praelio fuere, quibus dein solemni ritu justa persolvi curavit Respublica Recinensis in Ecclesia S. Francisci, ubi fuerant sepulti. [2] Supersunt adhuc schedulae, quibus signa describuntur, quibus significandum erat Oppidanis Montis Sancti adventus inimicorum, ignes nimirum noctu accendendi in turri Ecclesiae S. Viti, et fumus de die prope Ecclesiam S. Stephani de Monte Morello excitandus.

Quam moderate Ecclesia Romana victoria sua erga Recinenses usa fuerit, argumento esse potest, quod bona fisco adjudicata plerisque Ghibellinis mox restituta fuerunt. postquam in urbem rediere, Percivallino in primis et Albricutio de Percivallis, quos die 12. Augusti hujus anni Amelius ipse Cives optimos esse declaravit.

Non defuerunt tamen inter cives nostros quorum animis propensio erga Ghibellinos altius insederat. Tumultus hinc excitatus fuit die 29. Junii 1326.. conclamatum ad arma, pulsatae campanae, mors intentata Potestati. Tumultus alius die 14. Julii. Sed quies rediit comprehensis seditiosis Massulo Manerii Guilelmi, qui laqueo suspensus interiit, Paulo Simonutii Domini Guilelmi, Massutio, et Lottolo Transmundi viris nobilibus.

---

[1] Stemma Mulutiorum excisum Maceratae conspicitur supra fontem, qui dicitur *Major;* mulus scilicet alludendo ad gentilitium nomen. Figuram stemmatis exhibet Compagnonius senior in Regia Picena.

[2] E codice expensarum A. 1323 in Archiv. publ. Recanati.

ANDREAS PSEUDOEPISCOPUS

LIV. Luctuosa illa dissidia, quae Joannem XXII. inter et Ludovicum Bavariae Ducem, qui se Caesarem invito Pontifice ferebat, exarserant, infinitorum malorum causa fuerunt, ac schismatis praesertim, quo malum non est aliud funestius. Bavarus enim tractis in partes Ghibellinis Italiam victricibus armis peragravit, Romamque ipsam die 6. Januarii 1328. subegit, ubi deposito Joanne XXII. Petrum quemdam de Corbaria Pseudopapam creavit, a quo mox Cardinales, et Episcopi non pauci prodierunt malae arboris pessimi fructus. Inter eos Fr. Andreas de Recanato fuit Ordinis S. Augustini, qui prius ob flagitia in carcere a Generali Magistro Fr. Alexandro de S. Elpidio positus, deinde a sua Provincia expulsus fuerat Eumdem hunc facile crediderim fuisse *Andriolum* illum, sive *Andream* Priorem Conventus Recanatensis, qui eo tempore, quo Civitas rebellis erat, contempto interdicto sacra fecerat, eaque propter a Superioribus suis anathemate fuit percussus (e libr. An. 1334. in Archiv. publ. Recanaten.) Hic mortuo dicto Generali Ordinis Magistro Romam profectus ea se in gratiam Fratrum Romanorum dexteritate insinuaverat, ut proxime ante ingressum Bavari in Urbem electus fuerit cum aliis duobus, penes quos Coenobii bonorum custodia esset, dum Bavarus rerum potiretur. Verum fuga dilapsis ceteris Andreas Antipapae partes amplexus omnia Ecclesiae S. Tryphonis, quae Augustinianorum erat, vestimenta sacra, ornatus, ac thesauros custodiae suae commissos F. Nicolao de Fabriano diripiendos tradidit, haeque de causa a Petro illo de Corbaria dictus fuit Episcopus Recanatensis, quamquam Recanatum adire numquam potuerit; Antipapae enim Civitas nostra numquam adhaesit. Haec ex Herrerae Alphabeto Augustiniano deprompsimus, qui sua e Commentario rerum Ordinis jussu Card. Seripandi edito hausit.

LV. Digni igitur habiti sunt Recanatenses nostri, qui Kal. Decemb. 1328. jussu Pontificis a Francisco Cingulano Episcopo Florentino, et Fulcone de Popia Prorectore Marchiae Anconitanae a quibuscumque rebellionis delictis et poenis absolverentur, datis obsidibus duodecim, et persolutis in poenam tribus florenorum millibus. Excepti sunt a beneficio absolutionis D. Grimaldiscus, et Rigutius Lippi. *Obsides*, ut tunc loquebantur, sed melius *sponsores* fuere nobiles viri Rainaldutius Thomae, Guidatius Monaldi (de Vulpinis), Corradutius Corradi, Vannes Monaldutii (de Leopardis), Mutius Santesis, Bonjoannes Michaelis, Claudius Matthaei. Ciscus Philippi, Theolus Matthaei, Victor Georgii, D. Matthaeus Alberti, et D. Benedictus Joannis.

Eadem die in gratiam recepti sunt Nobiles Ghibellini, quorum nomina subscripta sunt; Ajoletus Cruciani, Berardus D. Percivalli, Burgarescus Simpliciani, Zanolus Corradi, Corradus Jacobi (Berardi) alias *Alemannus.* Massius D. Bulgarisci. Crucianus Ajoletti, Goffredus Jacobutii, Philipputius D. Rainaldi alias Papavola, et Mutius Zanoli, qui haereseos, atque idololatriae damnati fuerant. Haereticae ipsorum opiniones, ut in sententia absolutionis legitur fuere: 1. *Licere habere Daemonem inclusum in idolo ad modum Praelati fabricato, ipsumque adorare, et consilium ab eo expetere.* 2. *Aliud idolum habere ad modum militis indutum cum uno caputio de vario* (di vajo) *in capite, et cum ense in manu et ad latus, et cum una mazza in manu et revereri illud, et inclinari ei capita, extrahendo caputium, et recognoscere a dicto idolo omnem victoriam.* 3. *Non esse peccatum celebrare divina tempore interdicti.* 4. *Licere offendere et occidere Sacerdotes, qui nollent celebrare tempore interdicti.* 5. *Licere facere Episcopum de paleis, imponendo capiti ejus cappellum episcopale, mandare comburi, et dicere: melius posse Subditos suum Episcopum excomunicare, quam Episcopus possit excomunicare subditos.* 6. *Licere occidere uxores, qui viros Christo commendarent non Diabolo danti victoriam.*

Absoluti fuerunt retractatis solemniter absurdis hisce dogmatibus, ac genibus flexis sub vexillo S. Romanae Ecclesiae; injunctaque est eis poenitentia, ut *tribus annis limina Apostolorum visitarent, ac dum viverent. semel in hebdomada jejunarent, aut pauperem reficerent, singulis quoque diebus decies orationem dominicam cum salutatione angelica recitarent, de cetero carceris loco inhabitarent Burgum Castri novi, neque terram veterem ingredi eis liceret, nisi semel in hebdomada absque licentia speciali.*

Quae omnia ut perficerentur, curaturos se spoponderunt, quos diximus, obsides. Pignori etiam futurae fidelitatis. et poenae persolvendae data sunt Castrum Montis Floris, et Turris Aspiae. *Acta sunt haec ante domum Carciolae B. Antonii juxta campum Tarabotti* (prope S. Francisci Aedem), eo in campo nimirum qui nundinarum dicitur ubi mercatus fiebat et rei suppliciis afficiebantur.

Eo ipso anno condita sunt Statuta Recanatensia, aut, quod verius dixerim, emendata. Quae emendatio fundamentum extitit Statuti, quod An. 1405. compilatum, saepius deinde suppletum fuit, atque a Pontificibus Summis, ac Provinciae Praesidibus probatum hodieque viget.

E libro Actorum 1328., quem possidet R. D. Petrus Pintuccius, perspicere est, quam salubres tunc leges Recanati viguerint, statutae adversus Blasphemantes, patarinos, exules ob delicta, calumniatores, meretrices,

arma in civitate deferentes, ludentes taxillis, noctu per vias urbis discurrentes, plurimaeque aliae [1] ad civium modestiam, et concordiam, odium luxus [2] munditiem viarum [3] tutamen urbis [4], Ecclesiarumque honorem [5] pertinentes. Pietas Recanatensium erga infantes expositos jam tum eminuit. Referuntur in Codice expensarum hujus anni pecuniae solutae *pro baylatura pueri projecti ob reverentiam Dei, et B. V. Mariae, et omnium Sanctorum, ut civitas de bono in melius valeat augmentari.*

Anno 1330. pax inita est cum Anconitanis.

LVI. Recanatensis Ecclesiae, ac Civitatis insigne ornamentum circa haec tempora extitit *Hieronymus Girardutius* civis noster, Augustiniani Ordinis Alumnus, cujus in primis celebratur tum vitae innocentia, tum coelestis facundia (concionatorem enim agebat verbi Dei) tum vero ardens studium pacis componendae inter privatos non solum, sed et inter populos furore quodam in civilia bella tunc ruentes. Siccis pedibus transasse fertur Cluentum flumen, sive *Truentum*, ut Rutilius Benzonius Episcopus noster in Calendario prodidit, instrato super aquas, quae tum forte increverant, pallio, dum Firmanos cum Asculanis conciliaturus iter illac instituerat. Obiit, ut in icone ejus perantiqua legitur, die 12. Mensis Martii Dominica secunda Quadragesimae An. 1335. Corpus ejus sub Altari conditum est, ac translatum die 24. Febr. 1652. e veteri in novam urnam. Vitae ejus olim extabant acta in codice pergameno descripta, qui missus circa An. 1570. ad M. Gabrielem Burattelli Anconitanum insignem Ordinis Augustiniani virum, numquam restitutus fuit.

Honores, qui Coelitibus deferuntur, nactus est Hieronymus inde a tempore obitus. Inclaruit enim statim miraculis. Festo die jam An. 1386. coli consuevisse ostendit codex eo anno conscriptus, qui in Archivo Conventus Recanatensis extat.

Statuta urbis conscripta An. 1405., aut verius collecta e statutis antiquioribus, docent, jam tunc in more positum fuisse, ut Ma-

---

[1] *Contra receptantes bannitos, contra euntes ad partes Guelfam vel Ghibellinam, contra injuriam facientes Prioribus etc.*

[2] *Contra facientes nuptias praeter formam Statuti–contra* BUFFONES *euntes ad nuptias–mulieres euntes ad infantatas* (*puerperas*)*–largientes bursas sericas faeminis desponsatis, sive maritatis–portantes aurum, argentum, pannos trainantes etc.* (strascini).

[3] *Contra facientes* BRUTITUDINEM *prope Ecclesias, aut fontes–non* SPIAZANTES *ante domos, projicientes pedes animalium, aquam calciuariam etc. in vias publicas.*

[4] *Contra Consiliarios non portantes arma,–contra extrahentes equos, ferrum etc. contra habentes* INSTRUMENTA *pertinentia ad Commune etc.*

[5] *Contra tenentes bestias prope Ecclesias, laborantes, aut tenentes apothecos apertas in diebus festis etc.*

gistratus Civitatis nostrae solemnibus oblationibus Hieronymum honorarent. [1]

Altaris etiam, et Cappellae ipsi ante An. 1409. dicatae memoria superest.

Donis votivis, officiis, aliisque devoti animi testificationibus a pluribus jam saeculis cultus ejus celebratur. Inter quas observatu praecipue dignus est mos An. 1451. auctore Joanne Reatino Augustiniano introductus Dominica secunda Quadragesimae laudes ejus de pulpito praedicandi, ac septem ex optimatibus viros, totidemque matronas deligendi, quorum cura sit toto illo anno dissidentes ad pacem, et concordiam revocare. Cujus moris, festique suo aevo servati testis est Rutilius Benzonius Episcopus olim noster in Calendario Ecclesiastico anni 1611., quod juxta synodica statuta edendum curavit. Ceterum Beati hujus viri mentionem fecerunt An. 1580. Josephus Pamphilus in Chronico Ordinis: An. 1600. Fr. Simplicianus in Elencho Beatorum Ordinis: 1601. Joannes Franciscus Angelita in libro, quem de originibus urbis Recanatensis edidit, ne quid dicam de Philippo Ferrario, Andrea Gelsominio, Modesto Benvenuto, Herrera, Torellio, et Calcaneo. Pius VII decreto, quod latum est 4. Julii 1804. festum ejus diem quinta Martii ab universo Augustinianorum Ordine celebrari, Lectiones vero et Missam proprias a Clero etiam Recanatensi recitari permisit.

LVII. Floruit itaque hoc potissimum tempore Civitas Recanatensis, ita ut eam delegerint Provinciae Rectores, in qua commorarentur, quod fecisse legitur An. 1336. mense Januario Canhardus de Sabalhano, qui tunc eo officio fungebatur. Curia vero generalis ab anno 1335. ad 1340. Recanati substitit. Eodem tempore extructus fuit de novo Portus Recanatensis. Nihil deesse videbatur felicitati Patriae, nisi honos Cathedrae, cujus amissi dolor alta mente manebat repositus. De hoc quoque recipiendo actum. Extat processus die 9. Octob. 1341. institutus coram Fr. Joanne de Burgo Ordinis Minorum Inquisitore Generali, cui id negotii Joannes de Riparia Marchiae Praefectus commiserat. Testes adhibiti summae auctoritatis viri Natumbene Triventinus, Philippus de Ancona Agiensis, et Thomas Anconitanus Episcopi, Abbates tres, Priores duo, Canonici Maceratenses tres, qui uno ore adfirmarunt, Recanatensem civitatem Maceratensi et nobiliorem esse, et majorem, Ecclesiae Romanae fidelissimam vicesimo jam anno mansisse, atque ut ea Episcopatus honore denuo insigniatur postulare, et concordiam, quae alioqui nulla foret finitimas inter

---

[1] Lib. 1. Rubr. 1.

aemulasque civitates, et oeconomicas quoque Mensae Episcopalis rationes, cujus fundi plerique omnes in agro Recanatensi erant. Vide acta hujus Processus in Bullario Recanatensi typis edito. Res equidem tum successu caruit, sive ob Benedicti XII. P. M. obitum, sive quod alii in Provinciam Praefecti venissent erga Maceratenses, qui obnitebantur, propensiores. [1]

GUIDO DE RIPARIA

MACERATENSIS EPISCOPUS

LVIII. Guido de Riparia Pisanus Archipresbyter fuerat Vercellensis, atque Auditor Generalis causarum spiritualium in Marchia inde ab anno 1344. Nepos fuit Fratris Joannis de Riparia Militis Hierosolymitani, et Provinciae Praefecti supremi.

Creatus est Maceratensis Episcopus die 5. Decemb. An. 1347. (ut ex Epist. 55. Reg. Vatic. illius anni).

Episcopatus Guidonis in tempora incidit longe calamitosissima. Etenim An. 1348. pestis illa desaeviit, quae post hominum memoriam maxima fuit; acciditque ut eo ipso tempore, ne miseria ulla deesset, recrudescerent ubique bella civilia.

Recanati Ajoletus Cruciani cum sociis, et Gonzolino de Auximo die 24. Augusti tyrannidem arripere rursus tentavit. Prolata sunt ejus vexilla, occisi complures, domus quaedam expilatae, et combustae. Tandem vicit pars melior. Duci seditiosorum Todisco Jacobi de Alamannis amputatum fuit caput, Ajoletus vero extorris a Patria non ita multo post vivere desiit; sociis venia delictorum concessa est a Praefectis Provinciae die 13. Januarii 1349. exceptis Leone Corradi de Leonibus, Ajoleto, et Matthaeo Spedanerii. [2]

---

[1] Anno 1341. die 8. Junii Nermes Manasgardeusis Archiepiscopus cum octo aliis Episcopis indulgentias 40. dierum singuli concesserunt visitantibus *imaginem B. Mariae Virginis depictam in muro Ecclesiae S. Angeli de Recanato*. Hasce indulgentiarum literas ex Archivo, ut ait, Recanatensi edidit Joseph Floravantius Presbyter Philippinus in Opusculo de Translatione Almae Domus p. 33. et supplementi p. 5.

Majestati (id est imagini) *S. Mariae stanti ante Ecclesiam*. S. ANGELI *cereum ligavit a.* 1345. *Cintius Salvutii*. (Arch. Confrat. S. M. Mercat.) Eo in loco, ubi Imago haec Virginis antiqua extiterat, nunc Altare est eidem Virgini et S. Joanni Baptistae dicatum, cancellis clausum et muro circumdatum, ante Ecclesiam S. Angeli, quae *S. Annae* vulgo dicitur.

[2] Nob. vir *Leo Corradi de Leonibus* de Recanato Potestas Aesii fuit Anno 1338. (Archiv. Lauretan., *Ajoletus* An. 1340. *Capitaneus Populi Pisani* insignem sibi bellicae

Non tamen effugere potuerunt Recanatenses, quin Malatestarum subirent jugum, quod sex omnino annis ipsis ferendum fuit.

Guido Episcopus eo ipso tempore, quo Malatestae principatum invaserunt, die 31. Octobr. 1348. a Maceratensi Ecclesia ad Populoniensem. sive Massanam in Etruria translatus est, Ughellio teste in Maceraten. ex Regest. Vatic. An. 7. Epist. 58.

VII. NICOLAUS

LIX. *Fr. Nicolaus a S. Martino* et ipse Pisanus [1] Vicarius ante Generalis Ordinis S. Dominici, Praedicator et Theologus, ut illa aetate, insignis, quem Pisani Archiepiscopum, et Lucenses Episcopum sibi dari expetierant [2], praepositus fuit Ecclesiae Maceratensi die 21. Octobris 1349. (Regest. Vatic. Epist. 169.)

Picenum omne, cum Nicolaus Cathedram conscendit, sub tyrannis erat, aut bellis civilibus aestuabat. Magnam partem incolarum pestis abstulerat. Mox praedonum catervae sub finem anni 1354. Provinciam ingressi duce Morreali milite Hierosolymitano, qui Castra omnia Recanato affinia cepit, expilavitque Humanam, Castrum Ficcardi, Castra Montis Florum, Montis Fani, Filottrani, Montis Cassiani, et Montis Luponis. Latronem hunc nomen dedisse existimaverim colli, qui Lauretanae urbi imminet, qui *Mons Cioptus* antea dictus fuerat. *Montis* enim *Regalis* nomen hactenus inauditum, frequentari mox coepit post latronis adventum.

Eminuit hac aetate fidelis Recinatium animus erga Romanae Sedis Principatum. Licet enim, ut supra diximus, Malatestis ab anno 1348. ad finem usque anni 1354. paruissent, ut primum tamen rumor increbuit, adventare Aegidium Albornozium Cardinalem, cujus laudes nulla conticescet posteritas, ad expellendos e Piceno tyrannos, restituendasque collapsas Ecclesiae res, crexere animos Recinates, ac Pontificios se esse professi, teste Matthaeo Villanio cap. 33.-42.: equitatum ejus intra moenia receperunt, populis vicinis adhuc dubitantibus, aut aperto marte repugnan-

---

virtutis laudem peperit; quippe qui mense Julio praedicti anni agrum Lucanum cum exercitu aggressus brevi admodum tempore ipsum edomuit, ac Pisanis subjecit. (Ex supplem. Script. rer. Italic. quod Florentiae prodiit 1748. col. 689.) *Matthaeus D. Spedanerii* in gratiam postea receptus est, eratque adhuc in vivis An. 1357.

[1] Charta Archivii Generalis PP. Silvestrinorum An. 1365. diei 24. Novemb. Nepotem Nicolai indicat MARTINUM ANDREAE *de Pisis*.

[2] Teste P. Ant. Felice Matthaejo in Hist. Eccl. Pisanae T. II. p. 87. ex Annalibus MSS. Conventus S. Catharinae de Pisis Ord. Praedicatorum.

tibus. Accidit hoc mense Januario An. 1355. Quo factum est, ut Aegidius fixo nostris in partibus pede Provinciam omnem qua armis, qua persuasionibus in ordinem brevi tempore redigere potuerit. Malatesta Recanatum ex improviso adortus, eodem Villanio teste, cladem ab incolis accepit, atque anno sequente Galeottus Malatestae frater cum Castrum Montis Floris occupasset, fugatus, et prope Anconam praelio victus, captusque est.

Non exhibuit se ingratum in Recinates Cardinalis Albornozius post haec tam praeclare ab iis gesta. Etenim Innocentius VI. P. M. exoratus ab Aegidio 2. Non. Januarii An. 1356. Civitatis nomen, Sedemque Episcopalem ipsis restituit . . . . *Cum tibi*, ita ad Aegidium Innocentius, *Recanatenses, quamquam omnes quasi circumvicini eorum praefatae Romanae Ecclesiae rebelles existerent, non solum obedientiam, et reverentiam debitam exhibuerint et devotam, sed in reducendo etiam indevotos, et devios, ac in recuperandis terris, et juribus ad Nos, et praefatam Romanam Ecclesiam in dicta Provincia immediate spectantibus, magna et fidelia servitia tibi praestiterint, et insuper illi, qui rebellionis eorum fuerunt principes auctores, et eorum posteri divina faciente justitia ad nihilum sint redacti, et nunc terra ipsa per illos regatur, qui tunc pro ipsa Romana Ecclesia exules extiterunt.* Bulla extat in Archivo Civitatis Recanatensis. Sed eam compositis demum Provinciae rebus effectum nancisci voluit Cardinalis litteris datis Anconae die 22. Aprilis An. 1357. quas in Appendicem retulimus.

LX. Rediit ergo Recanatum Episcopus Nicolaus, jussus a Pontifice in chartis, ac literis *Episcopum se inscribere Recanatensem primum*, quod nimirum Civitas nostra antiquior esset, illustrior, ac major [1], *ac dein Maceratensem.*

Rediit quoque pars Capituli, ut praeceperat Aegidius, scilicet *Praepositus*, qui Archipresbyter antea dictus fuerat [2], et *Canonici octo*, manentibus Maceratae Archidiacono cum octo aliis Canonicis, divisis redditibus, ita ut praebendae Praepositi, et Archidiaconi aequarent singulae praebendas duas Canonicorum, jurisdictionemque uterque suum in Capitulum exerceret. Porro ne discordiae aliquando locus esset, novos Episcopos ab utroque Capitulo unum in locum coacto eligendos esse

---

[1] Quam populosa fuerit Civitas nostra eo tempore paucis licet annis post feralem illam pestem, ac post tot, ac tam diuturna bella civilia, inde colligas velim, quod familias tum numeravit 1055., ut relatum legimus in codicem Anni 1370.

[2] Archipresbyter Recanatensis An. 1356. fuerat *D. Matthaeus Florani*, qui postmodum ad finem usque vitae (obiit Anno 1386) *Praepositus Recanatensis, et S. Viti* agnominatur in pluribus instrumentis.

constituit Cardinalis, in ea nimirum civitate, in qua Episcopus e vita migrasset.

E vita excessit Nicolaus die 30. Januarii An. 1369. [1] Quam studiosus hic fuerit paupertatis post obitum patuit. Etenim ob inopiam ipsius a Recanatensibus aere publico funus procurandum fuit, teste Oliverio Successore in actis processus An. 1371. Tumulatus est autem honorificentissime, advocato ad exequias Episcopo Auximano. Monumentum reliquisse putatur Nicolaus sacrae, qua pollebat, eruditionis, sermones ad populum a se habitos Dominicis diebus, atque in Festis Sanctorum, nisi forte, quod veri similius mihi videtur, per errorem ei attribuuntur, quae alterius cujusdam Nicolai de Pisis reipsa fuerunt, quem Saeculo XV. vixisse asserit Echardus, ex eo quod in codice MS. auctor sermones suos Conventui [2] S. Marci reliquisse perhibeatur, qui anno demum 1436., diu nempe post Nicolai Episcopi nostri obitum, Ordini concessus fuit. Diligentiae PP. Florentinorum, vel Pisanorum erit, ut optat Echardus, certiora nos edocere.[3]

Vicariam Nicolao Episcopo praestitit operam Fr. Cintius D. Andreae de Asculo Eremita Augustinianus (e charta mens. Septembr. 1366.)

VIII. OLIVERIUS

LXI. *Oliverius* Patria Verona Decanus Nigri pontis, et Cappellanus Urbani V., apud quem gratia non vulgari pollebat, Vir fuit non indoctus, sed ultra modum ambitiosus, rerumque novarum studiosus. Vix alius Episcopus majori cum desiderio expetitus fuit Oliverio, quod commodis suis utilissimam fore ipsius auctoritatem, et operam cum Maceratenses, tum Recanatenses animo praecepissent. Itaque postridie ejus diei, qua Nicolaus obiit, nuntius ad Oliverium missus fuit Romam; legatio decreta ad Pontificem, ad Cardinalem Anglicum Legatum, ad Nicolaum de Auximo Pontificis ab epistolis. Accessit electio ab utroque Clero de eo facta, nihil ut

---

[1] Ut e registro expensarum hujus anni in Archiv. pub. Recan. Quare errarunt Ughellius, qui anno 1367., et Fr. Leander, qui anno 1368. obiisse Nicolaum tradiderunt.

[2] Ita enim inscriptus est Codex 112. Bibl. S. Marci . . . Expositio Orat. Dom. per sermones praedicabiles, et alii sermones F. Nicolai Pisani O. PP. *relicti ab eodem, qui eos composuit Conv. S. Marci* de Flor. Ord. Praed.

[3] De Nicolao videantur Razzius in Historia Ord. Praedicat., Altamura in Biblioth. Dominic. p. 80. et Fontana in Theatro Dominic. p. 278., Echard Script. Ord. Dom. T. 1. f. 661., Leander Albertus f. 124. praefulsisse ipsum ait *super ceteros eruditione et facundia ceu sol supra stellas in splendore praeminet*. Taegius, *tempore suo parem non habuisse in orbe terrarum*, dicere non dubitavit.

omissum videri posset, quo Oliverius sibi Episcopus concederetur. Enimvero damnati sunt voti: Urbanus enim V licet mortuo Nicolao Episcopo Recanatensis et Maceratensis Ecclesiae provisionem *ea vice* sibi reservasset, ideoque electionem a Canonicis factam irritam declarasset, tamen quod homini impense faveret, eumdem, quem expetebant, Oliverium Ecclesiis nostris praefecit XI. Cal. Martii Anno 1369. (Bulla in Archiv. secr. Civit. Recanat.)

Nullus dein Episcopus majori cum laetitia exceptus fuit. Refectum est aere publico Palatium Episcopi, ornatumque suppellectilibus [1], facti sumptus magni in ejus adventu, qui fuit mense Majo, in consecratione, cum Lauretum isset Missam in Aede sacra cantaturus, in conviviis, ludis publicis etc., ut videre est in tabulis accepti, et expensi An. 1369. in Archivo Civitatis.

Et principia quidem Episcopatus ejus bene habuerunt. Visitavit enim mox Oliverius S. Mariam Lauretanam, Castra Portus, ac Montis Florum, urbis, et agri Ecclesias. Fulgineum deinde, Perusiam, Bononiam Reipublicae nostrae causa profectus est. Oliverio Ecclesiam nostram gubernante, Civitas quatuor omnino, eaque amplissima, ab Urbano V accepit privilegia, tria a Gregorio XI., haud dubitem, quin ipsius opera. An. 1371. pax quoque cum Anconitanis inita, sive restaurata.

LXII. Verum non diu intra limites contineri se passa est ambitio. Ac primum aggressus est Oliverius Episcopos vicinos, causatus arctiores esse, imo nullos Maceratensis suae Dioeceseos limites, mensam pauperrimam, quae ipsi sustentando minime sufficeret. Itaque sejungi petebat a Dioecesibus propinquis Oppida illa omnia, quae Maceratae propiora essent, quam Firmo, Camerino, et Auximo, Dioecesim sibi exposcens utique nulli secundam. Accessuri enim erant Maceratae Mons Cassianus, Treja, Mons Milonis, Mons Ulmi, Mons Sanctus, Mons Luponis, Civitas Nova etc. Precibus annuit Urbanus V, ac die 2. Maji 1370. litteris apud Montem Flasconem datis Cardinali Angelico Legato, qui Provinciis Pontificiis universis praeerat, in mandatis dedit, ut negotium conficeret, iis tamen auditis, quorum interrat. Cardinalis cum Bononiae gravioribus distineretur, onus rejecit in Petrum Oxomensem Episcopum, suumque in Marchia Anconi-

---

[1] Libri Camerlengatus An. 1369. *de collecta X. solidor. pro 100. imposita per appretium pro aptatione Episcopatus, pro honore fiendo D. Oliverio Episcopo etc.* Maceratensis Ecclesiae regimen sive possessionem assumpsit nomine Oliverii Petrus Episcopus Auximanus, cui ea propter *inseniati* sive donati fuere *pro parte communis* (Maceratae) *castratus ponderis* 61. *librarum et costrati quatuor.* (Memorie della Chiesa Osimana T. III. p. 151.)

tana Vicarium XIV. Cal. Augusti. Hic statim Episcopos vicinos de re tota edocuit, excepto Auximano, quem judicem causae secum constituerat. Inter haec obiit Urbanus V mense Decembris. Tergiversari tunc Episcopi Firmanus, et Camerinensis, miscere querelis et clamoribus omnia: obtendere jus quaesitum privilegiis, et possessione, quae omnem excederet memoriam: vituperare ambitionem, imo avaritiam Oliverii; artesque Maceratensium alienis opibus inhiantium. Recentia erant Firmanorum de S. Sede merita. Aegidio Cardinali Albornozio insignem prae ceteris operam praestiterant, cum armis Patrimonium Ecclesiae Romanae restitutum iret. Camertes praeter recentia commemorabant antiquiora: Hanccine mercedem, vociferabantur, rependi Civitati Camerinensi Sedis Apostolicae arci, et perfugio, quae Innocentium IV adhuc Cardinalem in oppido Montis Sancti Spoletanae Dioeceseos ab inimicis ita conclusum, ut elabi non posset, obsidione liberavit fusis hostibus, salvumque Camerinum reduxit? Qua unica re fortiter et praeclare a Camertibus peracta, Romanorum Pontificum potentia periculo evasit; quare tantam adversus se inimicorum concitatam fuisse rabiem, ut eversa civitate, incolis omnibus cum liberis et uxoribus, rebusque omnibus amissis pro fide erga Romanam Ecclesiam errandum triennio integro per Italiam universam fuerit. Miracula haec constantiae et fidelitatis nunc Blateronum, et Legulejorum quorumdam machinationibus in oblivionem ire, ac praemii loco, quod hercle expectare jure suo poterant, suis quoque avitis bonis nunc se expoliari nefas profecto esse.

Jamque eruperant odia, iverant in arma populi, timebanturque graviora, cum sanctissimus vir Gregorius XI pacisque amantissimus iis occurrendum ratus vetuit, ne ullum deinceps de finibus Dioecesis Maceratensis, sive augendis, sive constituendis verbum fieret, ut in Bulla data Avenione Kal. Maji An. 1372. (in Arch. Firmano N. 126.)

Paulo ante detectae fuerant molitiones quaedam Oliverii adversus Recanatenses ipsos. Pertraxerat enim astu in partes suas e Magistratibus nonnullos, qui inscio equidem Senatu, ejus tamen nomine litteras ad Gregorium P. M. confecerunt, quibus Oliverio Urbis nostrae principatum concedi exposcebant. Quae cum nostris innotuissent, plebs in furorem acta armis correptis Palatium Episcopale aggressa est, ac Reipublicae Recanatensis pennonus, sive vexillum in ipsis foribus constitit. Quo viso Oliverius praecipiti fuga saluti suae consuluit. Equidem habita quaestione die 9. Februarii 1372. auctores conspirationis deprehendi neutiquam potuerunt. Cum tamen Oliverius Avenionem proficisci diceretur, petiturus a Gregorio Pontifice, ut regimen et proventus Civitatis nostrae sub Vicariatus titulo sibi concederet, missus illuc fuit a Senatu Benedictus Marini Legum Doctor.

Hic Bullam obtinuit datam 8. Kal. Maji Anni 1372., qua Recanatensibus cavebatur, numquam eos nisi immediate sub Apostolicae Sedis gubernatione futuros, neque tyranno cuiquam auctoritate Pontificis umquam subjiciendos fore, effecitque, ut Oliverius e Cathedra nostra amoveretur. Quae omnia in Annalibus Urbis nostrae ad Annum 1429. et 1438. luculente exponuntur.

Vicarios habuit Oliverius

Anno 1370. D. Leonardum de Compstavelle.

Anno 1371. Fr. Ugolinum de Scappis de Bononia.

Anno 1371.-1373. D. Jacobum Ferrantini de Monte Fano Rectorem Ecclesiae S. Michaelis de Ponticello. [1]

IX. BARTHOLOMAEUS

LXIII. Successorem igitur nactus est Oliverius paulo ante diem 13. Maji 1374. [2] *Bartholomaeum* Joannis Jacobi filium de Zambrisiis sive Zambrasiis de Bononia [3] Decretorum Doctorem. [4] Auditor fuerat Bartholomaeus causarum S. Palatii Apostolici, Auditor quoque Urbani V, de quo e T. IV. Miscellaneorum Arch. Vatican. ad schisma Urbani VI spectantium p. 48. edocuit nos clarissimus, et eruditissimus vir Cajetanus Marinius Archivi Vaticani Praefectus.

---

[1] Quid de Oliverio factum fuerit, comperire minime licuit. In Necrologio Avellanensi (Annal. Camald. T. VII.) annotatur die 20 Martii *Venerabilis Pater Oliverius*, idem nempe, ni mea me fallit opinio, qui Episcopus noster, ac deinde, si Alidosio fides est habenda, *Pisaurensis* Episcopus fuit.

[2] Nam chartam habemus Oliverii Episcopi adhuc Recanatensis scriptam die 24. Octobris 1373; die vero 13. Maji anni sequentis Bartholomaeus ejus successor 150. florenos pro communibus servitiis Camerae persolvit. (Oblig. Camerae Apostolicae T. 35. pag. 184).

[3] Alidosius in opusculo de Doctoribus Bononiensibus Ferrariensem fuisse scribit; in alio autem libro, quo Canonicos Ecclesiae Cathedralis Bononiensis recenset, inter quos Bartholomaeus fuit, Civem vocat, et Canonicum Tarvisinum, et S. M. de Vignaria Dioecesis Florentinae. Utrubique errat. In charta enim 1375. 15 Maji (Archiv. Secr. Civitatis Recanatensis), atque in Archivi Vaticani monumentis, quae inferius afferemus, clare *Bartholomaeus de Bononia* vocatur. Nobilis vir *Bene de Zambrasiis de Bononia* anno 1368. Potestas Cesenae fuit. (Delfico Memorie di S. Marino Appendice p. 45) de *Tebaldello de Zambrasiis* vide Interpretes Dantis ad Infern. cant. 32. vers. 122.

[4] Idem Alidosius in suis de Episcopis ac de Doctoribus Bononiensibus libellis Bartholomaeum fuisse perhibet Vicarium Episcopatus Pisaurensis, qui suo defuncto Episcopo suffectus fuerit, ac dein commutata cum Oliverio Sede Episcopali ad Recanatensem Ecclesiam transierit. Sed nomina Bartholomaei Zambrasii, et Oliverii Veronensis inter Antistites Pisaurenses frustra requisivi.

Ecclesias suas Bartholomaeus absens per Vicarios rexit. Retinebant enim eum Romae ardua, quibus adhibebalur, negotia. Socius fuit, atque Auditor Cardinalis de Vernio, simulque cum eo celebri Conclavi interfuit, in quo die 8. Aprilis 1378. electus est Urbanus VI cui noster constanter adhaesit. Hinc *D. Bartholomaeus de Zambrisiis de Bononia Decret. D. Episcop. Racan. et Macer.* inter testes fuit, qui die 10. Martii anni 1379. examinati electionem ejus legitimam fuisse demonstrarunt. Non pauca e dictis a Bartholomaeo in isto examine refert Odoricus Raynaldus numero 28. et 45. Tractatum sive orationem Bartholomaei allegat e T. IV. MSS. ad schisma pertinentium p. 68. ad 74., quo perhibet Episcopum se a Gregorio XI fuisse creatum, Auditorem fuisse Urbani V, et socium fere a pueritia in studio Cardinalis de Vernio, *cujus*, addit, *etiam in Rota fueram socius, et cujus post assumptionem ejus ad Cardinalatum fueram Auditor, et socius* . . . . Missum se fuisse cum litteris Urbani ad Cardinalem suum de Vernio, cum Anagniae is esset [1], ac in reditu a 34. Ungaris a Cardinalibus Ambianensi, et Gebennensi sibi jam tum infensis ad se insequendum submissis captum, atque Anagniam reductum. Baluzius T. 1. Historiae Pontificum Avenionensium p. 1119. Bartholomaei nostri, cujus testimonium in Raynaldi annalibus legerat, auctoritatem elevare, ac infringere nititur leviusculis certe rationibus, quae nonnisi apud Baluzium Clementis VII, quam veritatis studiosiorem, ponderis quidpiam habere possint. [2]

---

[1] Litteras quoque Urbani VI. detulit Bartholomaeus ad Ugonem Cardinalem Tit. SS. Quatuor Coronatorum, ut ex responso Cardinalis patet dato die 6. Julii (T. 2. p. 36 Miscell. super. cit.)

[2] Ni alienum id foret a proposito, facile hic mihi esset Baluzii rationes convellere; unam tamen silentio praeterire non possum ceteris fortiorem, et Episcopo nostro injuriam magis, qua mendacii eum convincere annititur. — Affirmaverat Bartholomaeus propenso admodum animo erga Urbanum VI. fuisse Card. de Vernio, seque id scire ex ipsomet Cardinali. Huic testimonio opponit Baluzius auctoritatem Cardinalis Florentini, qui falsam esse declaravit narrationem istam Bartholomaei. Egregia nimirum, si diis placet, refutatio, quasi Cardinalis Florentinus conscius esse potuisset eorum omnium, quae Vernius Bartholomaeo aliisve amicis in aures insusurraverat. Accedit, quod Vernius vir levis animi, quique facile in hanc vel illam partem flecteretur, fuisse videtur. Enimvero, citante Baluzio (pag. 1129.) testificatus est, se Urbano VI. dixisse . . . . *bonum esse, quod reeligerent eum Cardinales apud aliquem locum tutum*. Quod ipsum Vernius Cardinali etiam Sistaricensi, ut ex ejus testimonio apparet, expressis verbis adfirmaverat. Qui tamen postea, ut est in Codice 813. Biblioth. Colbertinae apud Baluzium, asserere non dubitavit . . . . *se numquam cogitasse de Urbano eligendo, neque umquam voluisse ipsum reeligere*. Decipere ergo voluit Urbanum, si noluit eum reeligere, aut fuit insigniter mendax, dum reeligere eum se voluisse negat. Quorum utrumque Card. Ver-

Ecclesiae itaque universali utilem in maximis rebus operam navavit Bartholomaeus, neque inutilem se praestitisse eredi fas est Ecclesiis suis, Civitatique imprimis Recanatensi. Haec enim ipsius tempore quinque ad minus privilegiorum diplomatibus a Gregorio XI exornata fuit, inter quae illud est, quo Gregorius Ecclesiae nostrae S. Mariae de Castro Novo, cum *Rectores, quos Abbates S. Crucis Fontis Avellanae creabant, ut plurimum idiotae et insufficientes extitissent,* de idoneo provideri jussit Sacerdote, qui Parochiae illi 400. circiter tunc temporis Parochianorum praeesset, eumque a Parochianis ipsis deligi posse indulsit, sive e coetu Monachorum, sive de numero Presbyterorum saecularium. [1]

LXIV. Bartholomaeo Ecclesiam Recanatensem moderante, Civitatis quoque nostrae praeclara effulsit erga Sedem Apostolicam fides. Compressa fuit An. 1377. seditio a Ghibellinis mota, ducibus Thoma Guilelmi (de Constantinis), Antonio Guidatii de Vulpinis, ac Theobaldo Cisci Jacobi de Lornano, qui Petro Vannis de Leopardis, ac Smidutio Ciccolini de Marina, et Guelfis aliis viginti exitium moliti fuerant, quod vero in auctorum capita versum est die 4. Junii: Anno autem 1379. die 13. Decembris arctissimum pro Urbano VI, et libertate foedus inierunt Recanatenses cum Anconitanis, et Firmanis, quod saepius deinde (anno imprimis 1384.) renovatum, salutare fuit Firmanis. Conjunctis enim viribus expugnata a sociis fuit arx, sive girofalcus Firmanus, ejectique ab ea praesidiarii Raynaldi de Monte Viridi urbis illius tyranni et rebellium antesignani, die 4. Februarii 1380, qua die triumphantium in morem populus Firmanus cum exvillis sociorum Anconitanorum, Asculanorum, et Recanatensium arcem ingressus est, teste Antonio Nicolai in Chronico Firmano.

Anno 1381. mense Augusto Civitas nostra Societatem S. Georgii stipendiariam Clementis VII, quae ad S. Firmani Monasterium castra habebat, fortiter repulit. Anno autem 1382. Ludovico Andegavensi Marchiam invadente, cum Pretellus quidam Anconitanus Auximum occupasset, *accurrerunt fideles homines S. Matris Ecclesiae equestres, et pedestres armigeri in numero copioso, Civitatis Racanati, cumque Montefanensibus, et Filottranensibus Pretelli cohortem Auximo expulerunt, eumque po-*

---

uio, sive perfidum fuisse dixeris, sive mendacem, aut obliviosum, auctoritatem omnem derogat, dum Episcopum nostrum, quem tamen virum gravem, et probum fuisse gesta ab eo munera comprobant, falsi testimonii apud Cardinalem *Florentinum* insimulavit.

[1] Bullam Avenione datam die 8. Junii 1376. exscripsi e Protocollo Ser Petri Pauli Laurentii Notarii Recanat. annuente R. D. Petro Pintuccio ejus possessore, qui non pauca subministravit, quibus in concinnanda hacce historia usus sum.

tentialiter, ad statum Ecclesiae reduxerunt. Fausti eventus memoriam annua supplicatione adhucdum celebrant Auximani die Dominica, quae festum Deiparae Virginis in coelum Assumptae proxime sequitur.

His rebus factum est, ut Andreas Bontempius Card. Perusinus Marchiae Anconitanae Legatus Recanatum sibi deligeret inter ceteras Provinciae civitates, ubi sedem sibi, et Curiae figeret tutissimam. Incoluit ergo Civitatem nostram ab ineunte anno 1381. ad Octobr. usque anni 1386.

Vicariorum apud nos munere pro Bartholomaeo Episcopo functi sunt:

Anno 1374—1376. *Fr. Bartholomaeus de Strata Bononiensis* Ordinis Praedicatorum S. Theologiae Professor, et Prior Conventus Recanatensis.

1376. 20. Septembr. *D. Ludovicus Matthaei de S. Angelo in Pontano* Comitatus Firmi, Plebanus Montis Saltani (Memorie della Chiesa d'Osimo Tom. III. p. 178. 190. 193. 206.)

1379. 7. Junii, et 22. Nov. *D. Franciscus Pandulfi de Camerino* Canonicus Recanatensis

1380. 21. Augusti *D. Paulus Corradutii de Macerata.*

1381. 21. Junii *D. Fr. Landulfutius de S. Severino* Abbas Monasterii Montis Conari.

Incertum est, quo tempore Bartholomaeus obierit. Mortuus jam erat die 17. Januarii An. 1383., quo D. Martinus Vannis Pandulfi de S. Severino Archidiaconus Maceratensis vices Episcopi Sede vacante obibat Maceratae, ut e notis MSS. didici, quas Compagnonius Episcopus Regiae Picenae Avi sui adscripsit. Die 21 Martii ejusdem anni Episcopus Auximanus consentiente Oeconomo Capituli Recanatensis ad Ordines sacros promovit Antonium Bertutii Rectorem Ecclesiae S. Victoriae, ut adnotatur in Comment. de Ecclesia Auximana Tom. III. p. 257.

Post natum in Ecclesia luctuosum Urbani VI schisma perturbata est admodum et confusa, ac erroribus mixta apud Ughellium Episcoporum nostrorum series. Bartholomaeum enim, de quo agimus, qui annis compluribus sub Gregorio XI jam Ecclesias nostras rexerat, et Clementis VII adversarius fuerat imprimis, intrusum ab eodem Clemente fuisse refert Ughellius; Paulum deinde Bartholomaeo narrat successisse intrusum; Nicolaum vero quemdam Florentinum ab Urbano VI creatum pluribus annis Ecclesiis Recanat. et Macerat. praefuisse. Nos hisce fabulis refutandis non immorabimur, ne bonas chartas perdamus; rectiora retulisse sat erit.

X. ANGELUS

LXV. Electus est *Angelus* in Episcopum Recanatensem exeunte mense Martio An. 1383. [1]

Falsum est igitur *Nicolaum Florentinum* ab Urbano VI post obitum Bartholomaei Zambrisii a Faesulana ad Ecclesias nostras translatum fuisse, ut Ughellius asseruit, citans librum provisionum Praelatorum. Enimvero Cl. Marinius sancte nobis affirmavit, in Archivo Vaticano Nicolai neque Faesulani, neque Recanatensis ullam extare memoriam.

Equidem mense Januario 1384. Maceratensibus, qui inde ab Anno 1382. una cum Rudolpho Varanio eorum Domino partes secuti sunt Ludovici Andegavensis, et Clementis VII, obtrusus est ab hoc Antipapa *Paulus* quidam Episcopus, quem ego Paulum illum Corradulii de Macerata esse existimo, qui antea Vicarius ibidem fuerat Generalis. [2]

Verum Recanatenses Paulo huic numquam adhaesisse vel illud argumento est, quod toto fere eo tempore moram apud ipsos traxerit Andreas Bontempius pro Urbano VI. in Marchia Legatus. [3]

---

[1] Etenim, ut vidimus, vacavit adhuc Sedes Episcopalis die 21. Martii. At vero die 2. Aprilis jam Vicarium Generalem Augelus constituerat D. Jacobum Ferrantinum Rectorem Ecclesiae S. Michaelis de Ponticello (Archiv. secr. Recan.) Die autem 19. ejusdem mensis factum est senatusconsultum . . . *lorgiendos esse Reverendissimo in Christo Patri, et Domino Domino Angelo Dei grotia Episcopo Recanotensi et Maceratensi de proximo venturo ad Civitatem Reconoti florenos centum auri, et unom tassom orgenteom, in qua deferatur dicta quantitos florenorum.* (Cod. reformationum An. 1383. penes R. D. Petrum Pintuccium) Die 26. April. in Angelum Episcopum Recanat. compromiserunt Episcopus Auximanus, et Fr. Landolfutius de S. Severino Abbas Montis Conari, ut est in protocollo Maghinardi Lambertini in Archiv. Episcop. Auximano, citante Reverendissimo Compagnonio T. III. p. 261.

[2] D. Paulus Episcopus *Macerat., et Recanat.* sic legitur T. 43. Oblig. Camerae Apost. p. 88. t. (ubi animadvertas velim in titulo mentionem Ecclesiae Maceratensis Recanatensi antelatae, novo exemplo, sed nimirum dignior locus apud Clementem debebatur Maceratensibus) « *promisit pro suo communi servitio 150. florenos, et tria servitia consueta. Item recognovit pro communi servitio D. Bartholomaei Praedecessoris sui Collegio 25. Flor., et tria servitia consueta,* » cujus Praedecessoris obligatio facta fuit die 13. Maji *de An.* 1374. etc. Die 28. Januarii 1384. Clemens VII. facultatem eidem Paulo concessit faciendi se consecrare a quocumque Episcopo (Regest. Clementis VII. T. V. p. 3.)

[3] Obiit hic Cardinalis mense Julio An. 1390., ac sepultus est, ut scribit Oldoinus, Recanati in Ecclesia Cathedrali, aut in Ecclesia S. Mariae de Castro Novo, si vera narrat in MSS. suis Petrus noster Bonjoannius. Ughellius vero auctoritate confisus Bullae Martini V. quam refert in Regia Picena p. 315. Pompejus Compagnonius, Maceratae affirmat sepultum fuisse. Crucem enim, mitram etc. Martinus Maceratam deferri jubet, quae ait, a Cardinali Ecclesiae Maceratensi *testamento fuisse relicta.* Extat in Archivo Recanatensi Bulla Bonifacii IX. data die 3. Decembr.

LXVI. Ad familiam quod attinet et Patriam Angeli Episcopi Recanatensis, varia fuit hactenus Eruditorum sententia. *Cinus*, *ac civis Recanatensis* agnominatus fuit a Panvinio, Contelorio, Ciacconio, et Ughellio, a Morettio *Siculus*. Certiora nos damus. Patrem habuit Angelus *D. Gellum*, ut ipse testatur in testamento condito die 9. Maji 1402.; nepotem vero (e documento An. 1380, 21. Nov.) nobilem virum *Antonium Vagnutii*, cujus Antonii filius fuit *Hieronymus*. [1] Familiae nomen *de Rainaldis*, ut e charta mox citata, quae in Archivo DD. Altaristarum adservatur. *Mevaniensem* vero fuisse et ex proprio ipsius testimonio, et ex actis publicis, quorum plurima in Archiviis nostris supersunt, ita manifeste evincitur, ut ne dubio quidem locus supersit.

Itaque et Cinam familiam, et Patriae nomen a Ciacconio adlatam fabulis accensemus. Sigillum vero hic addimus Angeli Episcopi Bullae cuidam Gregorii XI adpensum, in quo stemma ejus conspicitur crucem exhibens, quam S. Andreae dicunt. Ejusdem formae stemma in monumento etiam sepulcrali Angeli insculptum est, dissimile omnino illi, quod Ciacconius, atque Oldoinus dederunt, simillimum vero insignibus *Nobilis*, *et potentis viri D. Nini D. Raynaldi de Mevania*, qui An. 1344. Potestas Recanatensium fuit, quae hic effingenda curavimus, prout depicta sunt in libro Actorum judicialium Anni 1344., qui extat in Archiv. publ. Recanat. A Patre dicti D. Nini qui *Raynaldus* vocabatur, Angelum nostrum ortum, et cognomen cum insignibus traxisse a vero neutiquam abhorret. Hinc sequentem ejus contexo genealogiam, quam harum rerum studiosis non ingratam fore confidimus.

1390., qua victualia, supellectilem, et alia, quae olim Cardinalis Andreae fuerant, fratri suo Andreae Tomacellio assignari jussit. Nulla hic de ornamentis Episcopalibus mentio. Quae tamen cum Maceratenses a nostris non desinerent repetere, diuturna hinc lis exarsit inter utriusque Civitatis Canonicos, quae An. 1429., ac rursus sub Nicolao Astensi Episcopo referbuit. Hic demum, ut videbimus, materiam liti abscidit. Canonici Recanatenses, cum lis eis moveretur de ornamentis illis, die 29. Martii 1429. *jure communi* se tuebantur, quo innuitur, ut ego quidem existimo, Cardinalem Recanati obiisse, aut saltem ibi, quo tempore obiit, domicilium habuisse. Ridiculum inventum existimo membranaceam schedulam, quae An. 1772. in Ecclesia Maceratensi, dum restauraretur, inventa fuisse perhibetur, cui versus quidam inficeti de Cardinalis Perusini obitu inscripti erant, scilicet:

« *Fui in statu Cardinali, ense armatus et pastorali*
« *Patriam rexi spiritualiter, et Picenum temporaliter,*
« *Si non ningit, et non pluit,* BONUM *semper* TEMPUS *fuit.*
Fuit eheu ab orbe redempto annum mille nonaginta trecento
In qua abiit Andreas Bontempo.

Qui sane versus stilum alicujus nostrorum temporum sycophantae sapiunt.

[1] Alium nepotem e consobrina, ut arbitror, aut ex sorore habuit Segnam Francisci Job. Segne de Aldutiis de Bictonio, et neptem Thaddaeam.

D. RAYNALDUS DE MEVANIA

D. NINUS (1344) [1] — D. GELLUS — D. THOMASSIUS 1329.

Filii D. Gelli: VAGNUTIUS — ANGELUS EPISC. RECANAT. — RAYNALDUS

VAGNUTIUS → ANTONIUS 1371. → HIERONYMUS—BRUNASENNA

RAYNALDUS → THOMAS → JACOBUS 1412. — PERJOANNES 1425. — PETRUS 1425.

Fuit Angelus Decretorum Doctor, eaque publice interpretatus fuerat, ut ipsemet in testamento asserit. Prior quoque fuerat Collegiatae Ecclesiae *de Pregio Perusinae* Dioecesis; ac anno 1371. Andreae Perusini Episcopi Vicarius Generalis, et ejusdem postea, cum Marchiae Anconitanae praeesset, Auditor generalis, cui, ut erat vir sane optimus, et in gerendis rebus mirae dexteritatis, ingenium suum et fidem dificillimis illis temporibus vel maxime probavit.

LXVII. Creatus Episcopus nihil antiquius habuit utilitate Ecclesiae suae. Percommodum vero acciderat, ut Petrus quidam Corradutii Sangenesinus, ac die 19. Julii 1383. Nicolaus ejus filius viri praedivites bona sua omnia ab executoribus testamenti in usus pios expendenda reliquerint, executores vero consentirent, ut ex iis construeretur *Corpus Ecclesiae nostrae Cathedralis*, quae tum et nimis angusta erat, et ob vetustatem ruinae proxima. Paulo post (1385. 13. Febr.) Ser Venantius Cisci Episcopum haeredem instituit pro Fabrica S. Flaviani facienda (S. Ant. Jannis). Quam alacriter opus aggressus fuerit Episcopus noster [2] vel ex eo argues, quod instrumentum extet An. 1384. 27. April. in *Ecclesia nova* Episcopatus Recanatensis conscriptum. [3] Eodem tempore aedificabantur apud nos Ecclesiae S. Francisci et S. Augustini, ut e legatis patet pro expensis

---

[1] Anno 1294. Nobilis vir *Ninus D. Raynaldi* nepos *D. Fratris Matthaei de Aquasparta* (Cardinalis) Potestas fuit Matelicae. Qui utrum ad familiam Angeli nostri pertineat, aliis dispiciendum relinquo. Sed dubio procul ad eam pertinet Nobilis miles *D. Thomassius de Raynaldinis de Bevagna*, qui Recanatensium fuit Potestas An. 1329.

[2] Anno 1384. 13. Jannarii centum millia laterum, ac mille salmas calcis pretio 1180 Lib. Ravenn. emisse habes in libro Antonii Jannis Not. Recan.

[3] Anton. Jannis in Archiv. publ. Recan. Contractus in Protocollo ejusdem Notarii nunc deperdito extabat Episcopi *cum muratoribus* anno 1388. initus. Anno autem 1411. perfectum fuit Campanile, et repositae in eo tres campanae.

in consecratione illarum faciendis. [1] Consecratas ergo eodem anno fuisse omnes illas Ecclesias verisimillimum est, quod quidem accidisse An. 1390., conjicere fas est. [2]

Consecrationis Ecclesiae Cathedralis anniversarius dies celebratur nunc quidem die 20. Octobris jussu Amici Panicii Episcopi olim nostri, cui a Sacra Rituum Congregatione id indultum fuerat, ut certam diem, quo memoria consecrationis recoleretur, constitueret. A majoribus autem nostris celebrabatur die 24. Maji. ut asseritur in supplicibus precibus Cleri Recanatensis S. Rituum Congregationi An. 1638. porrectis. Quamvis biennio post Episcopus ipse in alio libello supplici eidem S. Congregationi oblato affirmaverit, ignotum fuisse consecrationis diem; attamen in Actis visitationis anni 1587. legitur consecratam fuisse *firma memoria antiquorum licet cruces non appareant eoque die Cappellam.* De die igitur dubitari non posse videtur. Superstites enim procul dubio erant anno 1638. quamplures, qui meminissent, quae festa olim in Ecclesia Cathedrali ante annos non amplius 50. solemni ritu acta fuerint. De anno res incerta est, sed conjici potest consecratam fuisse eodem anno, quo Ecclesia S. Francisci, quod circa annum 1390. contigerit necesse est, quo anno tres illos Episcopos consecratores Ecclesiis Recanatensi, Fanensi, et Pisaurensi praefuisse constat.

Altera Angeli cura fuit, ut Maceratenses sui, quos rebellio in Schisma, ut fieri assolet, pertraxerat, Ecclesiae gremio, ac Romanae Ecclesiae temporali dominio, suoque legitimo Antistiti restituerentur. Precibus ergo, et assiduis monitionibus id effecit, ut tandem ii vocem sui Pastoris agnoverint. Itaque mense Octobris An. 1386, Angelo ipsimet noctu ad moenia accedenti portas aperiunt, mox armis correptis Varaniorum, qui urbem tyrannide sua premebant, milites, praefectosque inopinantes adorti ejiciunt, Ecclesiamque se pro Matre et Domina habituros proclamant. Quo facto delictorum a decem annis commissorum veniam ab Andrea Bontempio Cardinali Legato die 12. jam dicti mensis accepere. Resipuerunt Maceratensium secutae exemplum Civitas Nova, Murrum Vallium, Mons Causarius, et Mons Cassianus. Praeiverant exemplo Firmani, Sangenesini, Eugubini, Oppida Montis Rubbiani, Ripaetransonis,

---

[1] Ser Antonii Jannis Protoc. I. Testam. An. 1382. 26. Augusti, et 1383. 25. Augusti.

[2] Litterae extant apud Patres Conventuales datae die 5 Junii anno incerto, quibus *Angelus* Episcopus Recanat., et Macerat., Fr. Leo Episcopus Fanensis, et Fr. Franciscus Episcopus Pisaurensis invitant populos, ut intersint consecrationi Ecclesiae S. Francisci die S. Joannis Baptistae faciendae, concedentes Indulgentiam 40. dierum in ipsa consecratione, ac in festis B. Mariae Virginis, SS. Apostolorum, S. Crucis, SS. Francisci, Antonii, Ludovici, Agathae, Apolloniae, et Catharinae, eorumque octavis consequendam.

Montis Florum etc. In Fide vero Ecclesiae perstiterant Anconitani, Recanatenses, Aesini, Auximates, Cingulani, Saxoferratenses, alii [1].

Nihil igitur mirum, si Episcopus noster ea floruit apud Summos Ecclesiae Praesules auctoritate, ut maxima ejus fidei committerentur negotia, sique Recanatenses ipsi gratiis, et privilegiis decorabantur praeclarissimis.

LXVIII. Anno 1385. 19. Octobris Angelus noster cum Patriarcha Gradensi, et Episcopo Firmano jussus est ab Urbano VI. bona Petri Gattulae, qui multis annis Thesaurarius in Marchia fuerat, sed capitis ob delicta damnatus furca suspendi meruerat, Santillo cuidam Neapolitano tradere. (Catalani de Episc. Firman. p. 379.) Fuit postea Collector in Piceno decimarum Generalis anno 1392. Ac dein missus est Firmium, ut foedus inter Picenos generale pro pace et quiete Provinciae conciliaret. Anno sequenti Andreas Tomacellus Marchiae Rector discessurus e Provincia omnem, qua gaudebat, potestatem, se absente, *penes Angelum nostrum, et penes Civitates Recanatensem, et Auximanam esse voluit*, litteris datis die 9. Sept. (Archiv. Recanat.), potestatem nimirum parlamenta celebrandi, exercitus cogendi, reos puniendi etc. Cum vero paulo post Andreas ab inimicis captus fuisset, Angelus noster is fuit, cui Pontifex res Thesaurarii, et Andreas omnem suam suppellectilem pretiosiorem commendarunt. (Anno 1394. die 22. Maji in Archiv. Ecclesiae Cathedr. Recan.) Recanatensis autem Civitas a Bonifacio IX sex omnino privilegia obtinuit, inter quae praecipuum sane illud est, quo jus ei concessit monetas aureas, argenteas, et aereas cudendi, datum die 8. idus Februarias An 1393., de quo privilegio in prolegomenis fusius disputavimus, uti et de universa re monetaria Recanatensi. Neque silentio hic nobis praetereunda est Bulla data 4. Idus Julii An. 1396., qua idem Pontifex incolis Castri novi jus concessit perpetuum eligendi sibi, ex Ordine tamen Avellanensi, Priorem, sive Parochum: Ecclesiam enim illam portae Civitatis imminentem subditam esse non debere Prioribus aliis, nisi ei, quem Populus ipse Recanatensis Romanae Ecclesiae fidelem, neque ulli adversariae parti, ut olim acciderat, addictum fore censuisset.

Iterum defecerunt ab Ecclesia Maceratenses mense Januario 1394. subjicientes se Gentili Varanio. Recanatum quoque mense Februario 1394. a Pandulfo Malatesta, qui cum Anconitanis bellum gerebat, occupatam fuisse refert in Chronico Eugubino Bernius. Sed Pandulfum ab Ecclesia stetisse ea, quae consecuta fuerunt, ostendunt. Quare Recanatenses eum in moe-

---

[1] Anno 1387. mense Novembris irruptionem in agrum Recanatensem fecerunt copiae D. Guidonis (de Galeatiis de Areiano) Senensis.

nia lubentes non pro Domino, sed pro Socio admiserunt, neque libertatem, neque Romanae Ecclesiae obedientiam unquam deseruerunt.

Brevi post (die 24. Junii) societas, imo induciae prope Castrum Fidardi initae fuere per Corradum Comitem Altimbergium nomine Gentilis Varani, Anconitanorum, Aesinatium, et Cingulanorum cum Malatestis, Auximanis, aliisque, cujus foederis tabulae in Archivo Aesino servantur.

Die vero 24. Decembr. liga similis, sive pacem dicere malis, sive inducias, in annum unum constituta fuit inter *Terras Ecclesiae*, idest *Recanatum*, Auximum, Ripamtransonis etc, ac Varanios, Firmanos, Asculanos, et Anconitanos.

Tandem rediere ad obsequia Maceratenses die 29. Aprilis 1396., eosque Angelus Episcopus die 12. Junii jubente Bonifacio IX in gratiam recepit (Reg. Picen. p. 266). Quare mox necesse habuerunt se adversus Varanios defendere. Quod ut felicius eis succederet, societatem fecerunt cum nobilibus viris Francisco de Monte Ulmi, Joanne de Monte Lupone, Antonio de Monte Sancto, Andrea de Monte Fano, et cum Recanatensibus, de quo foedere agunt consilia Baldi 376. et 391.

LXIX. Atque haec quidem de illorum temporum tumultibus bellicis dicta sint, quae quidem praeterire ideo non potui, quod Angelus Episcopus, et Recinates nostri constantiae et fortitudinis, cujus eximia tunc documenta ediderunt, laude nequaquam mihi defraudandi visi fuerunt.

Neque tacendus hic est Andreas Magistri Andreae filius, Medicus Recanatensis, qui An. 1397. diem suum obiit extremum. Hic bona omnia (et non modicas sibi opes arte medica, qua praestabat, comparaverat) Reipublicae Venetae eo pacto reliquit, ut e fructibus in perpetuum alerentur Auximani juvenes quatuor philosophicis, medicisque scientiis operam in studio quodam generali, sive studiorum, ut ajunt, Universitate decennio integro, si vellent, daturi. Testamentum optimi viri in Codice Antonii Jannis Notarii Recanatensis extat, qui die 5. Januarii praedicti anni id confecit. Grati animi causa ob beneficium insigne civibus suis collatum statuam Andreae erigendam curavit Aurelius Guarnerius Comes vir praestantissimus optime merito. Andreae memoriam jam olim in Statutis suis lib. 2. rubr. 41. consecraverant Auximates. V. de eo Calcagnius p. 132., Facciolatus in fastis Gymnasii Patavini, Rm̃us Compagnonius in Comment. de Eccl. Auxim. etc.

De Republica autem Recanatensi, et de Patribus Dominicanis nostratibus optime hac aetate meritus est Petrutius Cintii vir locupletissimus, qui Thesaurarii quoque munere in Piceno olim functus fuerat. Etenim is anno 1399., ut e protocollo Antonii Jannis intelligimus, non solum pro fabricando Portu 200. libras reliquit, atque An. 1391. pro horologio turris magnae faciendo ducatos 60., et An. 1402. pro sternenda lateribus via

a fonte Guazatorii ad portam usque Mercatalis, sive S. Dominici. ducatos 50.; Sed erga Conventum praecipue hujus Sancti liberalitas ejus eximia fuit. Fundavit enim cum 300. ducatis auri Cappellam S. Thomae Aquinatis, historiasque S. Dominici, *S. Petri M.*, et S. Thomae Aquinatis in tabula sex pedes longa Venetiis depingendas opere sumtuoso curavit, expensis ducatis 100. Ac praeterea Fratribus dormitorium extruxit, et chorum, in quae opera insumpti sunt ducati 900., summa ut iis temporibus maxima.

LXX. Conditionis humanae memor Angelus, quod provecta jam esset aetate, Anno 1402. die 9. Maji testamentum conscripsit, quo inhumari se praecepit in Sacello S. Hieronymi in Ecclesia nostra Cathedrali, siquidem Recanati esset moriturus. Sacrario legabat apparatum suum librarium, vestesque sacras, calicem praeterea unum: calicem alterum Ecclesiae Maceratensi. Heredem omnium bonorum, postquam soluta forent quae familiaribus legaverat, instituit Ecclesiam suam S. Flaviani, et pauperes Christi, et eorum vice Priores Fraternitatum Mercatorum, et S. Luciae. (V. Append. N.° 53.)

Ab hoc tempore, abjecta politicarum rerum cura, Ecclesiarum suarum imprimis curam gessisse videtur, ut acta illarum docent, quae hinc et illinc collegimus. Anno 1402. 6. Martii Ecclesiam S. Jacobi Sodalitio *Frustatorum* concessit, ut pios in ea conventus peragerent. Aliud quoque sodalitium, quod in Ecclesia S. Mariae Castri Novi conveniebat, obtinuit An. 1404. mense Januarii a Priore istius Ecclesiae Altare, ad quod preces ad Deum funderent socii ex instituto Sodalitii, sacraque fieri curarent. An. 1403. 8. Septembr. Angelus Episcopus indulgentias Ecclesiae S. Francisci de Sarnano clargitus est. Dat. Recanati. (Litterae in Archivo Conventus istius extant.)

LXXI. Eodem anno 1404. confectus est Codex legum, quo Respublica Recanatensis hactenus utitur. In quo conficiendo Majores nostri id consilii secuti sunt, ut neutiquam novas leges e cerebro effingerent, quod sine ingentibus plerumque malis fieri non posse optime noverant, sed ut antiquas leges usu ipso consecratas, atque experientia rerum magistra comprobatas undique colligerent, additis novis constitutionibus, sicuti temporum ratio, aut necessitas, utilitasve publica id postulare videbatur. Effulget ubique in venerando hoc Codice justitia, et aequitas quaedam insignis cum humanitate, et justa severitate conjuncta. Quo factum est, ut Civitas nostra *justissima* ubique agnominaretur, legesque ejus ita sapientes, suavesque vulgo haberentur, ut velut e Graecia olim Romani, sic a Recanatensi Senatu instituta sua, et leges civitates aliae mutuarentur. Sic Cingulani, ut in Annalibus ipsorum An. 1432. legitur, Oratoribus missis Codicem a Recinatibus petierunt, quo poenae in facinorosos constitutae comprehendebantur. Aesini

18

quoque an. 1450. ad *exemplum et normam Civitatis Recanatensis, quippe quae inter ceteras maxime haberet famam, quod bene regeretur*, tributa pro ratione facultatum a civibus exigenda esse decreverunt.

Verum quod ad historiam nostram propius spectat, pictas est, ac Religionis studium, a quo Legumlatores illi Recanatenses vel maxime commendandi sunt. Ne quid dicam de Templorum honore, et munditie, de Sacris statis diebus a Senatu, Populoque obeundis, ac Caelitibus honorandis, de quibus rebus luculentissimae extant in eo Codice leges, observatu imprimis dignum est, quam fuerint Majores nostri jam tum Beatissimae Dei Matri Mariae Lauretanae devoti, quanta religione festum ejus quod 8. Septembr. agitur, coluerint. Judicibus eo die, ut in festis Nativitatis, ac Passionis, et Resurrectionis Domini nefas fuit in maleficia inquirere, aut sententias dicere; (libr. 2. rubr. 7.) imo, quod mireris, poena erat constituta in eos, qui peccatum quodvis illa die admitterent, luderent, jurarent, similia. Quae lex ne advenas lateret, in Villa, ut tum vocabatur, Lauretana, quotannis praeconum voce promulgabatur pridie festi (lib. 3. rubr. 126. et in additionibus An. 1409.) Sed quae ad Lauretanae Aedis celebritatem spectant, alterius loci sunt, ubi ex professo de ea sermonem instituemus.

LXXII. Anno 1405. die 27. Octobris Stephanus Villani Exuperantii Cingulanus Ecclesiam SS. Pauli Apostoli, et Juliani honori dicatam, atque ab ipso domi suae extructam patrimonio satis pingui moriturus ditavit, assignatis alendo Sacerdoti, et Ecclesiae sartae tectae conservandae domibus quatuor, fundisque non paucis quorum non exigua pars superest, ita ut Sacerdotium inter opima habeatur, licet Aedicula SS. Pauli, et Juliani co in statu sit, ut Sacra in eo fieri vetuerint Praesules. Primum Ecclesiae recens conditae Sacerdotem fundator esse voluit D. Jacobum Juliani, cui successores deinceps designandi essent ab Episcopis, qui pro tempore forent, *Recanatensibus*, et Maceratensibus, et a Prioribus Sodalitiorum S. Mariae ad Portam Montanam, et S. Jacobi, atque a Mocciono Mathiutii, ejusque *heredibus masculis*. Haec e protocollo Ser Bartholomaei Sanctis Notarii Cingulani adnotanda duximus, quod ad jura pertineant Ecclesiae Recanatensis.

Ergo Sacerdotio illi praefuit primus Jacobus ille Juliani, quem diximus, ad Annum usque 1434. Ei successit Julius Ser Bartholomaei Sanctis Gerini de Rollandis. Huic An. 1449. 23. Sept. Fortunatus D. Constantii de Pellicanis Maceratensis; eoque ad Sarsinatensem Episcopatum evecto An. 1452. 25. Januarii Leopardus Federici de Auximo. An. 1475. 15. Martii D. Leopardus Felciarellius Cingulanus Abbas S. Victoris de Arciono: et Anno 1502. 26. Nov. Rainerius Casionus de S. Geminiano. Qui omnes, prout a fundatore praeceptum fuerat, designati sunt ad hoc Sacerdotium

ab Episcopis Recanatensibus, Praefectis Fraternitatum, et heredibus Moccioni Mathiutii. —

Verum postquam irrepsit resignationum licentia, pervenit Ecclesia SS. Pauli, et Juliani Cingulana ad Joannem Petrum de Simonettis die 4. Octob. 1510; a quo An. 1520. 6. Febr. ad Jacobum; An. 1537. 8. Martii ad Achillem; An. 1553. 20. Junii ad Antonium; An. 1596. 15. Octobr. ad Philippum; An. 1620. 20. Junii ad Achillem *e nobilissima* omnes Simonettiorum stirpe, pertransiit. Ultimus ex his Achilles antequam Sacerdotio se abdicasset, obiit die 9. April. 1675., rediitque jus, ut ajunt, praesentandi ad Episcopos Recanatensem, et Maceratensem, atque Sodalitia, quae nominavimus, Cingulana.

LXXIII. Invasit An. 1407. die 7. Junii agrum Recanatensem Braccius (Chron. Firm.) instigante Ladislao Rege, qui tumultibus omnia complebat, ut Gregorium XII. ab itinere Sagonensi, atque abdicatione Pontificatus averteret; quippe qui eam fatalem sibi fore arbitrabatur. Anno sequenti die 12. Januarii pax inter Ladislaum Neapoleos Regem, ac Ricinates, Maceratenses etc. facta est. (Reg. Pic. p. 283.) quae vero minime diuturna fuit. Recruduerunt enim eodem Anno seditiones. Ladislaus Romam cepit, ac Perusiam: Ludovicus Melioratus per universam Piceni Provinciam discurrebat victor: Cardinales Pisas alium Pontificem electuri abierant. Interim animo infracto Ricinates cum Angelo Episcopo quidvis potius pati, quam a Gregorii obedientia discedere maluerunt. Quo factum est, ut virum optime de se, et Ecclesia merentem Pontifex die 18. Sept., Senis cum esset, Cardinalium albo, Tituloque S. Stephani in Monte Coelio adscripserit. Anno autem 1410. 30. Januarii Legatum Marchiae, suumque in ea in temporalibus Vicarium cum facultatibus amplissimis, quae 26. amplius Bullis continebantur, constituerit, litteris ad Maceratenses datis quibus hortabatur, Angelo ut parerent, addens auxilia ei, si opus esset, Ladislai Regis praesto fore ad prohibendam a subditis exterorum vim, et crudelitatem (Archiv. Macer.)

Legati munere Angelus quoad vixit ita perfunctus est, ut exulaverint a Provincia bella, et caedes. Maceratensibus, cum rebellionis eos poeniteret, veniam delicti a Gregorio impetravit, obtinuitque, ut Carolus Malatesta abstineret deinceps a praedis ex eorum agro agendis, praeciperetque militibus, ne quem offenderent Maceratensium.

Recanatenses, ut diximus, Pastoris sui monita secuti Gregorii partes constanter tenuerunt. Itaque tametsi die 20. Octobr. 1409. Jacobus de Rubeis Parmensis, qui Marchiae pro Alexandro V. Praefectus fuerat, Portum ipsorum ex improviso occupasset, restiterunt tamen nostri, pauloque post amissa recuperarunt.

Ceterum An. 1408. mense Januario, ne quid praetereamus, quod ad Ecclesiae nostrae historiam pertineat, aedificari coepta est Cappella, et Monumentum lapideum pro asservando *B. Benvenuti* nostri corpore.

Anno autem 1409. die 29. Januarii Cappella, sive Sacerdotium in *Altari S. Hieronymi* in Ecclesia Cathedrali constitutum fuit.

Anno 1412. 21. Januarii bona, quae Ciscus quidam Aegidii legaverat pro construendo hospitali, cum novo nosocomio Civitas neutiquam indigeret, Angelus Ecclesiae Parochiali *S. Maroti* ad inopiam redactae concessit.

Tandem Angelus Cardinalis grandaevus jam, et laboribus confectus, quos 40. ad minus annis pro Ecclesiis Perusina, Recanatensi, et Maceratensi, ac Romana toleraverat, succubuit fato communi die 21. Junii 1412., sepultusque est honorifice in marmoreo sepulcro in hac nostra Cathedrali Ecclesia, ut ipse exoptaverat, insculptaque fuere marmori insignia ejus gentilitia cum epitaphio sequenti

> REVER. D. A. CARD. RACANATI OBIIT
> VIGESIMO PRIMO JUNII A. D. M. CCCC. XII. CUJUS
> ANIMA SIT IN PACE.

Quo epitaphio, ut hoc obiter addam, erroris convincitur Panvinius, qui Cardinalem nostrum in Concilio Constantiensi pro Cardinali agnitum fuisse scribit. Obiit enim antequam Concilium inciperetur.

Vicarios habuit in Recanatensis suae Dioecesis administratione:

An. 1384. D. Jacobum Ferrantini de Monte Fano.

1386. — 1399. D. Vicum Matthaei de S. Angelo in Pontano, Praepositum S. Viti, qui simili officio jam antea sub Bartholomaeo Episcopo functus fuerat.

1390. D. Nallum Cicchi Canonicum Maceratensem.

1402 — 1408. Dompnum Johannem Colae de Mevania Rectorem Ecclesiae S. Mariae de Monte Morello.

1410. D. Antonium de Recanato Plebanum Terrae Murri.

1411. Dp. Antonium Bertutii Condei de Recanato. [1]

1412. Dompnum Johannem Colae de Mevania.

---

[1] *Antonium de Bertutiis* accenset Petrus Bonjoannius viris illustribus, qui Ricinae ortum habuerunt, in opere MS., quod T. V. MSS. suorum inseruit Compagnonius senior. Susceperat Antonius Auximi sacrum ordinem An. 1383. (Mem. Osim. Tom. III. p. 257.), eratque tunc Rector Ecclesiae S. Victoriae. Anno 1387. Rector fuit Ecclesiae S. Petri in Monte Morello, et S. Luciae de Mercato. Anno 1399. Canonicus Recanatensis: An. 1408. Vicarius Generalis Firmi, cui uti et Joanni Episcopo Nicopolitano Vicariis a Joanne Episcopo delectis obediri mandavit

Die porro 22. Junii Capitulum Ecclesiae *Cathedralis* S. Viti Vicarium Capitularem constituit D. Antonium Bertutii praedictum, ac die sequenti Episcopum elegit egregium Decretorum Doctorem *D. Montem de Camplo Plebanum Ecclesiae S. Stephani de Monte Sancto,* quae tamen electio effectu caruit, quod Gregorius XII., ut mox videbimus, sibimet hanc reservasset Ecclesiam.

LOQUIRELLUS

ET ANGELUS BAGLIONUS

LXXIV. Equidem nescio, an Episcopis Recanatensibus accenseam Loquirellum. quem Ughellius Jaquellum vocat, obscuri nominis virum, quem Alexander V. inter ipsa sui Pontificatus exordia Recanatensem nominavit Episcopum (ex libr. Provision. S. Collegii An. 1409. p. 7.) At ille, sive quod a Recanatensibus non fuisset receptus, quippe qui Alexandrum V. pro vero numquam agnoverunt Pontifice, sive quietioris vitae cupidus die 9. Septembr. 1409. abdicavit se vano Episcopi nomine, concedique id postulavit *Angelo de Balleonibus* Perusino Sacrae Romanae Rotae Auditori, egregio Legum Doctori. Verum ne hic quidem Episcopum se Recanatensem unquam dixit, neque alii talem vocaverunt. [1]

XI. NICOLAUS DE CASSIA

LXXV. Mox ut e vivis excesserat Angelus Cardinalis consecuta est maxima rerum mutatio. Quum enim conventum fuisset die 17. Junii inter

---

Gregorius XII. apud Catalanium de Ecclesia Firmana—Anno 1412. Mense Januario Locumtenens Thesaurarii Generalis Marchiae, et Judex Generalis super spiritualibus; An. 1413. 23. Junii Prior Commendatarius S. Joannis in Pertica: 1417. Vicarius Generalis Joannis de Serravalle Episcopi Firmani; Testamentum fecit 1420. 12. Septembris, at vivebat adhuc An. 1450.

Alius eodem tempore claruit *Antonius de Recanato* Nicolai filius Abbas Mutinensis in dioecesi Feretrana, de quo Compagnonius in Regia Picena p. 282. Nomen ejus occurrit ab anno 1391. ad annum 1423., ut e documentis Archivi Ecclesiae Cathedralis S. Severini.

[1] Angelus D. Johannis de Balleonibus commendatus fuit Bonifacio IX. a Senatu Perusino An. 1389. Clericus fuit Camerae anno 1407., interfuit Concilio Constantiensi anno 1414. et 1416., eratque tunc Cappellanus Pontificis, et Causarum Camerae pro Joanne XXIII. Auditor. Dum vixit alio non gavisus est nomine, nisi Legum Doctoris, sicque post obitum (ut in Annal. Perusinis 1422. f. 42 t.) dictus est *celeberrimae memoriae olim eximius Doctor etc.* Haec e Cl. viri Annibalis Mariotti Commentario de Perusinis Rotae Auditoribus. Perusiae 1787. 4. praef. p. X.

Joannem XXIII. P. M. et Ladislaum Regem, ut infra tres menses Gregorius XII. Pontificatu decederet, Picenae tamen Provinciae dominium cum annuo scutorum 50000. reddith retineret, eique pacto Gregorius contradixisset, desciverunt ab eo Ladislaus, Ludovicus Melioratus, et Bononienses; atque universa pene Marchia a Jordano Ursino Cardinali, ac Paulo Ursino copiarum duce in easdem partes pertracta est. Recanatensibus die 4. Julii in partes Joannis XXIII. discedere necesse fuit. Quod ubi Pontifex ille intellexit nihil antiquius habuit, quam ut Antistitem iis daret, qui auctoritate sua in officio eos contineret, iisque virtutibus, eaque doctrinae laude floreret, ut ne desiderio quidem locus esset meliorem nanciscendi Episcopum.

Die igitur 20. Julii 1412. (ut ex lib. Provision. S. Collegii An. 3. T. 9. p. 196. in Archivo Datariae) Episcopum nostris dedit *Fr. Nicolaum de Saracenis de Cassia* [1] Ordinis Eremitarum S. Augustini, qui, postquam An. 1390. Generalis Visitatoris munus in Tuscia, ac An. 1392. in Provincia Spoletina gessisset, Ordini universo Augustinianorum per annos duodecim summa cum laude praefuerat, electus in Magistrum Generalem 3. idus Junii An. 1400. [2] Vir fuit longe doctissimus omnium confessione, ac piissimus. Itaque ubi primum Recanatum advenit, omnium animos adeo sibi devinxit, ut quum paucis post mensibus (16. Febr. 1413.) Malatesta cum copiis adveniente ad Gregorii partes rediissent nostrates, Nicolaum tamen Episcopum sibi relinqui summis precibus expostularent. [3] Annuit Malatesta, si Nicolaus desciscere a Joanne XXIII., atque ad Gregorii XII. partes discedere animum induceret.

LXXVI. At vero vir sanctus Episcopatu carere, bonisque etiam suis longe carissimis expoliari maluit, quam discedere ab eo, quem pro vero Christi in terris Vicario venerebatur; exemplo utique rarissimo, et praeclarissimo pietatis, ac fortitudinis. Id unum obtinuerunt cives nostri a Malatesta, ut salvumconductum pro se, familia, et *rebus* in triduum daturum

---

[1] Nepotem Nicolaus habuit, ut in charta legitur An. 1412. die 16. Decembr. *Vognutium* quemdam *Paulutii*.

An. 1436. Nobilis vir *Andreas de Saracenis de Cassia* fuit Potestas Cinguli. *Antonius de Saracenis de Cassia* Cancellarius fuit a. 1431. civitatis *Anconae*, ibique stirpem propagasse videtur *Saracenorum*.

[2] Joseph Pamphilus Ep. Signinus in Chron. Fratrum Eremit. S. Augustini p. 69.

[3] Art. 9. Capitulorum An. 1413. 16. Febr. a Malatesta filio Galeotti de Malatestis petunt Recanatenses . . . . . cum omni instantia, quod praesens Reverendus in Christo Pater D. Episcopus Racanatensis *ad singularem imo singularissimam gratiam totius cetus populi dictae civitatis*, similiter ad *gloriam*, et *exaltationem honoris* prefate civitatis *nullo modo removeatur ab Ecclesia Reconatensi*.

se sponderet. Attamen pecunia, quam Reipublicae Recinensi mutuatus fuerat Nicolaus, et libri, quos plurimos, pretiosissimosque attulerat, fisco adjudicati sunt a Gregorio XII litteris datis Arimini 17. April. 1414., venditique a Recanatensibus Marino Episcopo Aprutino, cui, ut dicemus, Ecclesiae nostrae cura a Gregorio demandata fuerat. Calamitoso enim schismatis tempore odia aequitati aditum praecludebant. Sic tempore, ut legitur in chartis nostris, *Sanctissimi, et archibeatissimi Domini nostri Joannis XXIII.* Philippus de Pallaleonibus de S. Miniate del Tedesco Canonicus Firmanus, et spoliorum Collector bona, et res Card. Angeli Mevaniensis, qui Gregorio XII adhaeserat, fisco adscripsit, licet pauperibus a Testatore fuissent relicta. Sic brevi post Clerus Recanatensis, qui decimas An. 1413. coactus equidem Joanni XXIII. persolverat, easdem Gregorio XII denuo persolvere debuit, ac quinos insuper denarios de libra, ut ajebant, pro Bulla, ut beneficiis, atque Ordinum exercitio restituerentur. Sed his omissis ad Nicolaum redeamus. Is Constantiensi Concilio interfuit, Pamphilo teste, p. 72., nec diu post ad superos abiisse creditur, anno nimirum 1415.

Vicario usus fuerat Venerabili viro D. Nicolao Praeposito Ecclesiae S. Mariae de lapide de Monte S. Mariae in Gallo.

Anno 1413. 12. Maji Recanatenses ad Montem Sanctum cladem accepere, fueruntque ex iis occisi decem et septem, capti 110.

LXXVII. Angelo Mevaniensi, et Nicolao de Cassia Episcopis aetate suppar fuit *B. Placitus* [1] Ordinis Apostolorum, cujus exuviae in Ecclesia nostra suburbana S. Joanni Baptistae dicata servantur, atque ob gratiarum famam insigni populorum vicinorum devotione coluntur. De quo antequam pro instituto nostro agamus, quaedam de Ordine, quem professus est, ejusque origine, et fatis, deque Ecclesia S. Joannis, quam incoluit, praemittenda esse existimamus.

Tenebris sane obvoluta sunt Ordinis Apostolorum primordia; neque enim scriptorem ullum is nactus est, qui res ipsius memoriae posterorum commendaret. Aliqua de Apostolinis congessit, sed parce et confuse Josephus Card. Garampus Dissert. I. ad vitam B. Clarae Ariminensis p. 102. et seqq.

LXXVIII. Ordinis Apostolorum nomen circa finem saeculi XIII. primum auditum est. (Io. Rinaldus Carli Operum T. XV. p. 293. chartam citat scriptam Anno D. 1279. exeunte Julio .... presentibus .... *Fratre Georgio de Ordine Apostolorum*). Fuerunt ii ut plurimum homines rustici, qui vitae

[1] Recensiores *Placidum* nominant: sed nos Joa. Franciscum Tarantellium Notar. Recanat., qui Ann. 1529., Episcopum Auximanum Joa. Baptistam de Sinibaldis, qui An. 1542., et Philippum Ferrarium, qui 1613. scripsit, auctores ceteris antiquiores sequimur.

sanctioris desiderio accensi, ac poenitentiae pro more saeculi habitum induti Deo in privatis aedibus serviebant, aut in eremis solitarii degebant. Ex horum numero ambitione in transversum acti Dulcinus quidam de Novaria, Gerardus Segarellius, aliique An. 1304. in Lombardia Montibusque Tridentinis sectae cujusdam auctores fuerunt *de paupere vita* dictae. *Incedebant*, teste Fr. Salimbene in Chronico, *vestiti, tunica de bisseto alba et longa, ac desuper mantello de stamine forti albo per modum pallii clevato, et circa collum et scapulas involuto, et caputiis longis, utebanturque soleis, quales gestabant Fratres Minores, et fune astringebantur connabino, qua forma tum SS. Apostolos depingi mos erat.* Itaque et ob vestitum, et ob modum vivendi *Apostolinos* se vocari voluerunt. Ceterum oculis ad terram demissis orando tempus terere, atque ad ostia domorum (teste Poggio in facetiis) considere taciti, nihil quidquam a nemine petentes, consueverant, a providentia et charitate proximi victum expectantes. Damnati fuerunt equidem, a Concilio Trevirensi An. 1310. Can. 50. *Begardi seu illi rustici*, qui se *Apostolos appellabant*, iterumque a Tarraconensi An. 1329., forte quod iis in partibus scelesti homines larva illa pietatis ad quaestum, et fraudes fuissent abusi,

Verum ea pestis non infecerat illos omnes, qui *Apostoli* vocabantur, aut *Fraticelli*. Ut enim eos taceam, qui in cellis, sive *carceribus* prope urbes incolebant, quorum Saec. XIII per omnem Italiam infinitus fuit numerus, qui *carcerati*, et *carceratae* dicebantur,[1] fuerunt passim probantibus Episcopis, et Pontificibus quamplurimi in eremis praesertim viri pii vitae illius, a qua mundus adeo abhorrebat, sectatores. humiles illi, paupertatis verae amantes atque ad Pastorum suorum jussa facienda numquam non prompti. Sic Perusiae An. 1391. *Fratres poenitentiae vocati Apostoli* habitabant prope muros civitatis. An. 1393. Congregatio florebat *Eremitarum* B. Petri Pisani, sive *pauperum Eremitarum*, qui faciunt *vitam Sanctorum Apostolorum*. Institutum hoc diplomate suo probavit An. 1417. 13. Febr. Jacobus de S. Eustachio Card. Legatus, (quod diploma Garampius loc. cit. p. 161. exhibet) « suscipiens sub protectione sua *pauperes Eremitas*, alias *Fraticellos* « vulgariter appellatos, in Alma Urbe, ejusque territorio commorantes, (*illis* « *de opinione dumtaxat exceptis*) qui Collegium non faciebant, sed quolibet « in sua propria libertate permanente sine professione regulae, sine re- « gulari habitu, sed tantum habitum *paupertatis, et humilitatis deferentes*,

---

[1] Exempla adfero Recanatensia. Anno 1292. in Testam. Matthaeus Roberti (Archiv. Ill. Domin. Carradorii) . . . . . reliquit *cuilibet carceri* istius Terrae duos solidos. An. 1345. Ciutius Salvutii *cuilibet carceratae* de Racanato quinque solidos legavit. (Arch. Confrat. S. M. Mercat.) V. Turchius de Eccl. Camerin.

« contemnendo proprium, bini, terni, aut plures degebant, parentes man-
« datis Pastorum, et Sacramenta a Parochis, alimenta vero à Christifide-
« lihus, et partim de *propriis laboribus recipientes.*

LXXIX. Atque hujus quidem Apostolinorum generis fuerunt illi, qui Saeculo ineunte XV. Ecclesiam S. Joannis in Pertica de Recanato Portae Romanae proximam incoluerunt.

Ludovicus Jacobillius aliique hanc Ecclesiam a B. Placito circa An. 1370. extructam fuisse scribunt. Sed errant. Longe enim vetustior illa fuit, pertinuitque olim ad Monachos Benedictinos Abbatiae S. Mariae de Vallefucina, quae nunc unita est mensae Cathedralis Ecclesiae Septempedanae. Donaverat eam Saec. XII. Arnulphus quidam Honorii Dominus Castri Aquaevivae, cujus rudera nuper in fundo Beneficii S. Joannis in Pertica effossa fuerunt.[1] Everso Castro vir ille nobilis relicto saeculo monasticam vitam amplexus est, translataque est non ita multo post Ecclesia, quae a Castro 500. circiter passibus aberat, in suburbium Recanatense. Quamplurima instrumenta hujus Ecclesiae in tabulario Capituli Septempedani extant, e quibus seriem Priorum, qui ei praefuerunt, sequentem collegimus.

PRIORES ECCLESIAE S. JOANNIS IN PERTICA BENEDICTINI

Anno 1151. D. Albertus.
1162. D. Acto.
1220. D. Ugolinus Sapionis de Castro Ilciti.
1224. D. Ugolinus de Raino.
1250. De Moricus de Ponte . . . . mulo.
1265. D. Jacobus de Serralta.
1269. D. Manens de Cingulo.
D. Cambius.
1270. D. Johannes D. Bernardi.
1270. Dp. Manens.
1310. Dp. Thomas.
1348. Dp. Marinus Johannoli de S. Severino.
1355. Fr. Johannes Johannutii.
1360. Dompnus Antonius Vienne de Serra S. Abundi Comitatus Eugubii.

[1] Ecclesiam hanc antiquissimam esse vel ex ipso nomine intelligitur. Dicta fuisse videtur *S. Joannis in Pertica*, ut ab alia Ecclesia eidem Sancto dicata, atque *intra urbem* sita, distingueretur. *Pertica* enim juxta Hyginum, et Frontinum (V. script. rei agrariae Damiani a Goes pag. 43.) prisco illo aevo agrum sive territorium significabat coloniis adsignatum: ac proinde Ecclesia *S. Joannis in Pertica* aedem sacram indicat *in agro Coloniae sitam.*

1366. Dp. Antonius Theulutii de S. Severino.
1367. Fr. Antonius.
1384. Fr. Johannes.
1389.—1395. Frater Petrus Corradini de Urbe.
1398. Frater Vannes Nicolae de Serra.

Non multo post hunc Priorem Ecclesiam S. Joannis [1] Benedictinis derelictam fuisse existimamus; Anno certe 1408 Prior ob paupertatem decimas apostolicas persolvere non poterat, ut ex apochis solutionum videre est, quae in Archivo DD. Altaristarum Ecclesiae Cathedralis extant; quamvis in Catastis, sive libris census, Prioratus Ecclesiae S. Joannis in Pertica inter ditiora Dioecesis nostrae beneficia censeatur, cum taxa ejus fuerit 150. librarum; quantum nemo alius praeter Episcopum, et Monasteria habuit. Benedictinis successere Priores Commendatarii. [2]

LXXX. *Apostolos* eodem fere tempore prope desertam a Monachis Ecclesiam sedes fixisse comperimus e supplici libello, quem Apostoli An. 1454., quum ex ea ejecti fuissent a Priore Commendatario, Episcopo Nicolao de Astis porrexerunt. Affirmant enim in eo libello *ante quinquaginta circiter annos* se ad eam Ecclesiam advenisse, aedesque prope illam extruxisse, quas inde ab eo tempore incoluerint. Quae cum vera esse comperisset Episcopus, Fratres, eorumque Patrem spiritualem *Fr. Bartholomaeum de Firmo* ad eam, domosque suas ex commissione Nicolai V P. M. reduci imperavit.

In protocollo Antonii Jannis Notarii Recanatensis reperimus instrumentum conscriptum die 27. Julii 1410., quo *Paulus* quidam *Georgii de Strecignach* de partibus Sclavoniae *coram R. D. Johanne Colae de Mevania Vicario generali ante Altare in Ecclesia S. Johannis in Burgo* declaravit, se velle servire Omnipotenti Deo, et renuntiare mundo et ejus bonis et vanitatibus, *ac sine proprio vivere*. Actum est hoc in Ecclesia *S. Johannis* praesentibus Dompno Petro Mannutii de Fulgineo, *Antonio Johannis*, alias *Patre Antonio* [3] et aliis.

Habes hic chartam, qua nulla antiquior superest, quae Apostolinorum

[1] Ecclesiae S. Joannis in Pertica subjectae fuerunt aliae quoque Ecclesiae Dioecesis Recanatensis, videlicet Ecclesia *S. Blasii, S. Mariae de Fulliano*, sive *S. Mariae de Monteazzano*, *S. Philippi Vallis*, sive *de Monteazzano*, *S. Salvatoris de Vicinato*, ut est in Bulla Lucii III. An. 1184., Ecclesia *S. Salvatoris in foro, S. Crucis etc.*

[2] Valfucinenses saepius quidem lite mota Ecclesiam hanc recuperare tentarunt, ut An. 1435. Nicolaus Abbas, An. 1468. Dionysius Abbas; sed conatus irriti fuere.

[3] Magistro, ut conjicio, Apostolinorum nostratium.

apud nos Instituti meminerit. Vivebant, ut in ea asseritur, sine proprio, quamvis annis sequentibus quaedam possedisse reperiantur. [1]

LXXXI. Vestitus formam, quo induti incedebant Apostoli, exhibet lapis An. 1474. sculptus, quem ex Ecclesia S. Joannis ad Cathedralem Ecclesiam deferri, atque muro atrii, quod est ante Sacrarium Canonicorum inseri jussit Rm̃us D. Septimius Mazzagallius Basilicae Cathedralis Praepositus. Repraesentat hic lapis imaginem B. Bartholomaei veste induti simplici, rugosa, et ampla, ultra genua aliquantulum protensa, nullo cingulo adstricta, cum indumento capitis coni instar fastigiato, sed cujus vertex in humeros decidebat, pedibus nudis, nisi quod sandalis ligneis inniterentur.

In Ordinem, sive Societatem Apostoli coiisse videntur sub Eugenio IV: ante enim id temporis in documentis publicis *Apostoli* tantum dicuntur; post Eugenium *Fratres Ordinis Apostolorum*, v. g. An. 1452. 1470. 1472. etc. Primus Ordinis Magister fuisse videtur idem B. Bartholomaeus noster, qui mense Decembri 1472. in charta quadam Ser Ludovici Ser Andreae Notarii nostratis dicitur *Pater Spiritualis Ordinis Apostolorum*. Habitum Innocentius VIII anno demum 1484. Apostolinis praescripsit *coloris castanei*.[2] Vestiebantur, inquit Morigia in libello de origine Ordinum Religiosorum An. 1586. edito, *tunica coloris castanei, cui superaddebatur ejusdem coloris scapulare cum capuccio similis tincturae, et cingulum coriaceum, ac tempore hiemali etiam palliolum more Capuccinorum gestabant.* [3] Effigiem posterioris hujusce habitus e vita B. Bartholomaei a Modesto Benvenutio descripta in libello de Sanctis, et Beatis Recanatensibus expresserunt Bollandiani ad diem 5. Junii p. 557. verum, ut diximus, alterius formae vestitu, quem superius descripsimus, usus est B. Bartholomaeus et Apostolini antiquiores.

Ordinem probavit Alexander VI die 7. Januarii An. 1496. (Const. 3. incip. Piae vitae) [4] rogatus a *Joanne de Scarpa Vicario Generali Con-*

---

[1] Donati enim a Joanne quodam Venantii Apostolinis fuere fundi quidam, An. 1455; et *B. Fr. Bartholomaeus de Firmo* An. 1459. heres fuit cujusdam Michaelis. alias Damiano, Sclavi. (S.r Jacob. Petrutii). Agellum An. 1452. coemit Fr. Joannes de Firmo; plures alios idem B. Fr. Bartholomaeus.

[2] Equidem Jacobillius paulo altius, quam Morigia, arcessit habitus mutationem, ejusque auctorem fuisse ait Eugenium IV An. 1431.; sed cum sciamus B. Bartholomaeum novo illo habitu ne 30. quidem annis post Eugenium usum fuisse, hinc errasse Jacobillium facile agnosces; confundit auctor iste Apostolinos nostros Picenos cum Apostolinis Ambrosianis, quibus Eugenius IV varia privilegia indulsit.

[3] In quodam inventario confecto Anno 1529. earum rerum, quae fuerant Fr. Joannis Baptistae M. Claudii Prioris Ecclesiae S. Joannis in Pertica Ordinis Apostolorum, recensentur *panni lanae coloris* TANÈ, *uno mantelletto da Apostoli piccolo, una sacchetta d'accattare el pane, uno cappello di feltro bisio, uno de paglia, una patientia de saja* TANÈ, (Ser Joa. Franciscus Tarantelli in Arch. Recan. An. 1529. 9. April.)

[4] Congregatio Apostolinorum dicta etiam fuit *S. Barnabae Apostoli*, forte quod eum Patronum sibi asciverit.

gregationis, *sive societatis Fratrum Apostolorum pauperis vitae* lai-
« corum, qui in nonnullis civitatibus, et locis Italiae in commune vive-
« bant, mendicantes; et habitum religiosorum sibi ab Innocentio VIII
« concessum deferentes. Promittebant post annum probationis obedientiam,
« paupertatem, et castitatem in manibus unius ex dicta Congregatione, ita
« tamen ut unusquisque a Congregatione quandocumque discedere et
« habitu Religionis dimisso lares proprios pro suae voluntatis arbitrio re-
« petere posset. Quod ne deinceps contingeret, providit Pontifex, et Con-
« gregationem, retento tamen primo habitu,propriisque Superioribus, et in-
« stitutis, Ordini S. Augustini, ejusque regulae subjecit, et aggregavit. »

Ex hac Bulla intelligimus *Vicarios Generales* vocari consuevisse eos, qui Ordini praeerant, quique eligebantur a Capitulis generalibus.

In Archivis nostris nomen occurruit *Fr. Hieronymi de Tella* Vicarii totius Societatis Apostolorum An. 1488.

An. 1493. die 21. Sept. electus fuit in Vicarium Generalem Provinciae Marchiae Anconitanae *Fr. Donatus de Mediolano.*

1496. 7. Januarii Fr. Joannes de Scarpa Vic. Gen. Societatis.

1502.—1505. Vicarius Gen. Religionis Apostolorum fuit Fr. Nicolinus Vincentii de Fabriano. [1]

1530. Fr. Donatus Vic. Generalis.
Fr. Petrus de Fabriano Vic. Provinc. Marchiae Anconitanae.

1536. Fr. Gabriel Joan. de Visso Vic. Gen.
Fr. Matthias de Fabriano Vic. Provinc.

1552.—1554. Fr. Franciscus Venantii de Fabriano Vic. Gen. Ordinis Apostolorum

1559. Fr. Marinus Massarius de Urbesalvia Vic. Gen. in Marchia Anconitana.

1565. Fr. Sanctes de Truncis de Macerata Vic. Gen. Ordinis pauperum Apostolorum.

1568.—70. Fr. Stephanus Flaccus de Urbesalvia.

1575.—77. Fr. Obediens de Racanato Vic. Gen.

1580.—1586. Fr. Venantius Angelutius de Urbesalvia.

1598.—1600. Fr. Barnabas Serafinus de Visso Vic. Gen. Ordinis Apostolinorum SS. Barnabae, et Ambrosii.

---

[1] Hujus tempore Apostoli nostri a subjectione Priorum Commendatariorum, penes quos hactenus dominium Ecclesiae S. Joannis fuerat, exemti sunt, translata Commenda in Cathedralem, in qua adhuc existit sub nomine *Beneficii S. Joannis in Pertica*: dederat enim fundos quosdam Communitas Recanatensis Prioribus illis, ut juri suo, quod in Ecclesia habebant, renunciarent.

1603. Fr. Urbanus Crivellus Rector Generalis.
1638. Fr. Alexander Androtius Vic. Gen. Trejensis.

Ceterum ad annum usque 1500. Apostoli, ut e Bulla etiam constat superius adlata Alexandri VI, Laici fuere plerique omnes. Extant pacta ab ipsis 1499. cum Sacerdote quodam Recanatensi inita, ut Missam eis Dominicis, festivisque diebus celebraret, confessiones exciperet, aliaque Sacramenta ministraret.

Primos *ad Missam* ordinatos fuisse refert Morigia Simonem de Morosana, Joannem Scarpa, et Nicolaum Cesteri Genuenses; e quibus Joannes de Scarpa, ut vidimus, Vicarius Generalis Apostolorum fuit Ann. 1496.

Congregatio alia, tum florebat Eremitarum, qui juxta Ecclesiam S. Ambrosii ad nemus prope Mediolanensem urbem habitabant. [1] Eisdem An. 1375. 3. Kal. Decembris Gregorius XI regulam S. Augustini, habitum, scilicet scapulare cum cappa desuper de panno *berrettino*, jus ad sepulturam recipiendi exteros, praedicandi, confessiones excipiendi, superiores eligendi concesserat; et Eugenius IV An. 1441. licentiam dederat Capitula generalia celebrandi, Priorem Generalem, et Visitatores eligendi, bona immobilia possidendi, Congregationisque nomen et formam indulserat. His An. 1589. Apostolinos nostros Sixtus V aggregavit, ut constitutum fuerat in Capitulo generali celebrato coram S. Carolo Borromaeo die 20. Maji An. 1586. Unionem confirmavit Paulus V Constit. 12. incip. *Pastoralis* An. 1606. 20. Januarii.

LXXXII. In aedibus S. Joannis de Pertica, ad quas extruendas commodius An. 1465. Antonius Petri de Fulgineo Canonicus Recanatensis 100. ducatos legaverat, habita sunt Capitula quaedam generalia Ordinis, Ann. nimirum 1493. 1530. 1536. 1554. 1583. [2] et 1638.

Actum est An. 1562. de introducendis in hanc Ecclesiam Carmelitis, migrandumque fuisset Apostolis ad Ecclesiam SS. Crucifixi, vel ad S. Mariae Gratiarum; sed nescio qua de causa tractatus perfici non potuit.

---

[1] Primi hujus loci incolae extitere Alexander Crivellus, Albertus Besotius, et Antonius Petrasancta Anno circiter 1330., ut ostendit in Historia Montis sacri Nicolaus Sormanus Ambrosianae Bibl. Praefectus. Ultra centenos Conventus Congregatio illa dicta *Eremitarum* S. Ambrosii complexa olim fuit. Res ipsorum Clericis Regularibus S. Pauli concessae fuerant, cum suppressa est Congregatio.

[2] Ex actis hujus Capituli habemus Apostolinorum Ordinis Conventus tunc extitisse in Provincia Marchiae Anconitanae *Anconae* ad S. Sebastiani, *Aesii*, *Camerini*, *Tolentini* ad S. Hieronymi, *Maceratae* ad S. Mariae de Nive, *Firmi* ad S. Crucis, *Recanati*, *Fabriani*, et in terris *S. Elpidii*, *Murrivallium* ad S. Mariae Gratiarum, et *Vissi*.

Priores Ecclesiae S. Joannis in Pertica ex Apostolinorum Congregatione post B. Bartholomaeum fuerunt

1525. Fr. Joan. Baptista Magistri Claudii de Recanato, qui obiit Anno 1429.
1530. Fr. Sebastianus.
1532. 14. Julii Fr. Gregorius.
1536. Fr. Petrus Berardini de Fabriano (Sacerdos).
1551. Fr. Philippus de Ancona.
1557.
1561. } Fr. Bartholomaeus Palatinus de Urbesalvia.
1563. Fr. Augustinus de Natis.
1571. Fr. Obediens Angelita de Recanato.
1599. Fr. Angelus Collettinus.
1608. Fr. Hippolitus.
1633. A. R. P. Cardulus Capitostus.

Tandem suppressus est Ordo Apostolorum ab Urbano VIII die 2. Decemb. An. 1643., quam suppressionem 5. Kal. April. 1645. confirmavit Innocentius X. Sic finem habuit Societas illa, quae diffusa tunc erat per Aprutium, Picenum, Umbriam, Liguriam, et Insubriam, ac Romae Ecclesias possidebat S. Clementis, et S. Pancratii. Ecclesia vero S. Joannis in Pertica commendata fuit Francisco Cardinali Maidalchinio, qui cum beneficii instar simplicis possidendam concessit Alexandro Androtio Recanatensi Ordinis Apostolorum olim Vicario Generali, translato quoque in eundem ejusque heredes jure patronatus.

LXXXIII. Explicatis iis, quae de Ordine Apostolorum, et Ecclesia S. Joannis in Pertica dicenda erant, restat, ut ad B. Placitum, cujus potissimum causa a proposita narratione digressi fueramus, nostra redeat oratio. Dolendum sane est, quod interierint monumenta omnia, quae certiora nos de Beati viri gestis, et virtutibus edocere potuissent, sive quod conflagraverint, cum Ecclesia ipsa Saeculo XVI. incendio consumpta est, sive quod suppresso Apostolorum Ordine nemo fuerit, cui curae esset ea servare. Itaque tantum referimus, quae de illo habet Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiae edito An. 1613., quod sua ipsum hausisse credibile sit ex Apostolinis, quorum tunc adhuc florebat Societas: verbis tamen Ferrarii notulas quasdam subjungimus, quibus acta Beati aut elucidare, aut a fabellis a Jacobillio, qui An. 1628. vitam illius edidit more suo exornatam, excogitatis emaculare conabimur. Verba Ferrarii haec sunt:

Die V. Junii de *B. Placito Confessore* Recineti. « Placitus Recineti « in Piceno natus [1] vitae sanctitate floruit, atque ante annos ducentos « circiter [2] migravit e vita. Cujus Corpus in Aede D. Joannis Apostoli « et Evangelistae conditum integrum in hunc usque diem conspicitur, et « miraculis fulget. Cum pedem Ludimagister quidam [3], ut in Patriam suam « deferret, abstulisset, ferunt, illum referre coactum fuisse. Cum etiam Epi- « scopus Recinetensis Corpus praedictum in Ecclesiam Cathedralem tran- « sferendum curasset, illud in propriam Aedem divinitus relatum repertum « esse. Ad ejus tumulum tabella, in qua plura ipsius miracula descripta « leguntur, appensa cernitur. Ex Monumentis Ecclesiae Recinetensis.

« Adnotatio. Etsi Officio Ecclesiastico natalis hujus B. Viri nondum coli- « tur, non mediocrem tamen habet apud Recinetenses venerationem. De « quo in tabula Ecclesiae praedictae haec habentur verba: *in qua conditum « est Corpus B. Placiti Civis nostri*, cujus invocatione divinum a febrici- « tantibus fere numquam frustra imploratur auxilium. [4]

---

[1] Jacobillius Fulginatem fuisse contendit, cujus rei documenta penes se esse affirmat, quae tamen numquam in lucem protulit, neque ubi lateant, indicavit. Nos Ferrario auctori antiquiori, et a studio partium alieno potius fidem habebimus, cui traditio Recanatensium suffragatur, qui *Civem suum* fuisse Placitum in tabella ad sepulcrum ejus appensa, quae Ferrario antiquior fuit, contestati sunt. An. 1641. Alexander Lizonettus annos natus 76., cujus testimonium extat in Archivo PP. Augustinianorum, asseruit a majoribus natu audisse se olim, ex Albericiorum, sive Mencionorum gente Placitum ortum traxisse. His inhaeremus, donec Fulginates certiora proferant.

[2] Idest circa annum 1413., aut non multo post. Apostolini enim non ante Saeculum XV. ad Ecclesiam S. Joannis habitatum concesserunt, ut supra ostendimus. Cum in ea igitur Ecclesia Placitus obierit, ac sepultus fuerit, sequitur non multum aberrasse Ferrarium in assignando anno obitus. Huc accedit, quod B. Placiti discipulus fuisse asseratur B. Bartholomaeus, quem circa An. 1474. obiisse certo certius est. Abhorret igitur a similitudine veri natum fuisse Placitum An. 1338., defunctum vero An. 1398. antea nimirum, quam Apostolini sedes Recanati fixissent, et antea forte, quam Bartholomaeus fuisset natus. Addit Jacobillius, Placitum, quem ipse ubique *Placidum* appellat, Fulginei natum esse *patre Joanne;* ad studium Maceratense transisse, (quod tamen Anno demum 1540. exortum est) aedes sacras prope moenia Recanatensis urbis extruxisse (at illae pluribus jam saeculis extiterant), et quae alia e cerebri sui fertilissima fabularum penu auctor ille protulit, quibus confutandis diutius immorari operae praetium non est.

[3] Brunus ei nomen erat. *Magister Antonius Brunus* de Bisellis electus fuit in scholae nostrae moderatorem An. 1492., ut Annales nostri testantur.

[4] Intercidit haec tabula, illiusque loco Saeculo XVII. inscriptiones tres insulsae admodum substitutae fuerunt, more illius aetatis, cui genuina et simplicia minime, sed calamistrata et fucata maxime placebant. Vide eas apud Calcaneum p. 534.

Tabellae tamen exemplum extat authenticum An. 1626. a Torquato Botano Cancellario Curiae Episcopalis confectum. Ceterum verba a Ferrario adducta leguntur in Calendario Ecclesiae Recanatensis Anni 1614.

De B. Placito scripserunt Joa. Franciscus Angelita in libro, cui titulus: *Delle Origini di Recanati.* Venezia 1601; Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiae. Mediolani 1613., et in Catalogo generali Sanctorum, qui in Romano Martyrologio non sunt, ubi addit in notis: *memoriam ejus die etiam* 5. *Octobris non tamen officio divino recoli;* [1] Ludovicus Jacobillius *nelle vite de' Santi, e Beati di Fuligno* 1628., atque iterum: *nelle vite de' Santi, e Beati dell'Umbria;* [2] Modestus Benvenuti Ordinis S. Silvestri de Sanctis, et Beatis Recanatensibus. Perusiae 1634; Bollandiani ad diem 5. Junii; Vincentius Coronellius, Didacus Calcagnius, ac nuperrime Silvester Albertazzius Silvestrinus in libro — *Notizie della Vita, miracoli, e culto del B. Placito di Recanati* 1783. 8.

Cultus memoriam habemus in Protocollo Joannis Francisci Tarantelli Anni 1529. ad diem 9. April. [3], in actis Visitationis Joa. Baptistae Sinibaldi Episcopi Auximani An. 1542. [4] (in Archiv. Episcop.) in Calendario R̄mi Benzonii An. 1611., et apud Ferrarium, aliosque.

Itaque certis documentis demonstratur veneratio publica Beato Viro exhibita centum annis ante Constitutionem hac de re ab Urbano VIII P. M. An. 1634. editam. Ceterum Senatus noster ceram quotannis offert solemniter in Ecclesia S. Joannis festo Beati die, qui in Oppido etiam Montis Ulmi, et alibi celebratur. Peregrini non pauci olim ad ejus lipsana honoranda concurrebant, hodieque concursus durat. Tabellae votivae appensae parietibus conspiciuntur gratiarum testes, quas ipso deprecante sibi factas illi agnoverunt. Bollandiani in Altaris laterali tabula cum radiis et titulo B. Placitum, et B. Bartholomaeum se anno circiter 1660. vidisse testantur. Corpus B. Placiti recognovit Anno 1637. Amicus Panicius Episcopus. Urnam cum Altari e marmore An. 1633. conficiendam curaverat Senatus, quae stemmatibus Julii Card. Romae, et Amici Panicii Episcoporum, et Reipublicae Recanatensis exornata adhuc cernitur. Placiti meminerunt in Actis Visitationum sacrarum Card.

---

[1] Ita Ferrarius ex ingenio suo Placitum nostrum confundens cum S. Placido, cujus memoriae dies 5. Octobris dicata est. Sane Benzonius Episcopus noster in Calendario Anni 1611. ad diem illam de Placito altum silet.

[2] E variis, ut ipse ait, antiquis manuscriptis, et publicis instrumentis tum in S. Clementis Conventu Romae, tum Recanati, Fulgineque servatis; quae vero Jacobillius ipse Bollandianis apud ipsum hospitantibus Anno 1660. nunquam exhibuit, ipsoque mortuo, et extincto Apostolorum Ordine neque ullibi reperta fuerunt, neque spes est adipiscendi illa.

Ita Hagiographi Antuerpienses in actis SS. Junii die 5.

[3] – *in lo altare del beato placito una lompeda ec. . . . sopre lo ferrata del beato . . . una cassa in lo altare de beato placito sotto el beato ec.* (v. Append. n. CXXI.)

[4] . . . . . *accessit ad Altare, sub quo manet Corpus B. Placiti, quod invenit condecenter ornatum.*

Crescentius, Gherardius, Bussius Episcopi. Reliquias concessit Ecclesiae Fulginatensi Campagnolius. Recognitum denuo fuit Sacrum Corpus An. 1771. 18. Julii a Cyriaco Vecchionio, ac Anno 1777. 26. Maji vestitum a Joanne Hieronymo Leonorio Vicario Generali eo habitu, quem Apostolinis Innocentius VIII praescripserat, cum primum nonnisi panno serico fuisset coopertum.

Anno 1798. impii quidam ex Arca extractum globulis plumbeis e tormentis bellicis, quae sclopos vocant, ejectis petiere venerandum Placiti Corpus: verum dispersas infando scelere reliquias non sine evidenti vitae periculo collegit Rmus D. Septimius Mazzagallius dignissimus Ecclesiae Cathedralis Praepositus. Has legitimo ritu recognovit Rmus Paulins, precibusque suis apud S. D. N. Pium VII effecit, ut confecto ex more processu cultus ab immemoriali tempore B. Placito praestitus a S. Rituum Congregatione agnosceretur, ac potestas fieret tum Missam in illius honorem celebrandi, tum Officium Divinum cum Lectionibus secundi Nocturni propriis die 5. Junii recitandi, tum vero Corpus ipsum solemni ritu ad Ecclesiam S. Joannis referendi. Decretum conditum fuit die 26. Martii 1806., Executioni vero demandatum die 18. Junii ejusdem anni, qua sacrum Corpus, quod prius per triduum in Ecclesia Cathedrali fidelium venerationi expositum fuerat, relatum est cum pompa solemnissima, infinitaque exultantis populi multitudine comitante, in tumulum pristinum. Sic Deus Omnipotens contumelias Beato viro illatas in majorem ejus gloriam convertit.

Discipulos habuisse legitur Placitus Sanctitatis fama illustres, *B. Bartholomaeum*, *Philippum* Firmanum, qui Conventum Ordinis Maceratae fundavit, et *Guardatum*, qui Belforti obiisse creditur die 25. Januarii 1425. juxta Jacobillii erroneam plerumque et fictam chronologiam. Apostolini Firmum a Magistratibus acciti prope Ecclesiam S. Crucis habitarunt, ubi nunc Alumnae sunt a Puero Jesu nomen habentes (*le Convittrici del Bambin Gesù*). Nondum ibi desiit mos die festo S. Barnabae cereum in dicta Ecclesia civitatis nomine offerendi.

LXXXIV. Haec de B. Placito. Nunc de ejus discipulo Bartholomaeo, quamvis diù post obierit, tamen ut quae de Apostolinis dicenda erant unum in locum congeramus, paucis agemus.

Fuit is Firmanus, ut è processu de miraculis post obitum patratis, qui confectus est An. 1480., docuit Calcaneus p. 168., cui adstipulantur non pauca Archivi Recanatensis documenta processu illo vetustiora, quae ipsi vidimus. Patrem habuit *Philipputium Angeli, sive Angelelli.*

An. 1439. Fr. Bartholomaeus heres fuisse legitur Michaelis cujusdam Sclavoni. Anno 1447. multa Apostolis perpetienda fuerunt a Dominico Matheutii, cui Ecclesia S. Joannis commendata fuerat a Pontifice Maximo.

20

Non destitit is furere, donec ab Ecclesia, aedibusque suis boni illi viri discesserunt: [1] sed patronos optimos nacti sunt Apostoli Nicolaum de Astis Episcopum, et Magistratus Recanatenses, qui innocentibus opem tulerunt, ita ut Anno 1454. jussu Episcopi Beatus noster Bartholomaeus legitimo ritu in Ecclesiam, domumque reductus fuerit.

Quae omnium animis insederit opinio de sanctitate et virtutibus Bartholomaei, tum ex ope argui potest, quam Episcopus, et Senatus Populusque ipsi constanter tulerunt, tum vero ex eo maxime, quod a sociis suis coactus est Societati Apostolinorum universae praeesse. Id enim muneris eum gessisse demonstrant chartae scriptae 1452. 13. Sept., et mense Decemb. 1472., in quibus *Fr. Bartholomaeus de Firmo Pater Spiritualis Ordinis Apostolorum* fundos quosdam emisse legitur. (in Protocollo Ser Ludovici Ser Andreae Notarii Recanat.)

Non ita multo post mortalem hanc vitam exuit Bartholomaeus, statimque miraculis clarescere coepit, quae ad ejus sepulcrum operabatur Deus. Lapis extat hodieque muro insertus in Atrio Sacrarii Canonicorum Ecclesiae Cathedralis huc translatus ex Ecclesia S. Joannis. Insculpta ei est imago B. Bartholomaei eo vestitu induti, quem supra descripsimus, atque supplicis in modum submissis genibus, manibusque junctis preces ad Deum fundentis, capite radiis circumdato, ut Sancti pingi solent. Sub imagine sequens legitur Epigramma:

Si quis erat nostro venerandus Apostolus aevo
Post priscos Christi, Bartholomaeus erat.
Magnaque cum faceret miracula corpus humatum,
Indecorem pietas noluit esse *Patrem*.
Pro meritis tumulum *collata pecunia* fecit,
Nuncupet hic populus publica vota pius.
Anno Domini M. CCCC. LXXIIII.

Ad Arcam, sive Urnam faciendam aere collato symbolam quoque suam dedit Senatus Urbis, ut est in Annalibus libris die 28. Januarii An. 1481.

De miraculis vero processum, jubente Francisco de Rubeis de Cassla Cardinalis Hieronymi Bassi Roborei Vicario Generali, accersitis undique, atque auditis testibus, confecit Joannes Franciscus Percivallius Notarius, cujus exemplar extabat olim in Archivo Reipnblicae Recanatensis, quod periisse reor. Aliud possidet R. D. Petrus Pintuccius: processum authenticum penes se esse testatus est circa Annum 1596. Pater Horatius Civallius

[1] Abierunt Lauretum, ubi incoluere per aliquot annos locum S. Joannis in Silva (Annal.)

Maceratensis Ordinis Minorum Conventualium in opusculo *Visita triennale.* V. Antichità Picene T. XXV. p. 99.

Nonnulla ex his miraculis patrata fuere ad sepulcrum B. Viri *ante arcam, et monumentum praefati Beati Bartholomaei*, ut asseritur in dicto processu, quae sane arca eadem fuit ac illa, quam devoti aere collato faciendam, ut diximus, curaverunt, cujusque pars utique fuit lapis ille, cui inscriptum est Epigramma superius adlatum. Atqui neque Urnae, neque Corporis B. Bartholomaei ullum hodie superest vestigium. [1]

XII. GREGORIUS XII. P. M.

QUI ET ANGELUS CARDINALIS CORARIUS

LXXXV. Expulso a Recanatensi urbe Nicolao de Cassia *Gregorius ipse XII. P. M.* Ecclesiae nostrae Pastor et Pontifex esse voluit, misitque statim Marinum de Tocco Episcopum Aprutinum, qui nomine ipsius rebus sacris praeesset. Extant Marini gesta a die 2. Julii 1413. usque ad 4. Julii

---

[1] Adservatur in Ecclesia S. Joannis, ut dictum fuit, Corpus B. Placiti, cujus ante Ann. 1529. in tot instrumentorum millibus, quae in Archivo Recanatensi e superioribus saeculis supersunt, ne nomen quidem legitur: quemadmodum in chartis An. 1500. posterioribus ne semel quidem Bartholomaei mentio recurrit: quibus quidem perpensis subiit mentem, eumdem forte esse *B. Bartholomaeum, et B. Placitum;* et epigramma illud, quod diximus praefixum fuisse altari, sub quo jacet B. Placitus, quo translato in urnam novam An. 1634. remotum fuisse lapidem, ac insertum muro supra limen portae interius, e quo loco sublatus est, ut retulimus, a Reverendissimo Mazzagallio. Enimvero alium miraculis corruscasse in Ecclesia S. Joannis praeter Bartholomaeum apud antiquos nullibi habemus: aliud vero Corpus in ea adservari praeterquam *Placiti* nunquam auditum fuit. Unum igitur Beatum sub duobus nominibus latere existimo, quorum alterum professionis fuerit, alterum baptismi. Nomina enim Apostolini mutabant, cum saeculo valedicebant. Sic B. Silvester de Valdisieve, ut est apud Em. Garampium (de S. Clara Ariminensi).

. . . . . Converso fessi Fraticello
E Frà Vincenzo allor si fu chiamato.

Recentius exemplum dant protocolla Archivi Recanatensis an. 1410., ubi Antonius Joannis, alias *Padre Antonio*; 1439. Michael alias *Damianus* etc.

Vulgus tamen pergebat Apostolos pristino nomine vocare. Sic fieri potuit, ut qui in saeculo Bartholomaeus audierat, in Ordine *Placitus* appellaretur, eoque nomine coli coeperit post obitum, prius vero nomen paulatim in desuetudinem abierit. Vitam Placiti, si eum a Bartholomaeo distinxeris, documento nullo antiquo inniti fabulisque admixtam esse ostendimus. Sic fabula est, quod refert Calcaneus de B. Bartholomaeo, in Ecclesia Cathedrali prope Baptisterium sepulto, qui sane ut Urnam, sic sepulcrum ad S. Joannis nactus est; quod etiam apertis verbis testantur acta processus, quae supra laudavimus.

1415., qua die per Carolum de Malatestis in Concilio Constantiensi Pontificatu se abdicavit Gregorius XII, qui mox ab eodem Concilio Vicarius Sedis Apostolicae in Marchia Anconitana Generalis, ac perpetuus Administrator Recanatensis, et Maceratensis Ecclesiarum renuntiatus fuit. Quibus confectis Recanatum ipse venit, ibique ad obitum usque commoratus est, in gubernanda Ecclesia nostra usus opera Pauli Archiepiscopi Brundusini et Oritani, Judicis in hac Provincia Generalis in causis Ecclesiasticis, et Antonii Bertutii Canonici Recanatensis, de quo superius actum est.

In Appendice damus acta Capituli *Cathedralis Ecclesiae S. Viti* die 7. Martii An. 1416. coram ipso Gregorio congregati, ut Canonicum eligeret in locum collegae nuper defuncti.

LXXXVI. Ab anno 1414. repetenda est origo *Collegii* Sacerdotum majoris Ecclesiae S. Flaviani, quos *Altaristas* vocant. Cum enim eo anno pia quaedam mulier *D. Corradina Suppolini* [1] bona sua Sacerdotibus illis testamento reliquisset eo pacto, ut 48. *Officia* pro ejus anima quotannis celebrarent, vigiliasque pridie pro defunctis cantarent, redditusque dispertirentur inter eos tantum, qui praesentes adfuissent Officiorum celebrationi; quod exemplum deinde Recanatenses non pauci secuti sunt, necesse fuit, ut Altaristae in corpus sive societatem coirent, et Syndicum constituerent, qui fundorum curam haberet, redditus perciperet, ac de eorum distributione rationes conficeret.

Obiit Gregorius XII Recanati 17. Octobr. An. 1417. senio confectus. Sepultus fuit haud procul a porta Ecclesiae Cathedralis orientali in lapideo monumento, cui insculpta sunt insignia ejus gentilitia, ac epitaphium sequens saepius editum:

Maximus Ecclesiae Princeps summusque Monarcha
Ordine Gregorius hissenus clauditur arca.
Hic pro pace datus celesti numine semper
Ferbuit, ethereos superis unire decenter.
At bis schisma malum: facta hec dementia Pisis
Ipse pius relevat: pura est Constantia testis:
Cardine bis sacro pastoris conscia sede
Marchia suscepit, Recanati Flavius ede
Sub Anno Dñi M. CCCC. XVII.

In testamento, quod conscripsere Galeottus Johannis de Tuschis Fanensis, et D. Matthaeus de Strata Forocorneliensis, Gregorius quae sua erant

---

[1] Uxor an socrus D. Cicchi Vannutii de S. Genesio (Test. D. Cicchi 1418. 28. April. confectum exhibet Ser Antonius Jannis Notar. Recanat).

inter familiares distribui, quae Ecclesiae, relinqui mandaverat Ecclesiae. Libros, Bullas, aliaque ad Ecclesiam Romanam spectantia Martinus V auferri jussit, ac Venetias deferri tradenda nobili viro Alexandro *de Boromeis Mercatori Florentino.* Executores testamenti fuerunt Paulus Archiepiscopus Brundusinus et Oritanus, Franciscus Episcopus Chismensis, Franciscus electus Episcopus Mothonensis, et Nicolaus Sub-Prior Montisferrati.

Recanatensi Ecclesiae suppelectilem pretiosam multam, Reliquias, et argentea vasa legasse dicitur, quae diu apud nos diligentissime adservata calamitas gallica pleraque omnia absumpsit. Reliquiarium superest insignibus, ipsius ornatum palmos tres ac dimidium altum, in quo sandalia quaedam sive calceamenta, ut ajunt, S. Francisci custodiuntur. Thuribulum quoque insignibus Gregorii XII. et Cardinalis Galaminii (qui forte id reficiendum curavit) atque imagine S. Flaviani ornatum, et navicula cum cochleari argenteo, quam executores testamenti pro funeralibus Ecclesiae Recanatensi donarunt, uti et pallia duo in Sacrario nostro extabant.

A Gregorio pariter donata fuisse creduntur Crux e lamina argentea confecta, in qua frusta Ligni SS. Crucis, et Spinae sacrae includuntur, licet desint, quae in ceteris ejus donis conspiciuntur, insignia sive stemma gentilitium (Calendar. Recanat. Anni 1611.) E spinis a Gregorio donatis unam (teste Petro Bonjoannio) insigni cum veneratione adservant PP. Conventuales, eamque populo solemniter adorandam proponunt die 14. Sept., quo die memoria celebratur Exaltationis S. Crucis. [1]

Aliud vero frustum Dominicae Crucis extat penes PP. Dominicanos adlatum, ut fertur, a S. Petro Martyre, cultusque ejus solemnis celebratur die 3. Maji.

Cardinalis Julius Roma Episcopus olim noster Cathedralem Ecclesiam instauraturus, et exornaturus, marmoreum Gregorii tumulum ab australi ad septentrionalem Templi partem transferendum curavit; qua occasione cadaver pontificalibus vestitum indumentis integrum adhuc et palpabile repertum contuentium admirationem excivit. [2] Gregorius certe (et neminem dissentientem habemus) vir fuit sanctissimus, cui ne ipsi quidem inimici vitae minus innocenter actae maculam exprobrare unquam ausi fuere. [3]

LXXXVII. Absolutis Gregorii parentalibus sacris die 18. Octob. Capitulum majoris Ecclesiae Recanatensis, scilicet Franciscus Paulutii Praepositus

---

[1] Anno 1452. 27. Augusti Senatus Recanatensis Sodalitia omnia urbis die S. Crucis exaltatae Templum S. Francisci solemni ritu adire jussit Spinam adorandi causa. (Annal.)

[2] Oldoin. in nova addit. ad Ciaconium p. 760.

[3] S. Antonin. 3. p. Chron. tit. 22. cap. 5. etc.

cum septem aliis Canonicis (S. Viti) in Sacristia Ecclesiae S. Flaviani congregati Vicarium elegerunt gubernando, dum Sedes vacaret, Episcopatui Nicolaum Antonii Decretorum Doctorem e gremio Capituli, in Oeconomum vero Ecclesiae Episcopalis D. Nicolaum Raynaldi Canonicum.

Sexta vero Novembris idem S. Viti Capitulum Episcopum sibi dari postulavit pro jure suo D. Marinum Aprutinum Episcopum. Quae postulatio ut omni exceptione major esset, anno sequenti die 2. Maji denuo facta est a Canonicis tum Recanatensibus, tum Maceratensibus, qui ut praescripserat An. 1357. Cardinalis Aegidius Albornoz, Recanati in Ecclesia S. Flaviani Episcopum electuri convenerant.

Redditus Ecclesiae Recanatensis, et S. Mariae de Laureto, dum vacatura esset Cathedra post mortem Angeli Cardinalis Corarii, percipiendos donavit Martinus V Joanni Cardinali S. Sixti Ragusino. Redditus hos e solutione ipsi facta intelligimus fuisse ducatorum 284. et bolon. 27. ac bis mille librarum cerae pro novem illis mensibus, quibus Cathedra vacavit. Idem Martinus V ut Reges et Principes, sic Recanatensem Civitatem literis ad eam datis de exaltatione sua ad Pontificatum summum certiorem fecit; quo facto procul dubio, quanti eam faceret, testificari palam voluit. Datae sunt X. Kal. Decembr. Anno Pontificatus primo.

XIII. MARINUS DE TOCCO

LXXXVIII. Voti tandem compotes facti sunt Recanatenses nostri. Martinus enim V Bulla data Gebennis 2. Non. Julii An. 1418. nulla equidem geminae postulationis ratione habita, (*etenim Episcopi electionem ea vice sibi reservaverat*) precibus tamen Oratorum Recanatensium, quos Constantiam ea de causa miserat Senatus (ut est in Libris annalibus ad diem 15. Decemb. 1427. memoriae traditum) famaque et virtutibus viri permotus Marinum de Tocco Episcopum Aprutinum ad Cathedram nostram transtulit.

Familia is ortus nobili apud Theatinos[1] a teneris annis Ecclesiae servitio se devoverat, quippe qui animo esset celso, negotiisque gerendis admodum apto. Laurea dein utriusque Juris insignitus, Rotae, ut ajunt, Auditor fuit. Episcopus vero creatus est Aprutinus An. 1407.

Gregorio XII P. M. adeo fidum se praebuit atque obsequentem, ut nemo magis. Itaque a latere ejus ne fugientis quidem aut exulantis unquam discessit, cumque is anathemate perculisset Alexandrum V a Pisano Concilio

---

[1] Vide Toppius in Bibl. Neap. p. 208. Nepotes ejus in libris nostris nominantur *Jacobus et Cola Angeli de Tocco* An. 1418. 30. Junii: 1422. Jul. *Matthaeus* — 1424. *Jacobus Dominici de Tocco*; et 1425. *Nob. Vir Cola de Anepis de Tocco*.

nuper electum, Marinus noster sententiam illam in Civitate Austriae (*Civita Nuova nel Friuli*) mense Augusto 1409. solemni ritu populo edixit.

Postquam Recanato discessisset Nicolaus de Cassia, quem Joannes XXIII Urbi nostrae Episcopum praefecerat; neminem quidem in defuncti Angeli Mevaniensis locum deligere constituit Gregorius, sed ipsemet, ut diximus, Ecclesiarum nostrarum curam in se suscepit, Marino usus Vicario. Neque minus faventem sibi expertus est Marinus Martinum V, Gregorii in Pontificatu Successorem. Sub ipsa enim regiminis initia constitutus ab eo fuit Marchiae Anconitanae Thesaurarius literis perquam honorificis ad Recanatenses datis Constantia XI. Kal. Januarii An. 1417., quas refert Calcagnius p. 59. Paulo post, ut diximus, creatus fuit Episcopus Recanatensis, ac die 18. Julii Provinciae Picenae Rector, eidem praefuturus, donec advenisset Antonius de Calanth Episcopus Lausannensis Tit. S. Ceciliae Presbyt. Card., quem Pontifex Legatum Picentibus destinaverat. At vero quum pridie Non. Sept. diem suum Cardinalis obiisset, Marinus successoris (Gabriel Condulmarius is fuit, qui postea Eugenius IV) vices, atque Aerarii Piceni Praefecturam gerere debuit.

LXXXIX. His muneribus ad An. usque 1422. ita functus est, ut suarum Ecclesiarum quoque curam minime negligeret. Studuit inprimis decori Ecclesiae S. Flaviani augendo. Quare cum Franciscus Gualterutii (vir nobilis, qui An. 1386. Volaterranorum Potestas fuerat) Aediculam S. Jacobo de Gallaecia sacram domi suae extrui voluisset, eique tantam bonorum suorum partem testamento reliquisset, quantam Sacerdoti alendo sufficere posse arbitrabatur, convocatis Marinus (die 18. April. 1419.) heredibus Ludovico Petrutii de Bonjoanniis, ac Nicolao, ejusque Nepotibus de Massutiis, cum iis egit, ne res effectui daretur, voluitque in Ecclesia potius Cathedrali Sacerdotium ad ejusdem S. Jacobi honorem institui, ut major esset Presbyterorum ei inservientium numerus; domum quoque cum horto Ecclesiae Cathedrali vicinam ducatis 170. emit, Temploque adjunxit. (Archiv. DD. Altaristar. N.° 69.)

Eodem anno constituit, ut cisterna ingens ante Ecclesiam S. Mariae Lauretanae foderetur, quod opus quadriennio post absolutum fuit.

Confirmavit Martinus V 4. Idus Julii 1419. Nundinas Recanatenses, quas vulgo putant e confluxu peregrinorum ad S. Mariae Lauretanae limina originem habere: verum is error est: etenim e Codice Statutorum, qui An. 1405. confectus fuit, Lib. 4. Rubr. 38. discimus, Nundinas tunc *per totum mensem Augusti* celebrari consuevisse; itaque ortum illas habuisse a Festo Mariae Virginis in Coelum Assumptae, quo *Pallium* in antiquissima Ecclesia Castri Novi offerebatur, veri longe est similius. Etenim in aliis quoque civitatibus nundinas in Festis, quibus Pallia solemni ritu ad Ecclesiam prin-

cipem deferri solebant, habitas plerumque fuisse, innumera docent exempla. Quod vero ad Lauretum adtinet, confluebat quidem infinita hominum multitudo ad Festum Virginis Sanctissimae, idest ad diem 8. Septembris, probantque documenta nostra, An. 1372. jam fuisse prope istam Ecclesiam porticus. in quibus Mercatores die festi merces veno ponebant. In statutis porro An. 1405. lib. 4. cuivis Civi Recanatensi licentia datur nullo soluto vectigali hospites excipiendi, panem, vinum vendendi etc. *in vigilia Festi, die ipso, ac postridie ipsius.* Fides publica liberi commeatus concedebatur ad diem usque 16. Septembris, ut e litteris An. 1399., de quibus supra, luculenter constat; sed haec nihil ad Nundinas Recanatenses *mense Augusto* celebrari solitas. Equidem postea An. cir. 1430. ex Augusto in Septembrem rejectae sunt Nundinae, neque dubium est, quin deinceps celebritas illarum (innotuerunt enim aliquando toti fere orbi) a concursu ad Lauretanam Aedem maxima *incrementa sumpserit*. Ceterum Martinum V Templo Lauretano indulgentias concessisse testis est Julius II, licet Bulla ipsa, qua continebantur, ad nos non pervenerit.

Verum ad ea, quae a Marino Episcopo gesta fuerunt, enarranda redeamus. Exortae sunt mense Julio 1422. ipsum inter et Recanatenses simultates maximae, ita ut plebs furore commota tumultus conciverit vehementissimos, et igne injecto *Hospitali Episcopatus* partem ejus combusserit. Indignationis publicae caussas plures fuisse comperimus. Animadverterat enim Marinus severius in Ser Angelum Joannis de Mevania tunc Notarium Thesaurarii Marchiae, et Scriptorem Apostolicum, qui multis Recanati affinitate et amicitia conjunctus erat; *tertiam legatorum* ad causas pias *partem* sibi vindicabat, non contentus quarta; Camerae etiam jura (cum esset Marchiae Thesaurarius) tueri videbatur justo acrius; Canonicis Recanatensibus Onofrio Petrutii (e familia, quae nunc de *Politis* agnominatur) et Nicolao Raynaldi Viris primariis, nescio quam ob causam excommunicationi, poenam comminatus fuerat, eosque a divinis suspenderat. Igitur Oratores iterum iterumque Romam a Senatu fuerunt missi, qui ad Pontificem querelas deferrent; Nepoti Episcopi denegata est licentia commorandi in Villa Laureti; ejecti e Civitate et agro procuratores ejus et oeconomi; Episcopus ipse in Senatu conviciis proscissus. Draconem, lupum, canem rabidum passim vocabant. Nil omiserant Superiores quod ad mitigandos animos pertineret, hortationibusque urgebant, ut in gratiam cum Episcopo populares nostri redirent. Frustra quidem. Attamen revertitur ille Recanatum die 2. Februarii An. 1423., Senatum adit, a quo repellitur. Admissus tandem adeo graviter ac sapienter apud Priores primum, tum in generali quoque Populi Recanatensis Consilio de iis, quae invidiam ei tantam fecerant, disseruit, ut nemo jam esset, quem odii non poeniteret. Demonstravit enim Episcopus copiose

ac dilucide officii omnino sui fuisse castigare et coercere Ser Angelum illum variorum delictorum reum; ostendit tributa se exigere, quae a Principe fuissent imperata; ceterum, ut ea diminuerentur, utque salis populo copia fieret conditionibus aequissimis, maxima, qua posset, contentione acturum se apud Pontificem fore spopondit. Quod ad canonicam portionem, de qua ei lis erat cum sodalitiis, postulabat Marinus, ut ipsimet judicarent, utrum injusta peteret, multa addens de prolixa egregiaque, qua semper fuerat. erga Recanatenses voluntate.

XC. Sopita igitur discordia, cum Romam reversus esset Marinus, non alio usi sunt deprecatore Cives nostri, ut Oppidani Montis Sancti vetarentur aquas Potentiae fluminis ad partes suas pro molendinis construendis deducere. Decreti eximii honores Vicario Episcopi adventanti. Episcopus vero Ser Angelo, qui turbarum auctor fuisse videtur, 575 ducatos sibi debitos liberaliter condonavit.

Anno 1424. die 5. Septembris jussu Petri Columnae Abbatis Rosacensis et Marchiae Gubernatoris Canonici duo Recanatenses cum Cive uno redditus Ecclesiae Lauretanae sequestrarunt ad petitionem Camerae Apostolicae. Caussam non reperi.

Scripserat An. 1425. Marinus ad Recanatenses litteras quasdam Maceratae datas, in quibus *Maceratensem* se et *Recanatensem* Episcopum vocabat. De qua re, quae injuriosa Recinatibus videbatur, et contraria erat diplomatibus Pontificis, cum graviter cum eo expostulassent Magistratus nostri, postridie ejus diei multa caussatus quod factum fuerat pro infecto habendum esse declaravit. Mox conditiones quasdam scripto obtulit, quibus finem imponi posse arbitrabatur liti illi diuturnae de canonica portione. Verum rejectae illae fuerunt; affirmabant enim Cives nostri de legatis factis pro Ecclesiarum et Locorum Piorum fabricis, quae ducatum unum excederent, Ecclesiam Recanatensem non consuevisse accipere portionem canonicam; Episcopi vero eam omnino sibi deberi asserebant. Itaque acerrime ea de re non sub Marino tantum, sed et sub pluribus aliis Episcopis ejus successoribus litigatum fuit, praesertim cum quarta legatorum parte non contenti tertiam exigerent a Sodalitiis.

XCI. Accidit inter haec (An. 1427.) ut Antonium Casinum Cardinalem Tit. S. Marcelli ingens desiderium incesseret Recanatensi Cathedra potiundi propter insignem, ut arbitror, qua erga Deiparam Lauretanam ferebatur, devotionem. Spalatensem, aut Senensem Ecclesiam Marino pollicebatur, siquidem gratificari sibi vellet de Ecclesia nostra. Quod ubi intellexere Cives, nullum non lapidem moverunt, ut ne Marinus a se removeretur, addito promisso, curaturos se, ut Mercatorum Sodalitium, quod maxime Episcopo adversabatur, de canonica tandem portione litigare cum eo de-

sineret. Urgebat quoque Astorgius Episcopus Anconitanus, ut pacis ineundae aliqua ratio excogitaretur. Itaque Anno 1428. 16. Septembris utraque pars consensit[1], ut arbiter inter eas sederet Jacobus Colutii F. de Veneriis Scriptor Apostolicus Civis noster, cui plurimum omnes deferebant, quique postea creatus est Archiepiscopus Ragusinus.

XCII. Annus 1427. insignis fuit apud nos praedicatione *S. Jacobi de Marchia* viri operibus et sermone potentissimi.[2] Verba is ad Populum

---

[1] Archiv. Confrat. Mercatorum.

[2] V. Vita S. Jacobi auctore Gasparo de Monte Sancto Ord. Min. Observ. edita Asculi An. 1804. Scribit is Recanatum accessisse Jacobum invitatum ab Episcopo, et Magistratibus: advenisse Fraternitates duas Ancona, ut praedicantem audirent, pluribusque diebus hic perstitisse.

Saepius deinceps Recanati moram fecit Sanctus Jacobus. Anno 1450. 14. Junii etiam lex lata est, ne cui praeterquam Fratri Jacobo liceret *in foro* verba ad populum de rebus divinis facere, quae lex triennio post sublata fuit. An. 1453. cisternam in Conventu Ordinis extruendam curavit. Ao. 1457. auctor fuit, ut octo viri sedandis discordiis crearentur. Ao. 1459. eo munere ipse Vir Sanctus strenue perfunctus est; Festos etiam dies, ut sanctius colerent, Recanatensibus persuasit (ex Annal. hujus anni die 27. Martii) scilicet sequentes

Dies Dominicales omnes.
Festum Nativ. D. N. J. C. cum tribus diebus sequentibus.
S. Silvestri.
Circumcisionis Domini.
S. Pascha Epiphaniae.
Quatuor Festa S. V. Mariae.
Diem Veneris Sanctum, in qua fuit Redemptio nostra.
S. Pascha Resurrectionis cum duobus diebus sequentibus.
Festum S. Crucis de Mense Maji.
Ascensionis Domini.
Pentecosten.
Festum Corporis Christi.
Festa XII. Apostolorum.
Festa Evangelistarum, et Doctorum Ecclesiae.
S. Joannis Baptistae.
S. Laurentii.
S. Michaelis de Men. Septembris.
S. Martini.
S. Viti.
S. Flaviani.
Festum Omnium Sanctorum.

Quibus addita fuerunt Anno 1460. mense Augusti (ut in libro Annal.) Festa SS. Sebastiani — Barbarae — Hieronymi — Dominici — Francisci — Antonii — Catharinae — et Luciae.

Anno 1466. statuit Senatus, ut fierent expensae Fratri Jacobo et sociis accedenti ad S. Mariae de Varano quamdiu ibi starent, et honoretur. Anno rursus 1467. conciones ad Populum Recanatensem Vir Sanctus habuit, de quibus plura in actis Senatus illius anni.

fecit in Ecclesia S. Mariae de Platea tanto cum fervore, tamque efficaci eloquentia, ut plurimis postea annis praedicationis illius recordatio perseveraverit, Sanctique Viri deinceps summa, dum vixit, apud nos fuerit auctoritas, cui post obitum successit cultus solemnis, qui adhuc durat, dum Protectorem sibi adscivit Civitas nostra, quem Magistrum virtutum aliquando suspexerat. Extant adhuc summa quaedam Legum capitula [1], quae Vir magnus Senatui nostro exhibuit, ut Statutis adderentur, quibus mores in melius mutatum iri, si auctoritas iis et sanctio Senatus accederet, confidebat.

Ac *primum* poenas voluit constitui severiores in eos, qui maledicta, injuriosaque verba in Deum, et Coelites evomerent.

Coetera Capitula sunt haec:

2.° Apothecae diebus Festis clausae sunto.
3.° Tabulis, taxillis, cartis ne luditor; easque res vendere nefas esto.
4.° Venefici, et praestigiatores e Civitate ejiciantur.
5.° Nefandi criminis rei scopis per urbem caedantur.
6.° Damnentur vanitates mulierum syrmata, crepidae altiores, capilli adscititii etc.
7.° Personae, ac ludi saturnales proscribantur.
8.° Ne cui aditus in Monasteria pateat.
9.° Contractus, et testamenta codicibus tabularii inscribantur.
10.° Judaei signum *O* rubeum gerant, quo a Christianis discernantur.
11.° Prostibulum a locis celebrioribus Urbis ad remotiora et infamia transferatur.
12.° Poena decernatur in Notarios atque Advocatos pro qualibet lite, quam ultra 15. dies protraxerint.
13.° Cives quidam deligantur, quorum officium sit pacem inter dissidentes conciliare.
14.° Mulcta irrogetur Magistratibus. qui aliqua in parte officio defuerint: poenarum pars concedatur Judicibus, qui lucri saltem causa diligentius in reos animadverterent.

Capitula haec, quae ideo retulimus, ut hominum saeculi illius mores atque indoles, et S. Jacobi studium pietatis ac justitiae perspiciantur, mox lege sancita sunt, decimo excepto de signo *O* a Judaeis ferendo. Quod quidem capitulum rejectum fuisse adeo aegre tulit Sanctus Vir, qui ab omni cum infidelibus conversatione abhorrebat, ut discedere statim Recanato pararet, exorandusque fuerit a summae auctoritatis Viris Antonio de

[1] Annales Anni 1427. 6. Junii.

Cannario I. C. illa aetate celeberrimo, Valentino Peregrinio Matelicate Rp. a Secretis, atque a Septemviris ipsis, ut maneret. Die 22. Junii lex perlata est, Judaeos omnino incedere debere cum signo illo, quo internoscerentur. [1]

XCIII. Vergente ad finem anno 1425. cum Theatini Marinum civem suum Antistitem sibi dari enixissime postularent, neque ulla ratione effici posse putaretur, ut a proposito illi desisterent, Legatos Romam miserunt Recanatenses, qui Pontificem exorarent, ne Marinum pateretur a Sede sua divelli, quem summis mactari laudibus, ac plane in oculis ferri omnium testabantur. Sed irritae fuerunt eorum preces. Electum enim a Pontifice jam fuisse novum Recanati Episcopum a Legatis rescivere Benedictum de Guidalottis Perusinum Virum equidem optimum, qui professus statim fuit, se in potestate Reipublicae nostrae futurum, neque de canonica portione plus accepturum, quam quod illa judicasset.

Haec quidem Benedictus in ipsis susceptae dignitatis initiis. Nam paulo post jura sua melius edoctus Vicario mandavit, ut tertiam non quartam legatorum partem Majorum more exigeret a Sodalitiis.

Vicarios habuit Marinus Episcopus.

Anno 1419. D. Joannem Colae Canonicum Recanatensem.

1420.—1423. D. Antonium de Comitibus Decretor. Doctorem, Priorem S. Mariae Pontis Potentiae. [2]

1425. D. Onofrium Petrutii Corradi Canonicum Recanatensem.

1427.—1428. Fratrem Jacobum de Tolentino Ordinis Minor. S. Theologiae Magistrum.

---

[1] Anno 1429. 17. Apr. abrogata fuit ista lex jubente Praefecto Provinciae; obtinuerant enim Hebraei a Pontifice Maximo privilegium, ne ad portandum ejusmodi signum cogi a quoquam possent. At statutum est denuo An. 1439. signo flavi coloris distinctos incedere debere, quod ad nostra usque tempora obtinuit.

Signa Judaeos deferre Innocentius III, Honorius IV, Gregorius IX jusserant, ut ostendit Cl. Cajetanus Marinius de Archiatris Pontif. T. II. p. 74. Recanatenses autem nostri jam anno 1369. instituerant, ut *Judaei portarent signa in caputeis eorum* — Anno 1397. viginti quatuor Hebreorum familias Recanati habitasse invenio, quorum numerus adeo crevit, ut An. 1489. binas jam haberent synagogas, atque ingentem librorum Rabbinicorum numerum. Quorum decies millenos jussu Pauli IV in Urbe nostra combustos fuisse testis est Cardinalis Desiderius Scaglia Dominicanus apud Calcaneum p. 105.

[2] Patrem habuit Antonius *Fuscarellum*, sive *Angelum* cui genus avitum *e Comitibus Matelicae*, Capitaneum insignem ex iis, qui sub Boldrino de Panicali militabant, qui virtutis causa *Castellettam* Fuscarello donavit, arcem sitam in agro Recanatensi regione *Pretaeccaratae*, nunc dirutam. Antonius Filius ab An. 1395. ad 1458. Ecclesiae S. Mariae ad Potentiam praefuit, totique Cruciferorum Ordini ab An. 1448. ad obitum usque. Varia alia gessit munera, inter quae et illud fuit, quod sub Marino Episcopo Provinciae Vicelegato locum ejus tenuit, ac Thesaurarii Generalis officium administravit.

XIV. BENEDICTUS DE GUIDALOTTIS

XCIV. *Benedictus* Alberti filius, Alberti nepos *de Guidalottis* Perusinus, Legum Doctor, et Jurisconsultus celeberrimus, Martini V Summi Pontificis olim Magister, Praepositus Ecclesiae S. Stephani extra Aquilejam, Clericus fuit Camerae Apostolicae inde ab Anno 1421., Locumtenens D. Francisci Archiepiscopi Narbonensis D. Papae Camerarii ab anno 1424. ad annum usque 1429., Episcopus creatus Anno 1427. die 21. Maji Valvensis, et Sulmonensis, ac postea Aprutinus; denique 7. Januarii An. 1429. ad Recanatensem, et Maceratensem Ecclesias a Martino V translatus est.

Verum haud diu supervixit, Ecclesiasque suas adire nunquam potuit, sed iis per Vicarios praefuit, qui fuere

Mense Januarii, *Bartholomaeus D. Onofrii de Bartolinis de Perusio*, et *Franciscus Nicolai de Guidalottis* nepos, Praepositus Ecclesiae S. Mustiolae extra muros Clusinos.

Mense Februarii *D. Isidorus de Mediolano*, Mense Aprilis *D. Thomas de Rocca de venis, Aquilanus Juris Canonici licentiatus.* [1]

XCV. Hujus Episcopi tempore non exigua honoris et cultus incrementa accepit S. Aedes B. V. M. Lauretana, cujus fama jam ubique gentium diffusa erat. Nam ut nihil dicam de Aedicula cum oratorio in silva Laureti prope Musionis alveum a Georgio Nicolai Justinopolitano extructa, quam aediculam Fraticelli postea incoluerunt, majoris momenti est, quod mense Martio accidit. Advenit enim tunc Recanatum nobilis vir Petrus de Pirovano Mediolanensis missus *a Philippo Maria Anglo Duce Mediolani, Papiae, Angleriaeque Comite, ac Januae Domino* [2] exposuitque coram Prioribus populi per D. Petrum de Carbonibus Jurisconsultum Recanatensem, commissum sibi fuisse a Duce pro ea devotione, qua is ferebatur erga gloriosissimam Virginem Mariam de Laureto, atque ad perpetuam sui memoriam, ut exornandam curaret Sacram illam Aedem picturis quam fieri posset pulcherrimis, fundosque coemeret, e quibus alendus esset Sacerdos, sive Sacellanus, qui singulis diebus in Ecclesia Lauretana sacra peragere (*Missam celebrare, et alia divina officia dicere*) deberet: hujus eligendi jus et arbitrium fore penes Praepositum, et Canonicos Recanatenses, ac penes Priores Conventuum S. Dominici, S. Augustini, et

---

[1] Lites huic intercessere cum Conventibus, ut ajunt, Religiosorum mendicantium; prohibuerat enim, ne Parocho invito mortuos in Ecclesias suas ad sepeliendum inferrent, aut in Paraeciis confessiones exciperent. Sed litem diremit Benedicti Episcopi obitus. (Ser Cristoph. Ant. 1429. 26. Julii.)

[2] E Protocollo Ser Jacobi M. Petrutii, et e libris Annalibus An. 1429.

Guardianum S. Francisci: unicam a Duce adjici conditionem, scilicet, ne unquam Episcopis Recanatensibus, qui tunc Lauratanae Ecclesiae Domini erant, agri a se emendi cum possessionibus Ecclesiae uniendi, aut confundendi facultas esset, Ducisque piam voluntatem ea ratione frustrandi.

Laeto gratoque animo hoc accepere Recanatenses. Itaque empti sunt statim fundi pretio ducatorum 417. in regionibus sive contratis *Casaluchiae*, *Vallis Incii*, et *Montis azani*, electusque die 11. Novemb. Dompnus Franciscus Philipponi de Recanato in Sacellanum Beneficii a Philippo Duce in Aede Lauretana constituti. Confirmatus fuit novus Rector *a Johanne de Tricarco Abbate Pistitiensi* qui Ecclesiam Recanatensem eo tempore gubernabat, ea lege, ut ne juris aliquid in oblationes, quae in Ecclesia S. M. de Laureto fiebant, acquireret Dux Mediolanensis; neque ob eam fundationem juspatronatus in Ecclesiam ipsam Lauretanam sibi competere asserere unquam posset. (*Ser Jacob. M. Petrutii*). Porro gratam rem facturi amatoribus antiquitatum rei pictoriae, conditiones in Appendice (N. 66.) exhibemus, in quas Johanni de Cornago Procuratori Ducis cum pictore quodam Anconitano convenit, ut *in Ecclesia Lauretana*, *ejusque pertinentiis* pro pretio 50. ducatorum auri, coloribus exprimeret Adorationem a Magis Christo puerulo exhibitam. Existit adhuc Sacerdotium a Duce Mediolanensi Philippo fundatum, diciturque vulgo Beneficium *Trium Magorum*, et cetera omnia Sacerdotia Lauretana antiquitate antecellit. Enimvero ad annum usque 1429. Sacerdos nullus Ecclesiae Lauretanae addictus erat praeter Episcopi Sacellanum cui Ecclesiae quidem curam gerere incumbebat, absque ulla tamen, quod sciatur, Missae in ea celebrandae obligatione.

Controversia circa annum 1630. exorta est, erectum ne fuerit Beneficium Trium Regum *intra Almam Domum*, sive Aediculam Lauretanam, *an extra eam;* ex hujus enim quaestionis decisione pendebat id quod caput erat controversiae, utrumne Beneficium istud immune esset, necne a tributis Apostolicae Camerae solvendis. Multa hinc inde scripta fuerunt edita, in quibus de varia variis temporibus exterioris Templi Lauretani forma disputabatur; verum diremta, mea quidem sententia, facili negotio fuisset universa illa concertatio, si fundationis chartam inspicere litigatores voluissent, cum in ea aperte dicatur, ea de causa Ducem Sacerdotium illud constituisset, ut esset qui singulis diebus *in ipsa Ecclesia Lauretana*, quo nomine tunc intelligebatur quae nunc *S. Cappella*, sive *Alma Domus* vocatur, Missam celebraret. Cappellania igitur inhaeret *ipsi Altari* Deiparae Lauretanae, licet figura Trium Magorum ornamenti gratia *in pertinentiis* Ecclesiae depicta fuerit. Aliud enim pictura est, aliud Beneficium:

illam in Ecclesia, ejusve pertinentiis, hoc in Ecclesia ipsa esse voluit, ac velle se clare per Oratores suos testatus est pius Fundator. [1]

Dum haec Recanati agerentur, obiit Benedictus Episcopus Perusiae die 9. Augusti, sepultusque est apud Patres Dominicanos apposito sepulturae sequenti epitaphio:

« *Reverendae memoriae* PATRI *D. Benedicto de Guidalottis I. V.*
« *Consulto Recanatensi Episcopo, tandem Martini V Vicecamerario Apo-*
« *stolico, qui cum in Patria decederet novam Sapientiam fecit.* [2] *Vixit*
« *Ann. XXXX. obiit Anno Christi M. CCCCXXIX. die IX. Augusti.*
« *D. Elisabeth soror fecit.* [3]

Epitaphium aliud inscriptum est urnae marmoreae, quae exuvias Benedicti continet, scilicet

Benedicto Guidalotto Perusino
Mart. V. Pont. Max. Vice-Camerario
Recineti Episcopo
Sapientiae novae Fundatori
Helisabeth Guidalotti fratri carissimo
posuit
A. D. M. CCCC. XXIX.

Verum ego epitaphia haec recentiora esse existimo. Abhorrent enim a stylo illius aetatis, atque errores continent, quos coaevus auctor neutiquam admisisset, ut cum *Vicecamerarium Apostolicum Martini V* (qui loquendi modus inusitatus plane est) *tandem* fuisse asserunt, quo munere perfunctus est Benedictus annis aliquot, antequam Recanatensis esset Episcopus, et cum Benedictum obiisse ajunt *aetatis anno* 40., quod contra-

---

[1] Equidem Dux Saecllum ipsum Lauretanum picturis exornari sua impensa jusserat; verum cum parietes intra Aedem imaginibus jam decorati essent undique versum, quas deleri nefas esset, intercessere Magistratus, *ne guastaretur*, ut legitur in libris Annalibus, *Cappella pulcra;* quocirca picturis exornare oportuit faciem murorum exteriorem.

[2] Fundavit Benedictus Perusiae Collegium Hieronymianum, cui *Sapientiae Novae* vulgo nomen est, in quo Collegio alerentur 40. Adolescentes praecipue exteri, interque eos Recanatenses duo, qui Juri Ecclesiastico operam darent. Collegium hoc a Martino V probatum, insignibusque privilegiis a Pontificibus Summis exornatum ad nostra usque tempora floruit. Nicolaus de Astis Episcopus noster An. 1441. 18. Aprilis Senatui auctor fuit, ut mitterentur Perusiam studiorum causa Nicolaus Todeschi de Pifaris, et Joannes Ludovici Cingulani, quorum primus postea electus est Praepositus Ecclesiae S. Mariae Castrinovi. Ceterum de Benedicto Guidalottio consulantur Crispoltus de Perusia Augusta p. 344., Oldoinus, et Cajetanus Marinius de Archiatris Pontificiis T. 2. p. 112. et 127.

[3] Ita Ughellius. Lapis ipse habet Reverendae memoriae *Fratri, Jurisconsulto, XI. id. Augusti.*

rium est auctoribus illis, qui Martini V Praeceptorem eum olim fuisse tradiderunt. Accedit, quod inscriptio utraque litteris Romanis antiquo more efformatis constat, quod quidem non leve est indicium anno eam 1429. insculptam non fuisse.

XCVI. Ut primum nuntius certus Recanatum adlatus est de morte Benedicti Episcopi, coactus est illico Senatus, creatique XVI. Viri, quibus miro ausu concessa fuit facultas Episcopum eligendi, statutumque . . . . *illum, qui ab iis electus esset, fore authenticum perinde ac si suffragia consilii ducentorum tulisset, eumdemque a Canonicis eligi debere, quem Priores, et XVI. Viri designassent.* Verum isti, saeculares quippe viri, et commodis suis privatisque utilitatibus unice intenti postulandum censuere Astorgium Anconae et Humanae Episcopum Marchiae Anconitanae tunc, ut ajunt, Locumtenentem, posthabito Magistro Antonio de Recanato Ordinis S. Augustini (de Columbellis), qui postea Episcopus Senogalliensis fuit. Hanc electionem ut Pontifex ratam haberet, missi fuerunt Oratores Marcutius Jannini de Bonjoanniis, et Antonius *Ser Vannis* Stephani, is ipse, qui distributiones Presbyterorum ad S. Flaviani Sacra facientium aere suo auxit, Beneficiumque in ea Ecclesia *S. Antonii* dictum, aliudque ejusdem tituli in Ecclesia S. Mariae de Laureto erexit (Anno 1437. id. Octobris.)

XCVII. Sed Martinus V precibus Oratorum minime annuit, quin potius Ecclesiam nostram sibimet reservavit, constituto, qui curam illius gereret, Administratore *Joanne de Tricarco* Abbate Monasterii S. Mariae de Pistitio Acerrontinae Dioecesis per Bullam datam Ferentini die 15. Kal. Septemb. An. 1429. Administratoris vero ipsius vices toto, quo praefuit, tempore gessit D. Venantius Cicchi de Teramo Canonicus Recanatensis.

Electo in Summum Pontificem post Martini fata Eugenio IV missi sunt iterum Oratores Romam (An. 1431. men. Martio) petituri Pastorem sibi dari eumdem illum Astorgium Agnesium virum ornatissimum Episcopum Anconitanum, qui Provinciae Thesaurarium, ac deinde Locumtenentem magna cum laude per octo annos gesserat. Sed maluit Pontifex ad Cathedram nostram promovere Joannem Vitellescum Cornetanum Notarium Apostolicum, ac Subdiaconum suum, litteris datis 16. Kal. Maji 1431. Bulla extat in Archivo Recanatensi secretiori.

XV. JOANNES VITELLESCUS

S. R. E. CARDINALIS

XCVIII. Joannis Vitelleschii vitam et res gestas enarrare aggredior, in quo extollendo fortuna, ac deprimendo invidia, dum vixit, certasse videntur. Succubuit is tandem inimicorum potentiae; quo factum est, ut mortuus neminem nactus fuerit, qui famam ejus adversus maledicos tueretur, atque vindicaret. Ego, cum odii et amoris causas juxta procul habeam, ut suscepti operis ratio expostulare videbatur, non leviter fidem habendam existimavi iis, qui de Joanne parum honorifice senserunt, sed inquirendum putavi in acta ejus, e quibus, quis fuerit, judicandum esse aequi rerum aestimatores mecum consentient. Quod cum fecissem qua maxima poteram diligentia, deprehendisse mihi visus sum evidenter, Virum maximum, quem vivum odere quidem infiniti, vix ullus aperte criminari ausus fuerat, impetitum fuisse post obitum calumniis atrocissimis, quas dum Historici proximae aetatis dispellere aut noluere, aut non potuere, accidit, ut qui secuti sunt, alii alios exscribentes tetrioris in dies infamiae maculas Joanni inusserint, qui tamen summis non sui tantum, sed praecedentis quoque et subsequentis saeculi viris juremerito sit accensendus; planeque mihi persuadeo, eumdem si ad Summi Pontificatus apicem, ut sperabatur, evectus fuisset, pares paucos, Ecclesiaeque utiliores, ut tum ferebant tempora, fuisse habiturum; quippe qui finem probabiliter attulisset calamitatibus Italiae. Harum enim origo Tyrannorum ambitio fuit, quorum ipse hostem se capitalem profitebatur, et implacabilem; sed hoc ipsum exitio ei fuit.

Joannes Vitellensis, sive, ut plerique scribunt, Vitellescus Cornuetanus Etruscus nobilissima ortus est familia Fulginati, quae bonis omnibus exuta a Trinciis Fulginei tyrannis patriam sibi exteris in regionibus conquirere coacta fuerat,[1] atque in complures dispertita ramos Cornueti, Romae, Fulginei etc. adhuc floret.

---

[1] Expulit Trincius Ugolini filius An. 1359. Pucciarellum Jacobutii *Vitelleschi*, et Jacobutium ejus filium, qui in ipsum conspiraverant; ex Dono in Histor. Trinciorum, Pellinio, et auctore observ. ad Quadriregium Frezzii.

D. Benincasa de Vitelleschis de Fulgineo anno 1422. Judex fuit Recanati. Nepos Joannis Vitellesci Episcopi nostri An. 1432. die 23. Novemb. in codicibus nostris legitur *D. Bartholomaeus de Columbis de Corneto* constitutus ab avunculo Procurator rerum Episcopatus Recanatensis: nepotes ex fratre fuerunt *Simonettus* et *Angelus*, qui nomen ex bellica virtute sibi quaesierunt. In chartis Matelicanis anni 1473. nomen legitur Eccllmi LL. D. D. *Catarini Angeli Vitelleschi de Vitelleschis de Fulgineo.*

Adolescens literis imbutus est mediocriter, excelluit tamen memoria, judiciique acumine, Jurisque civilis non erat imperitus. Eloquentia autem valuit quammaxime. Nec deerant gravitas morum, et vultus. Ceterum, Jovio teste, natura fuit adversus laborem, et somnum indomitus, periculorum despector, imperii et militaris laudis avidus, severus ubi res postulabat, praesertim adversus principes viros, a quibus timeri, a militibus vero et plebe amari maluit. Juvenis admodum belli artes ab Angelo de Lavello, quem Tartaliam vocant, cujus ab epistolis et secretis aliquandiu fuit, egregie didicit: fuit enim ille inter duces eo tempore longe celeberrimus; sed postquam Sfortia jubente An. 1422. Tartalea, quod deficere ad inimicos velle diceretur, capite plexus est, discessit Joannes Romam, ubi Pontificis Martini amorem benevolentiamque mox ubi nosci ab eo potuit, sibi conciliavit. Creatus itaque a Martino fuit Protonotarius; sed majori apud Eugenium IV gratia floruit, qui altero Pontificatus sui mense (16. April. 1431.) Recanatensi cum infula decoravit[1], exercitibusque praefecit. Extinctum fuerat schisma per Martinum; sed remanserant ejusdem veluti reliquiae, licentia, inquam, eorum qui Ecclesiis praeerant, universique Ordinis Ecclesiastici, quam schisma foverat, quique, ne in ordinem redigerentur, omni ope Romani Pontificis potestatem arctiores intra limites cogere annitebantur, tum vero Tyrannorum multitudo ac insolentia, qui civitatibus fere omnibus Ditionis Ecclesiasticae incubantes Romanae Sedi vix umbram et nudum potestatis supremae nomen reliquerant. Factiones has omnes comprimere, et Petri Cathedram pristino splendori atque auctoritati restituere ingenti ausu constituit Eugenius, atque Ecclesiasticis quidem viris, qui in seditionis arcem ac munimen converterant Concilium, quod Basileam decessor ejus Martinus convocaverat, invicti in primis animi robur opposuit, Tyrannis autem Vitellescum, qui hereditario atque implacabili adversus eos odio ferebatur. Coeptumque est a Columnensibus Martini V. nepotibus, qui thesaurum Ecclesiae expilaverant, arcesque et oppida non pauca sub dominatu, Eugenio refragante, retinebant. Hos Romam cum magna militum vi ingressos Populus Romanus cum paucis praesidiariis, cumque iis, qui Romam eo die advenerant, *sub Tartalia militare consuetis*, ut ait Blondus, die 23 Aprilis praelio fudit, expulitque. Recepta mox Pallianum, Frascatum sive Tusculum, aliaque Columnensium oppida. Eodem tempore ejectus a Cingulanis Ludovicus Columna, et pulsi ab Astorgio Agnesio Picentium Praefecto e Pisaurensi urbe Malatestae. Mense dein Augusto Vitellescus adversus Jacobum Caldoram missus est,

[1] Reg. Picen. p. 318. et in Archiv. Recanaten.

qui ad Columnenses defecerat, illumque eo adegit, ut pacem peteret. quae paucos post dies composita est. [1] Mox Jacobum de Vico Urbis Praefectum, qui a Columnensibus steterat, adortus, Vetrallam aliaque nonnulla Oppida expugnavit; deinde Centumcellas obsidione cinxit, ac post tredecim dies ad deditionem coegit.

Quo facto postquam Romanas etiam res composuisset, ab Eugenio jussus est Marchiam Anconitanam summo cum imperio gubernare; ejus autem muneris amplissima tunc erat cum jurisdictio, quae a Truento fluvio Ariminum usque porrigebatur, tum auctoritas. Litterae Pontificis, quibus Gubernatoris officium ad Joannem deferebatur. datae sunt die 17 Martii An. 1432. earumque exemplum in Archivo Cingulano inspeximus.

XCIX. Advolat igitur in Provinciam Joannes, copiisque undique coactis eodem mense Senogalliam occupat, munitisque praesidio Ancona, Firmo etc. Forum Sempronii petiit, idque longa obsidione pressit. In Appendice referemus diploma datum a Joanne die 22. Junii in Castro *Reforziati*, quo *Montaltum* dioecesis Forosemproniensis Castellum in fidem recipiens quamplura ei concedit privilegia: *ut clementissimum Patrem Summum Pontificem intelligerent incolae non tantum vincere, et victis parcere, sed erga subjectos ultroneum benefactorem esse* (Append. N. LXVIII). Pari humanitate usus erga ceteros, qui sponte jussa faciebant, brevi Senogalliensium, et Pisaurensium oppidis omnibus potitus est. Subsidio inter haec Malatestis Pisaurensibus advenit Franciscus Piccininus missus a Philippo Mediolanensium Duce, qui e re sua existimabat, et Basiliensium Patrum, et Tyrannorum Ditionis Pontificiae adversus Eugenium tueri partes. Defecerat eodem tempore a Pontifice Sancius Carillus equitum Magister suasu patruelis Cardinalis Hispani, qui a Basiliensibus stabat, parumque abfuit, quin Pisaurum rursus ex improviso ab istis caperetur. Verum consilia hostium antevertit Vitelleschii celeritas. Is enim *rapido sine copiis praetervolans cursu Pisaurenses sola praesentia in fide retinuit.* (Blondus decade 3. l. 5.) Sancium vero paulo post Sigismundus Malatesta Miles Pontificis stipendiarius commisso praelio copiis omnibus exuit. Conduxit deinde Vitellescus Piccininum ipsum, qui apud inimicos militabat, Josiam Aquavivensem, aliosque copiarum Duces, eorumque ope Provinciam ab hostibus tutam servavit. Rebus ita compositis, Firma-

---

[1] Paulo ante Kalendas Septembris, teste Eugenio ipsomet Pontifice apud Raynaldum ad h. ann. n.° 13. Alii referunt 22. Septembris pacem Columnensibus fuisse concessam.

nisque etiam, qui rebus novis studebant coercitis, ac pace Malatestis impetrata, jam tandem Ecclesias suas invisere potuit. [1]

C. Ac primum quidem animum adjecit ad reparandas aedes Episcopales, quae aliquot ante annis incendium passae fuerant, atque ad restaurandam Ecclesiam S. Mariae de Laureto, domosque ei adnexas. Ruinae tunc proximae erant Ecclesiae S. Nicolai, et S. Eliae, quarum census paucos ante annos amplissimus fuerat, mensaeque Episcopalis redditus aequabat; tunc vero bona, quae supererant, a Franciscanis administrabantur, qui muros etiam alterutrius Monasterii diruere, et saxa sive rudera vendere conabantur: sed intercessit Episcopus cum Senatu, et cum utrique Ecclesiae sufficientes adhuc redditus adessent, utramque restaurandam esse jussit. Ceterum ad conferendos ordines Asculanum Episcopum accersit; pro canonica portione tertiam legatorum partem a Sodalitiis sibi persolvi imperat, poenisque Ecclesiasticis eos, qui parere abnuebant, jussa facere coegit, quod nemo ante eum Episcopus perficere potuerat. Tantum interest agnus ne rerum potiatur, an leo. Curiam generalem Provinciae Picenae, ut rem gratam Recanatensibus faceret, versus anni finem Recanati deinceps moram facere, et jus provincialibus dicere jussit.

CI. Annuente Joanne circa id temporis institutum fuit Monasterium *Sanctimonialium Tertii Ordinis S. Francisci* a Matrona ut divite ac nobili, ita pia, ac vel ipso senio venerabili, a *Blancina*, inquam, e Comitibus Castri Virginei, quod in agro Sangenesino est, *uxore olim Petri Vannis de Leopardis*, quae D. Antoniae Miniati Rugerii de Senis Abbatissae novi illius Monasterii quae Anconam postea abiit fundatoque ibi tertii Ordinis Monasterio et relicta sanctitatis fama obiit, domum hortosque in regione S. Viti, et fundos *ad Carciolas* donavit [2].

Perseveravit pium hoc institutum annis compluribus. Anno enim 1460., ut e Cristophori Antonii protocollis intelligimus, imo 1496. 26. Augusti (Ser Marinus Sanctis in Test.) adhuc durabat.

Anno autem 1486. Sanctimoniales Tertii Ordinis, ut Monasterium *ad S. Stephani* aedificare sibi liceret, supplices petiere, quod aere publico anno demum 1502. perfectum est, ita ut An. 1535. Sanctimoniales octo habitatum illuc concedere potuerint. Monasterium itaque *S. Stephani*, quod nunc pietate et vita ad normam severiorum legum exacta prae aliis quamplurimis floret, origines antiquiores a *Leopardiae Gentis* munificentia re-

---

[1] Celebravit Vitellescus Recanati Parlamentum Provinciae generale mense Decembri 1432., ibique commoratus est mense Aprili, et Majo anni sequentis.

[2] 6. April. 1433. (Ser Jacob. M. Petrutii f. 137).

petit, cui Recanatensis Civitas plurima sane alia debere se profitetur ad publicam utilitatem praeclare instituta.

Dum ita, ut diximus, in pietatis, ac pacis opera intentus esset Vitellescus, sors ei obtigit in agro Fanensi cum ageret, familiariter cum B. Galeotto Roberto Malatestio conversandi, notantque historici (Amianus T. I. Hist. Fanensis etc.), ne momento quidem per triduum illud, quo una fuere (15. 16. et 17. Maji Anni 1433.) carere ipsum potuisse adspectu et colloquio Galeotti, captum pietate ejus, ac modestia. Quod sane testimonio est, Episcopum hunc nostrum pietatis vel inter arma cultorem fuisse, atque admiratorem.

CII. Non diù cessatum fuit a bellis: mense enim Julio (1433.) Fortebraccius, ad arma revocatis etiam Columnensibus, repentino incursu direpto Sutrio Romanis tantum terrorem incussit, ut relicto Vaticano, Hadrianique Mole Pontifex ad S. Laurentii in Damaso aedem perfugeret, Hostes interim Monteflascone, sive Phiscone, Tibure, Sublacensi regione; eoque tractu, qui Praefecto Urbis subditus erat, potirentur.

Accurrit statim Vitellescus; coercito Fortebraccio, Pontificem reducit in Vaticanum. Edoctus deinde conspirasse inter se Tyrannos, ac decrevisse dispertiri inter se Ecclesiae Romanae Provincias, scelesta ausa mox antequam in flammas scintilla prodiret, opprimere constituit. Quare Septempedae cum esset (mense Julio die 29.) accersivit ad se Varanios Camertium Tyrannos, et Pergentilem, qui solus venire ausus fuerat, comprehensum, et in vincula conjectum Curiae generali, quae tunc Recanati agebat, tradidit. Haec vero hominem multorum criminum reum, in primis vero convictum conjurationis in Principem, et monetae depravatae, mense Septembris (die 19, ut habet Chronicon Firman. ineditum) capite truncari jussit. Sensere statim Tyranni ceteri periculum ad omnes pertinere, ac dimicandum sibi esse, aut pereundum. Uno igitur tempore arma omnes corripiunt. Sigismundus Malatesta Pisaurum occupat (24. Sept.) Mox rescitum est Assisii urbem et arcem a Fortebraccio captam. Piccininus desertis signis Pontificiis Perusiam versus abierat.

CIII. Sed tempestas longe major Mediolano erupit. Franciscus Sfortia Fortebraccii avunculus simulans adversus Caldoram se proficisci, qui Castella ipsius, quae in Apulia habebat, infestaret, cum mille et quingentis equitibus Piceno appropinquabat. Scripserat is Pontifici, transitumque per Provincias Ecclesiae sibi concedi petierat, innocuum fore pollicitus, tegens odia simulatione amicitiae. Sed non latuere Vitellescum artes; quippe cui notissima erat hominis perfidia. Itaque Picentes oratione ad eos in Parlamento ineunte Decembri Recanatum convocato perculsos erigit, atque ad constantiam hortatur, monitos tamen. ut in armis essent; Josiam Aqua-

vivae Ducem cum exercitu Aesium praemittit; ipse majora parat. Interim Sfortius Fanum advenit, ibique intellecto Firmanos a Pontifice descivisse, abjecta simulatione mentem explicat, novoque astu Picentibus scribit, se Basiliensis Concilii jussu adventare, atque Eugenium bello petere, a Patribus de Cathedra Petri dejiciendum, quod subditos duriori jugo premeret. Litteras calumniarum, et mendaciorum plenas lege apud Compagnonium Reg. Picen. p. 325. [1] Ad hasce fraudes accedebat terror nominis, qui omnes invaserat, et avidi novarum rerum apud multos animi.

Itaque accurrere certatim omnes ad Sfortium, deprecari etiam, ut venire festinaret. Arripit fugam Josias. Sfortius vero mediam in Provinciam de repente progressus ad Oppidum Montis Ulmi castra metatur, idque, ut metum augeret, militibus diripiendum concessit. Mox in potestate Firmum habuit et Maceratam, ceterosque omnes. Nec enim erat qui resistere auderet viro crudeli et bellicoso; et imparatos offenderat. Adventare etiam dicebantur Talianus et Antonellus cum reliquo Sfortiae exercitu.

CIV. Inter omnes Ditionis Pontificiae civitates fidelitatis fama facile tunc excellebat Recanatum, quae centum et amplius annos nunquam a Principe defecerat infinitaque exempla amoris, et constantiae ediderat. Itaque Vitellescus munitiores arces omnes Civibus Recanatensibus custodiendas commiserat. Nicolaus Marini de Benedictis, et Gaspar Jacobi filius de Confaloneriis *Firmanam* arcem tenebant, *Narniam* Jacobus Melli (Condulmarius postea dictus), *Roccam Contradam* Antonius Jacobi filius Mencionius etc. His confisus opinabatur sustineri posse primum impetum eousque donec collecto firmiori exercitu hosti obviam ire ipse potuisset. Firmum igitur cogitarat se recipere, cum arcem haberet, quamvis civitas in Sfortiae imperium concessisset. Mutato deinde consilio Recanati substitit. Auditis vero quae acciderant, Recanatenses Legatos ad Sfortiam mittunt de deditione acturos. Episcopum ille sibi tradi postulat. Quod facinus dum Recanatenses negant se admissuros (Blondus decad. 3. l. 5.), Lauretum abit Vitellescus, atque asportatis, quas ibi repererat, rebus pretiosioribus itinere maritimo Venetias primum, inde Florentiam, Romamque petiit. Tum demum Recinates, et Auximani imperata Sfortiae facturos se esse polliciti sunt die 29. Decembris 1433. Haec auctorem secuti Simonettam Sfortiados lib. 3. narravimus. Paulus Jovius Vitellesco nostro crimini vertit, quod Francisco Sfortiae (verba ipsius Jovii adfero) necdum viribus aut incolarum studiis praevalido repente petita mari fuga, simulatoque salutis suae periculo Pi-

[1] Sigismundus ipse Imperator Italos omnes litteris ad eos datis docuit, mendacia esse, quae Sfortius de Concilio Basiliensi in vulgus sparserat. Conf. quae Blondus narrat Decadis tertiae libro quinto.

cenum agrum concessisset. Atqui e chartis authenticis perspeximus in Sfortiae potestatem venisse die 8. Decemb. Aesium, die 12. Montem Ulmi, die 15. Maceratam, die 18. Firmum etc. antequam Vitelleseus fugam arripuisset. Jovius ergo falsum ei crimen impegisse convincitur. Jam vero postquam in fidem Sfortiae venit Recanatum, denuntiasse ipsum, scribit Simonetta, civibus Recanatensibus, qui arcibus praefecti erant, morte adfecturum se uxores, liberosque, et consanguineos ipsorum, nisi se dederent; sic metu perculsos, invitis etiam oppidis, quorum arces tenebant, deditionem fecisse: hac ratione Firmanam, et Asculanam arces occupasse Sfortium. At vero arx Firmana, ut e Chronico Antonii Nicolai discimus, 30. *demum Decemb.*, Rocca Contrada 8. *Januarii*, idest postremae omnium Sfortiae mandata fecere [1].

In Umbria vero cum Sfortiani omnia occupassent, Nuceriam, Tudertum, Interamniam, Ameriam, Ocriculos, Viterbium, Cornuetum etc. Narnia tamen et Spoletum impetus eorum fregère, quarum alteri praeerat Jacobus Melli Civis Recanatensis. Hujus igitur invicta virtute servata est Romae, ac Pontificum Romanorum dominatio, quam victor Sfortia eversum ibat. Viget adhuc Recanati Jacobi illius nobilissima stirps, cui Eugenius IV propriae Familiae nomen et insignia in perpetuum grati animi monumentum tribuit Condulmarii, inquam, nostri, quorum vel nomen Simonettae, Blondi, et aliorum, qui Recanatenses calumniantur, ora obstruit, obstruetque semper [2].

CV. Haec anno 1433. in finem vergente peracta. Ne longiores simus, inducias Eugenius IV anno insequente cum Fortebraccio, et Columnensibus pepigit, pacemque cum Sfortia. Quae cum displicuisset Philippo Mediolanensium Duci, recruduit bellum indictum Sfortiae a Piccinino, et Fortebraccio. Nutabant Romani, ac videbatur sibi Pontifex in magno periculo constitutus. Itaque Vitellescum Florentiam, et Blondum Venetias ablegavit pro pecuniis, et navi (Apost. Zenus in vita Blondi). Die 29. Maji 1434. Romani Capitolium invasere. Eugenius die 7 Junii fuga sibi consuluit, na-

---

[1] Manifesta igitur est Blondi calumnia, qui nullos Picentium majori erga Pontificem et Ecclesiam usos fuisse perfidia scribit, quam Recanatenses, qui Cives suos Firmanae arcis custodes illam Sfortiae praeter spem dare coegerint, miserintque per Provinciam oratores, qui *populos suo exemplo ad perfidiam concitarent.*

[2] Bonfinius in laudatione funebri Card. Venerii habita An. 1479. haec de Jacobo habet . . . . . . *Sororem* (Cardinalis Venerii) *Jacobus Emilius de Mellis* (postea Condulmarius) *cepit uxorem, vir equestris ordinis, qui sibi et Luciano fratri in Narniensi arce, cui Eugenio P. M. praesidebat Senecam Camertem Magistrum adhibuit, qui poetica oratoriaque arte juvenes erudiret. Pontifex Jacobum equitem, quia arcem cum urbe in Sedis Apostolicae obsequio conservaverat, et a Francisci Sfortiae insidiis, qui cetera occupaverat, mira calliditate liberarat, ob rem optime gestam in suae familiae nomen ascivit.*

venique a Vitellesco submissam ingressus die 23. Florentiam pervenit, ubi auctoritate sua Joannes noster obtinuit, ut Cosmo Medicco, qui apud Venetos exulabat, in patriam revertendi potestas fieret. Decretum hac de re factum est die 25. Sept. Mense Octobris proximo (die 28.) Vitellescus, teste Odorico Rainaldo, Romam recuperavit, acceptis a Sfortia militibus, cui Tuderti agenti ducatorum sex millia adtulerat. Carnificinam eum in Campo Florae tunc exercuisse, horrentibus trementibusque Romanis ejus viri aspectum, ait Jovius, rhetor potius dicendus, quam historicus. Enimvero Vitellescus Laurentium Columnam, qui seditionis auctor et princeps fuerat, perhumaniter tractavit, et in concordiam cum Eugenio reduxit, ut tradit Paulus Laelius Petronus apud Muratorium (Script. rer. Italic. T. 24 — col. 4. B.) Imo, teste Blondo, *plena* praeter spem , ac multorum opinionem Romano populo est concessa *delictorum venia.*

CVI. Die 21. Februarii An. 1435. Eugenius Joannem nostrum Patriarcham creavit Alexandrinum, eique Ecclesias Recanatensem et Maceratensem, quarum Episcopus fuerat, gubernandas commisit, quamvis ad aliam Ecclesiam fuisset translatus; (Bulla extat in Archiv. Recanat.) statimque, teste Rainaldio,[1] Legatus cum summa potestate in Regnum Neapolitanum destinatus est, ad componendas ibi res post obitum Reginae Joannae mire perturbatas.

Jamque copias paraverat Neapolim versus profecturus, cum missus est adversus Bononienses [2] praefectusque Romandiolae.

Sed victus a Piccinino necesse habuit Provinciam relinquere, quam dux felicior, Franciscus inquam Sfortia Eugenii nunc miles mense Septembris Pontifici subegit. Episcopus interim noster cum Leone Sfortia Francisci fratre in Ducatu Spoletino Fortebraccio resistebat, diviso exercitu, sed fortuna dispari. Leo enim prodente Conrado Trincio captus est a Fortebraccio, quem vero Camerino imminentem die 22. Augusti Alexander Sfortia internecione delevit. Vitellescus Forum Cassii (Vetrallam) diu obsidione cinctum ad deditionem coegit, ac Jacobum Vicum loci dominum, ac belli incentorem, quem una cum filiis cives Vetrallenses ei tradiderant, ipse judicibus subjecit, quorum sententia capitali supplicio adfecti sunt die 30. Augusti.

Quantam invidiam ob necem Jacobo Vico illatam subierit Vitellescus, dici vix potest, quamvis eam declinare studuerit obtentu justitiae, quam ille in se armaverat. majestatis toties laesae, ac multiplicis rebellionis reus.

---

[1] 1435. N. 12. ubi et Bulla ipsa refertur.
[2] Mense Julio, Ambrosio Camald. teste.

Ambrosius Camaldulensis, qui tamen amicissimum se olim fuisse profitetur Vitellesci, commotus declamationibus Patrum Basiliensium, qui tum Eugenii acta omnia in deteriorem partem interpretabantur, amicosque ejus vel maxime insectabantur, severius de eo judicat, ac Neronem, et homicidam teterrimum appellatum fuisse passim testatur. Factiosorum enim, et imperitorum mos est, ut severitatem, et justitiam veluti tyrannidem execrentur. Quam sancte, prudenter, et juste Vitellescus noster egerit, vel illud argumento esse potest, quod nemo Viterbii, quoad ipse vixit, pro Domino se gerere ausus est; post obitum vero ejus statim Princivallis Gaddius principatum urbis invaserit, retinueritque ad annum usque 1454. (Bussius).

CVII. Pro rebus itaque tam egregie gestis Eugenius Joannem An. 1435. die 12. Octob. Archiepiscopum Florentinum designavit, eique in Recanatensi Cathedra successorem dedit die 14. Thomam Episcopum Traguriensem. (Bulla in Archiv. Eccl. Cathedr. Recanatensis). Ceterum Joannes discedere a Sponsa sua Recanatensi noluit, quin munificentiae ac amoris sui monimentum et pignus ei relinqueret. Itaque argentea donaria B. Mariae Lauretanae ipsius tempore oblata Vicario Generali Venantio Cicchi tradi jussit, ut ex iis tabernaculum conficeretur adservando *Capiti S. Virginis Margaritae*, quod in Sacrario Ecclesiae Cathedralis custodiebatur[1] (E protocollo Ser Thomae Ser Gabrielis Percivalli An. 1439. 11. Octobris).

CVIII. Quae deinceps Vitellescus gessit, etsi ad nostrae Ecclesiae historiam nil pertinere videantur, quod tamen ad ejus viri famam, qui Episcopus noster fuit, tuendam faciant, paucis ea perstringere officii mei existimavi. Eugenius mense Decembri An. 1435. usus est Vitelleschii opera ad expugnandum Burgum S. Sepulcri, quod oppidum post quadraginta dies quam castra admovisset deditionem fecit. Hic quoque Vitellescus severitatis exemplum dedit, dum Armaleum Asculanum egregii nominis Centurionem eo quod ad hostes transitum parasset in Etrusco bello, suspendio necari jussit, levi conjectura ductus, si Jovium audiamus; sed nos Armalei consilia Vitellesco summo copiarum Praefecto, quam Jovio notiora fuisse existimabimus.

Campaniam deinde Romanam recuperare, et Neapolitani regni turbas An. 1436. componere jussus est. Pacavit ergo Joannes Reatinos tumul-

[1] S. Virg. et Martyris Margaritae reliquias e civitate Praenestina, quam An. 1437. excidit, in patriam transtulit Vitellescus cum S. Agapiti corpore, aliisque plurimis Sanctorum exuviis. Servantur adhucdum Corneti ossa aliquot S. Margaritae, quae Titularis est Ecclesiae Cathedralis Cornetanae; integrum vero Corpus, et capitis partem habet civitas Montefiasconensis. Alteram capitis partem a Vitelleschio in perpetuum amoris sui tesseram Ecclesiae nostrae donatam fuisse conjectare fas est.

tuantes; Oppida Romae finitima recepit; Centumcellis praesidium imposuit. Setia occupata quum praelio Pipernati victor discessisset (die 5. Maji. Murat. in Annal.) Antonium de Pontadera Pisanum civitatis illius tyrannum, virum ceteroquin militia et litteris clarum, quem pugnantem ceperat sententia judicum capitis damnatum ad oleam suspendit. (Jovius) Hunc is crudelitate, cui miserabiliter erat deditus, inquit Blondus Flavius, dignissimum habuit vitae exitum. Cum Praenestini Poncelletto cuidam, qui olim Romae excitato tumultu Pontificem ad fugam compulerat, jubente Laurentio Columna apud se asylum ac refugium, adversus Principem praebuissent, Vitellescus subacto mox Castronovo Praeneste ipsum die 2. Junii adortus est, post obsidionem diuturnam (18. Augusti) conditiones accipere coegit, easque aequissimas. Poncellettus ejus jussu suspensus in furcam interiit.

Romam itaque triumphantis in morem ingressus est, (die 29. Augusti Murat. Ciaconius etc.) ubi statua ipsi (die 12. Sept.) in foro decreta fuit cum epigraphe honorificentissima—*Joanni Vitellesco Patriarchae Alexandrino tertio a Romulo Urbis Parenti* — Donati ei publice 1200. floreni in scypho aureo: Cornuetani universi inter Cives Romanos, quod ita meritus fuisset civis eorum Joannes, adscripti[1].

Ille vero, pulsis mox Amatrice hostibus, Theatinam civitatem, Aquilam, Arpinum, S. Germani oppidum cepit, Regnumque universum subjecturus videbatur, nisi a pecuniarum, et commeatuum inopia laborasset. Quibus rebus factum est, ut ducto in hiberna milite Romam ipse reverteretur die 17. Decembris.

CIX. Anno insequenti cum Praenestinos nova moliri comperisset, civitatem eorum die 20. Martii omnino delevit, quam luctuosam scenam historici civitatis illius Ceceonius, et Petrinius luculenter satis descripserunt, ac deplorarunt. Crudelitatem nemo est qui non abominetur; at Sixtum V. depraedicant omnes, qui latrones et sicarios e medio sustulit, quorum licentia superiorum Pontificum temporibus ita excreverat, ut tolerari amplius nequiret. Equidem Vitellesco eamdem ego mentem fuisse existimo, quae Sixto fuit, ut salutari severitate pacem et quietem Italiae restitueret. Verum longe major fuit necessitas capitalibus poenis in reos saeviendi Vitellesci aevo, quam Sixti, praedonum longe numerosior multitudo, quam ita demum coerceri posse credidit, si duces eorum aut in ordinem redegisset, aut justo reos supplicio affecisset.

Excisa Praeneste Neapolitanum regnum ingressus est, Aversam cepit et Montem Sarchium, Principemque Tarentinum praelio vicit, sed captum mox liberum dimisit, postquam Eugenio se pariturum ille spopondit.

---

[1] Paulus Petrone l. c. et Blondus (Append. N. LXX).

CX. Ob insignem hanc victoriam Eugenius die 9. Augusti 1437.[1] Vitelleseum Purpuratis Patribus adscripsit, Cardinalem Presbyterum constituens S. Laurentii in Lucina contemptis Basiliensium Patrum clamoribus, et decretis[2].

Hanc dignitatem adeptus Joannes Florentino se Praesulatu abdicavit die 26. Augusti, cum prope Beneventum in castris esset; commendataque ei fuit Ecclesia Traguriensis, translato Ludovico Scarampio Episcopo Traguriensi ad Ecclesiam Florentinam[3]. Prima deinde hieme Salernum intravit, ubi cum esset, fuso captoque Paulo Teutonico e Ducibus suis uno, inducias cum Alphonso Rege bimestres, ut evaderet, pacisci necesse habuit, poena constituta trecentorum millium aureorum, si eas violaret. Postea nihilominus, ubi Caldorae jungi potuit, rogante Regina, ut Aversae arcta obsidione pressae opem ferret, inducias fregit, caussatus Regem primum contra pacta venisse, quod Ecclesiae studiosos ad foedera secum ineunda compulisset; parumque abfuit, quin Regem die ipso Natalis Domini inopino insultu caperet. Quod ubi successu caruit, Joannes a Caldora divulsus in Apuliam discessit Tranum occupaturus. Sed cum neque hic fortunam nactus fuisset faventem, relictis Laurentio Attendulo copiis, induciisque (teste Blondo dec. 4. l. 1.) cum Aragonensium Rege in annum assentiente Pontifice constitutis, maritimo ipse itinere Ferrariam, ubi Eugenius P. M. agebat, profectus est, interfuitque Synodo ibi coactae.

CXI. Eugenius die 23. Martii (1438.) Joannem Legatum a latere, et Generalem in Urbe Vicarium creat, atque ad res urbanas gerendas cum amplissima auctoritate Romam mittit[4]. Mense Julio Vitellescus contra Fulginates expeditionem tentavit potius, quam suscepit; receptui enim statim cecinit, postquam Piccininus suppetias Conrado Trincio laturus advenisset. (Pellini Hist. Perus.)

Urbeventi cum esset, ut et hoc addam, viris Religiosis ex Ordine

---

[1] 3. Non. Decemb. juxta Odoricum Rainaldum N. 47.; idibus vero Augusti juxta eumdem N. 30.

[2] Patres Basilienses avellere ex Pontificio latere *Joannem Patriarcham Alexandrinum*, atque Ambianensem, et Traguriensem Episcopos et antea pertentaverant, ac Nicolaum Albergatum Card. Tit. S. Crucis Beatorum albo nunc adscriptum ad eos evertendos incitare conati fuerant, quem vero Eugenius praemonuit, ne quid in benemeritos de Sede Apostolica viros moliretur; et postea jus Purpurae Vitelleschio omni ope eripere studuerant. (Raynald. ad Ann. 1437. N. 3. et 47.) Seditiosi enim seditiosos, qui ab ipsis stabant, ac adversus Eugenium a Concilio se excitari profitebantur, de qua re Eugenius ipse saepius conquestus est, a Vitelleschio oppressos, ac justis poenis adfectos fuisse aegerrime ferebant.

[3] Farlatus e Reg. Eugenii IV in Archivo Datariae Ann. 16. T. XI. p. 223.

[4] Ut urbem in officio contineret, curaretque, ne quid Basilienses, aut Alfonsus, aliive hostes novarent, inquit Rainaldus N. 25.

S. Francisci, qui regulae strictiorem observantiam profitentur, Monasterium S. Mariae de Paradiso donavit, sub ipsa Ordinis a S. Bernardino Senensi reformati initia. Die autem 20. Decembris arcem Praenestinam destruendum curavit. Neque sic tamen Laurentius Columna contumax esse desiit; sed anno 1439. die 4. Februarii Zagarolum operibus munivit plura tentaturus, nisi praepes adventasset Vitellescus, qui Oppidum illud 16. Febr. obsidione cinxit, die 2. April. expugnavit, 11. Maji incendio delevit: Columnam captum ad Eugenium misit, qui libertatem ei restituit. Coactus deinde fuit mense Julio exercitus prope Spoletum, et capta die 9. Septembris Fulginatensis civitas. Traditi Vitellesco Corradus Trincius cum filiis Ugolino, et Nicolao, quos Jacobillius, aliique scripserunt capitali ab illo fuisse adfectos supplicio. Verum Dorius p. 238., et 251. jubente Eugenio anno demum 1441. die 14. Junii vita privatos fuisse tradit, aliquot mensibus postquam ex humanis abiisset Vitelleschius, qui erga Tyrannos istos sibi inimicissimos adeo a crudelitate alienum se praestiterat, ut severis poenis in eos animadverterit, qui se inscio Cancellarium Trinciorum capite truncaverant: Trincios vero, quos diximus toties laesae majestatis reos, hostesque Vitelleschiae gentis capitales carceri tantum incluserit, dimissurus procul dubio liberos, si annuisset Eugenius, spesque fuisset ad meliorem frugem fore redituros. Jacobum Trincium Saxivivi Abbatem carceribus mancipari jussit, quod vitam is vixisset inhonestam, ac a religiosi viri officio alienissimam. Rainaldus Trincius Pseudoepiscopus Fulginatensis mutatis vestibus in castra Nicolai Piccinini adfinis sui perfugit.

CXII. His peractis Vitellescus Romam revertitur, copiis in hiberna dimissis. Bellum deinde parat adversus Piccininum. Hic enim Padum transiverat die 5. Februarii Ann. 1440., ac Bononia, Romandiolaque subactis, aut in partes pertractis, Florentinis imminebat, quibus inopinato adventu tantum terrorem injecerat, ut nullo unquam majori in periculo se fuisse diu crediderint, neque dubium esset, quin si ad moenia urbis exercitum admovisset Piccininus, in ea trepidatione nullo negotio Florentia potiturus fuisset. Verum is litteras tantum ad Eugenium, et Florentinos misit, quibus, ut a foedere cum Venetis inito discederent, exhortabatur, de cetero moderationis et justitiae plenissimas. Interim circa humiliora quaedam Castella haerens occasionem rei bene gerendae e manibus elabi passus est. Rediit enim interea Florentinis animus, advolabantque undique auxilia. Advenerat Arimini die 3. Martii Alexander Sfortia [1].

Vitellescus vero cognito periclitari Pontificem festinus copias coegit,

[1] Murator. SS. RR. II. T. XV. in Chronic. Ariminensi.

jamque Tiberim trajecerant quatuor equitum, duo peditum millia, sequebaturque ipse Joannes, cum ecce in Ponte S. Angeli, sive Molis Adriani prodit ei obviam quasi collocuturus Antonius de Rido arcis Praefectus, et injecta equi habenis manu blandientis more eo incautum perducit, ubi injectis uncinis a militibus, quos Ridus opportuno ad insidias loco disposuerat, in arcem pertrahitur, et in vincula conjicitur. Accidit hoc die 19. Martii An. 1440. [1] Paucos post dies Joannes in Arce Adriani e vivis excessit.[2]

CXIII. De Mortis genere et causis varii varia tradiderunt, atque in universum gesta hujus anni confuse admodum, ac multis cum erroribus descripsere, quod mireris, Blondius ipse et Poggius auctores coevi, Pontificis ille, hic Reipublicae Florentinae ab epistolis, et consiliorum omnium participes.

E vulnere, dum gladio adversus milites a Rido immissos strenue dimicaret, accepto obiisse Joannem tradit Jovius; alii veneno ab arcis Praefecto sublatum; Scipio Ammiratus (lib. 21. par. 2.) a Luca Pitti, qui Chirurgi medicantis cultrum non proviso ictu impulsum in Vitellesci caput adegerit, occisum fuisse refert. De die quoque et anno mortis dissentiunt. Nos auctores secuti sumus eos, qui diligentius res actate sua gestas litteris tradiderunt. Chronographus Firmanus ineditus ita scribit: *Eodem millesimo, et die Sabbati decimanona Martii Venerabilis Proditor D. Joannes de Vitelleschis Aemulus maximus communis Firmi fuit captus mandato D. PP. Eugenii per Castellanum de Castello S. Angeli de Roma, et die Veneris 25. Martii decessit.* (*die 2. Aprilis juxta alios*).

CXIV. Major adhuc est circa causas vel praetextum necis Vitellesco illatae historicorum dissensio. Plerique reum fuisse volunt proditionis, ac iniisse cum Piccinino foedus, ut hic Florentiam relicto Sfortia aggrederetur; idque fecisse Joannem odio inductum adversus Venetos, et Florentinos, ac Franciscum Sfortiam horum Ducem [3].

---

[1] Ordinem rei gestae recenset Bussius Hist. Viterbiensi p. 244 e Commentario Petri San Pauli Sacchi, qui tamen an fidem in omnibus mereatur, dubitari potest. Blondus (Dec. 4. libr. 1.) accurate rem enarrat.

[2] Paulus Petrone l. cit.; Bonicontri apud Murator. SS. RR. II. T. XXI. p. 146.

[3] Vitellescum dum Romae ageret An. 1439. ingentem pecuniae vim a Pontifice, et 20000. ducatorum a Venetis, et Florentinis ad comparandum exercitum accepisse, traditum est. Ad Fulgineum deinde obsidendum accessisse, ubi dum haereret, bis Florentini Legatos ad eum miserunt, Dorio teste p. 234., qui hominem exorarent, ut relicta obsidione Fulginei adversus Philippum Mediolanensem Ducem proficisceretur. Sed renuit ille, ne Trincios a tergo relinqueret Piccinino affinitate et amicitia conjunctos, quorum perfidiam ipse alias, uti et Leo Sfortius experti fuerant. Hinc adversus Vitellescum exarsere Florentinorum, et Venetorum odia, qui adesse praesens auxilium malebant, quam cum spe successus certioris

Alii Cosmum Mediceum, alii Ludovicum Scarampium accusant. Equidem et ego in eam opinionem facile descendo, si cum Vitelleschio vires suas conjunxisset Piccininus, futurum fuisse, ut Cosmi imminueretur auctoritas; Scarampius secundum locum a Vitelleschio apud Eugenium teneret, redirent exules Florentini viri plerique illustres, ac patriae amantes, opprimeretur Sfortia, eoque a Piceno, Umbria, ac Flaminia, quas proditoriis artibus occupaverat, ejecto, patrimonii sui dominatus Ecclesiae restitueretur. At vero extitisse reipsa fedus ullum Piccininum inter, et Vitellescum, id vero nemo pro certo affirmare potuit. Poggius ipse dubie loquitur, *tradunt nonnulli*, inquiens, *conspirationem inter eos fuisse aliquam.* Blondus etiam et Ammiratus interceptas scribunt fuisse litteras, quae licet legi, aut intelligi non potuissent, magnis tamen angoribus Eugenii animum compleverint. Verum Piccininus tantum abest, ut Patriarchae se conjungere vellet, ut sibi ab eo potius vel maxime metueret, quem fidelissimum Pontifici semper expertus fuerat, et Trinciis affinibus suis inimicissimum. Foedus ergo inter eos non fuit, quamvis Ecclesiae rebus existere illud expedisset, et Piccininum hominem probum, ac in Pontificia Ditione natum accersiri, ut Pontificem in libertatem tandem aliquando vindicaret. Enimvero non ita multo post Vitellescum occisum An. 1442. Eugenius Nicolaum Piccininum copiarum suarum summum Ducem esse voluit, ac relictis Venetis, et Florentinis, qui propriis tantum commodis et incrementis studebant, accitoque in auxilium Neapolitanorum Rege Alphonso Sfortiam expulit, ac perpetuae quietis in Provinciis Ecclesiae auctor fuit, perfectis iis, quae cogitasse Vitellescus accusatur.

CXV. Eugenius profecto necis illatae Vitellesco, Viro, quo nemo melius de ipso meritus fuerat, conscius nequaquam fuit. Etenim Ludovicus ipse Scarampius secretorum ejus omnium conscius Senensibus, qui Leonardum Benevolentium die 30. Martii ad Eugenium miserant, rogantes, ut civis ipsorum et Patronus Vitellescus e carcere liberaretur, sancte testatus est, *inscio Pontifice eum detentum fuisse.* Haec e libro, in quo mandata Legatis Reipublicae Senensis data conscripta sunt, ad Ughellium adnotavit Hyacinthus Sbaralea, uti e MS. Codice, quem editioni parat, nos edocuit R. P. Stephanus Rainaldius e Minor. Convent. Ordine.

---

in futurum illud differri. Itaque Veneti per Legatos id egere, ut dignitatem ejus, et gratiam, qua apud Eugenium valebat, convellerent. Venetos vero Vitellescus oderat, quod Pontificem bellis implicarent, quae utilitatem nullam, imo damni plurimum ei adferebant.

CXVI. Residuum est igitur, ut Cosmum accusemus, vel Scarampium [1]. Aemulatio huic intercessit cum Vitellesco, ut creditur. Suspicionem auget, quod Vitellescum cepit Antonius Ridus *Patavinus* Arcis Adrianae Praefectus, vir *militaris*, inquit Jovius, *et ad omne patrandum facinus paratus,* qui *commendatione Ludovici* ad eam praefecturam pervenerat. Imo scelus hoc eumdem *cum amicissimo Aquilejensi Patriarcha pridem constituisse* conceptis verbis affirmat Flavius Blondus si quis alius testis hac in re idoneus. Rido proditori statua equestris Romae posita fuit, quae adhuc extare dicitur ad S. Mariae Novae. Quae vero Statua Vitellesco *alteri Romulo, ac Patriae Patri* collocata fuerat, ea nusquam comparet.

De Scarampio sinistrum quid innuere videtur non obscure distichon illud Bartholomaei Episcopi Cornueti. et Montis Flasconis, qui Vitelleschi nepos fuit, in epigrammate, quod mox afferemus:

Invidit sors atra mihi, MAGIS AEMULA VIRTUS
Immeritam statuens NON AEQUO MUNERE MORTEM.

Eadem fuit mens Pauli Jovii in elogio Vitelleschii. [2] Platina etiam (in

---

[1] Ludovicus Scarampius dictus De-Mediarota Canonicus Patavinus, Eugenii IV Cubicularius, creatus est An. 1435. d. 24. Octob. Episcopus Traguriensis (Farlatus T. IV. 405.) An. 1437. die 26. Augusti Archiepiscopus Florentinus: die 18 Decemb. 1439. Patriarcha Aquilejensis; Anno 1440. Cardinalis Tit. S. Laurentii in Damaso, postquam die 11. Januarii ejusdem anni *Camerarius* fuisset constitutus (Registr. Eugenii IV T. 25. p. 3.) Medicum fuisse Papae perhibent post Ammiratum Mandosius, aliique plurimi. Ejus rei tamen in Registris Pontificiis nulla extat memoria, quamvis de eo ut Cubiculario frequentissima in iis mentio fiat, teste Cl. Marinio de Archiatris Pontificiis T. 1. p. 143. et T. 2. p. 337. Habetur quidem in registris illis nomen *Ludovici*, vel *Aloysii de Venetiis medicinae doctoris* (1431. 24. Decemb « 1432. 5. Maji: » 1433. 6. Januar. » 12. Februar., et 14. Augusti) Verum hic idem Medicus in eisdem registris An. 1431. 4. Januarii vocatus fuerat *Magister Aloysius Trevisanus de Venetiis Artium et Medicinae Doctor, et S. D. N. Cubicularius*, ac diversus fuit procul dubio a *Ludovico Scarampio*, et stirpe, quippe qui a *Trevisanis Venetis* prodierat, et patria. Quae ab historicis non animadversa errorem pepererunt. Ludovicus porro Scarampius *Patavinus* fuit. Sic enim ipsemet in charta An. 1421. testatur, in qua se nominat: *Ludovicum de Padua Decretorum Doctorem Abbatem S. Mariae de Pratalea, judicem super spiritualibus in Marchia generalem, et D. Legati* (is fuit Gabriel Condulmarius, postea Eugenius IV) *Auditorem generalem*; e quibus verbis innotescunt munera olim a Ludovico gesta. Antonius quoque Nicolai Chronici Firmani auctor *Patavinum* eum vocavit, uti et Joannes Candidus, aliique. Quibus testimoniis fabella de Ludovico Scarampio Eugenii Archiatro luculentissime confutatur.

[2] Paulus Jovius auctor est magni nominis, si de stylo agatur, quo usus est, aureo; at fidei apud plerosque nullius, aut exiguae. Non est igitur cur immoremur diu refutandis ipsius adversus Vitellescum cavillationibus, quarum aliquas supra tetigimus. *Aspirasse*, ait, *Vitellescum ad Summi Pontificatus apicem, aut vivo Eugenio, si ille sub censura Concilii concideret*: (Quid, Deus bone! speraret Vitellescus a Concilio,

vita Eugenii IV. opera *Alovisii vafri et astuti* sublatum e medio Vitellescum credidit.

CXVII. Ad Cosmum Mediceum quod attinet, odio is a Vitellesco habebatur, ut meruerat vir fractae fidei, et ingrati animi reus. Audiamus Cosmum ipsum, qui apud Joa. Lamium in deliciis Eruditorum T. VIII. p. 179. testatur, se reditum in patriam Joanni acceptum referre. *Essendo mezzano d'accordo*, inquit, *per parte del Papa Messer Giovanni Vitelleschi Vescovo di Recanati, e dipoi Arcivescovo di Firenze, e poi Cardinale, il quale era* MOLTO MIO AMICO, *si ridussono* (i Magistrati Fiorentini) *a Santa Maria, dove abitava il Papa etc. ai 26. Settembre 1434., ed operò ai 29. Cosimo fù richiamato dall'esilio.* Reditus Cosmo ea conditione concessus fuerat, ut in pace deinceps viveretur, dissensionumque praeteritarum et ipse et adversarii abjicerent recordationem. Respublica itaque Florentina tamdiu civilibus seditionibus turbata Vitelleschii auctoritate videbatur tranquillitati exoptatae tandem restituenda. Rediit Cosmus, neque ita multo post ejecere Florentini, ipso auctore, contra fidem Vitellesco datam cum alios, tum Rainaldum Albicium civem primarium, virumque profecto egregium, et Joanni amicissimum, quod sane, ut aequum erat, indignissime ille tulit. Cum itaque auxilio Vitellesci indigerent Florentini, pavere coepit Cosmus, ac sibi timere; mox rumores de perfidia Joannis, de odio erga Sfortiam, *de amicitia cum exulibus* (ut Ammiratus ait loc. cit.) in vulgus spargere, procul dubio accitum ab ipso Piccininum [1], ac demum . . . . . FU' CON IL CONSIGLIO DI COSIMO *mandato con lettere di credenza Luca de' Pitti ad Antonio di Rido Castellano di S. Angelo, il quale s' ingegnasse di avere il Patriarca* O VIVO O MORTO *nelle mani; così essere necessario per quiete* E SICUREZZA DELLA SEDE APOSTOLICA. (Id est, si aperte sensa sua protulisset, *pro securitate Cosmi*) Ita Ammianus libro citato.

---

quocum plusquam Vatiniana ei intercedebant odia, quodque Amodeum elegerat pluribus antequam ille decederet de vita mensibus?) *aut mortuo illo, quoniam pecunioso et opulento ad opportunas largitiones expedita facultas foret*, *vel primo comitiorum die non defutura sibi suffragia arbitraretur*. Quae quidem an ridicula magis, an Sacro Senatui injuriosiora sint, incertum mihi est. Ejusdem ponderis apud aequos rerum aestimatores esse debet Blondi in Vitelleschum declamatio calumniarum et falsitatum plenissima (V. Blond. Dec. 4. l. 4.) et Antonii Panormitae jacta in eum convitia.

[1] Ridiculum est, verum tamen; Piccinini adventus, qui tantas tragaedias excitavit, auctorem habuit litterarii ludi magistrum, Franciscum, inquam, Philelphum, qui hoc de se jactat lib. 4. Epist. ad Rainaldum Albitium, ubi et litteras ab eo ad Florentinos, et Cosmum scriptas legere cuivis licebit sat longas, atque easdem procul dubio, quas a Piccinino ad Florentinos missas fuisse diximus § CXII.

En igitur genuinas causas, quae Vitelleschio interitum attulerunt, Scarampii odium ac invidia, et Cosmi pavor et ambitio. Hic capitalem aliis quoque hostem se exhibuit, qui exulibus Florentinis favebant, ut Duci Mediolanensium Philippo, Regi Alphonso[1], et quod mireris, scholastico licet viro, nulliusque auctoritatis Philelfo, qui a Cosmo per sicarios se ad necem fuisse quaesitum ad exitum usque vitae conquestus est.

CXVIII. Neque tamen indigna haec et proditoria inimicorum rabies Vitelleschi nece conquievit; insecuta est enim extinctum non calumniis tantum, quibus memoriam ejus nemine defendente obruere non desiit, sed et cadaver ejus Archiepiscopi licet, et Cardinalis, ac Apostolicae Legationis munere in ipsa Urbe, Provinciis adjacentibus, ac Regno Neapolitano fungentis, nulloque judicio damnati, quibus potuit, ignominiis affecit, nudumque sine calceis et braccis, ut cum Ciacconio loquar, ad S. Mariae supra Minervam delatum vix tandem sepulturae tradi permisit; unde postea Cornuetum translatum, ibidemque in Ecclesia Cathedrali tumulatum est. Vir fuit Vitelleseus *meliori certe fato dignus* ait Natalis Alexander in vita Eugenii IV. *Cornetum,* inquit Blondus in Italia illustrata regione secunda, *magnum aetate nostra habuit ornamentum malo terminatum fine, Joannem Vitellescum Ecclesiae Romanae Cardinalem*, *qui in Adriani mole Castello S. Angeli captus interiit.* Laudibus vero defunctum prosecuti sunt Paulus II, Sixtus IV, Julius II, Leo X, et Clemens VII.— Omisso epitaphio, quod Ughellius refert, quod saeculo demum XVII confectum fuisse videtur, adscribimus Epigramma Bartholomaei Cornetani Episcopi, viri litteris et prudentia, teste Blondo, ornati. Epitaphium Joannis Vitelleschi id epigramma esse voluerunt posteri, tumuloque ejus insculpendum curarunt: *Rm̃o Dño Joanni de Vitelleschis de Corneto Patriarchae Alexandrino Cardinali Florentino Episcopus nepos in posteritatis memoriam*

Quando Ego pro Patria, pro majestate repressi
Pontificis furias bellorum, hostesque subegi
Ecclesiae, nostris quae floruit aucta sub armis
Restitui res effluxas, urbesque, decusque:
Invidit sors atra mihi, magis aemula virtus
Immeritam statuens non aequo munere mortem.

---

[1] Cosmas Florentinus cum dono mitteret Alphonso Livii libros, reclamatum est a Medicis, qui aderant, ne per immortales deos librum attrectaret ab hoste missum veneni suspectum . . . . (Anton. Panormitan. de dictis et factis Alphonsi Libr. 4.)

Obiit II. Aprilis MCCCCXLII. [1]

Ceterum Vicarii Generales, qui pro Joanne Vitelleschio Ecclesiam Recanatensem gubernarunt, hi fuere.

1431.-1433. Bartholomaeus de Columbis Cornetanus.

1432.-Jun. 1433. Onufrius de Curialibus de Cassia.

1434. Venantius Cicchi Aprutinus Canonicus Recanatensis.

XVI. THOMAS

CXIX. *Frater Thomas* Venetus Ordinis Praedicatorum translatus est a Tragnriensi ad Ecclesiam Recanatensem die 24. Octobris An. 1435., uti ex Bulla discimus, quae in Archivo Recanatensi extat. De hoc praeter Ughellium, Calcaneum, Farlatium, et auctores de rebus Ordinis S. Dominici egerunt Apostolus Zenus in vita Pauli Parutae scriptoris rerum Venetarum, Franciscus Thomassinius in Historia genealogica gentis Thomassiniae, Jacobus Philippus Thomassinius inter illustrium virorum elogia

[1] Inducere animum nequeo, ut credam haec lapidi insculpta fuisse jubente ipso Bartholomaeo auctore, cui sane notum esse debuit, quo anno Joannes occubuerit. Huic epitaphio subjungendos censuimus elegantissimos Faerni versiculos, quibus laudes prosecutus est Joannis verissimas, et sine ullo adulationis fuco, in quibus nil reprachendas, nisi quod rumoribus sinistris abreptus nimiae eum ambitionis accuset, cujus criminis argumenta desideramus.

FAERNI CARMEN

De Joanne Vitellesco ex libello *Pauli Jovii de elogiis Virorum armis illustrium*
Quis tua facta potis, laudesque aequare canendo,
Purpuream succincte togam generose Vitelli?
Majestas tibi Romani Pastoris, honorque
Debet, et antiquum tibi disciplina vigorem
Acceptum servata refert. Tu sontibus aequa
Supplicia, et meritas tribuis justissime poenas.
Dispersos tu silvarum per lustra latrones,
Non secus ac venator apros, indagine cingis:
Tu diros Latio dominos, tu triste repellis
Servitium, saevosque sua quemque urbe tyrannos
Exigis, et justa populos ditione coerces.
Infandae plebis tu seditione fugatum
Pontificem sacrum justis ulcisceris armis:
Stringis et horrendas in noxia colla secures.
Salve purpurei decus, et tutela Senatus,
Priscarum virtutum imitator, et aemule laudum,
Imperio, quod servaras, dignissime, ni Te
Praepropera ambitio tentasset inanibus auris,
Lactassetque avidam transverso turbine mentem.

iconibus exornata Patavii edita An. 1630. in 4.° T. I., et P. Contarenius O. PP. in Dissert. de Episcopis ad Istrianas Ecclesias ex Ordine Praedicatorum adsumptis V. 1760.; in primis vero Joannes de Augustinis Ordinis Minorum Observantium in vita ipsius Thomae Episcopi, quam Syllogae Calogerianae T. XIX. inseruit. Et hic quidem compendium nobis laboris fecisse videbatur, antequam attentiori cura in gesta Thomae inquisivissemus. Sed errasse eum in multis, omisisse multa postea deprehendimus. Enimvero dignus nobis visus est Thomas vir et eruditione et moribus insignis, qui tot Episcopatibus praefuit, tamque splendidis in Curia Romana functus est muneribus, et tam praeclare de eadem, deque universa Ecclesia meritus est, cujus vitam accuratius, ea tamen, qua fieri poterat, brevitate texeremus; gratam forte rem facturi et Ordini Dominicano, et Venetis, et Litteratis omnibus.

CXX. Circa nomen Familiae, e qua Thomas prodiit, auctores non consentiunt. Annalistae Camaldulenses, Clarissimus P. Bernardus de Rubeis in monumentis Aquilej. *Thomam* eum nullo addito cognomine vocant, sicuti et monumenta, quae vidimus Recanatensia. Ughellius, Caleaneus, Tiraboschius in monumentis Humiliatorum *Burattum*, sive *Baruttum* appellant. Multi *Parutam* cognominavere; sed communior est opinio e *Thomassinia* eum gente prognatum fuisse, quae (teste Zamberto RP. Venetae a Secretis in regesto) Luca Venetias An. 1335. commigraverat. Huic opinioni pondus addunt Ecclesiae nostrae documenta, quae nepotem Thomae commemorant *Carolum de Thomassinis Luccensem* [1]. Errat ergo Echardus T. I. fol. 806.. qui Florentia pulsos majores ipsius An. 1309. Venetias migrasse scribit.

Jacobus Philippus Thomassinius Episcopus Aemoniensis, qui gentilem suum fuisse Thomam existimavit, stemma gentis per Ughellium typis exprimendum curavit (in Episc. Urbinat.) Columnam id repraesentat, cui hinc et inde duo Angeli manus admovent. Sed virum doctissimum erroris coarguunt sigilla ab ipsomet Thoma litteris impressa, quas dedit cum Piceno praesset, quorum nonnullas vidimus in Archivo Recanatensi. Conspicitur autem in hisce sigillis figura *Galli*. Ectypum in appendice exhibe-

[1] Frequens est in chartis nostris Recanatensibus mentio *nobilis viri Caroli Jacobi Thomassini de Luca nepotis Episcopi*, qui toto eo tempore, quo Thomas Ecclesiae praefuit, redituum mensae curam gessit. Degebat adhuc Recanati An. 1452. 14. Januarii teste Ser Ludovico Ser Andreae, qui eum vocat *nobilem virum Karolum de Masinis de Luca*. Alius Dominicani Ordinis Alumnus *Fr. Thomas Thomassinus Venetus*, teste Vincentio M.ª Fontana in sacro Theatro Dominicano ab An. 1428, ad 1466. Episcopus Phariensis in Dalmatia fuit. Qui utrum Episcopo nostro sanguine junctus fuerit ignoramus.

mus sigilli, quod Clariss. Tondinius in Museo Classensis Monasterii a se delineatum, et aeri incisum Rño Panlio communicavit. Circumferentia ejus hanc epigraphen exhibet. ✠ ƋOMINUS TOMĀS DE TOMAS SELIS EPIS. RĀCHĀNĀS. idest *Dominus Tomas de Tomassellis Episcopus Rachanatensis:* forma characterum ea est, quam in monumentis Venetis Saeculi XV. ineuntis passim conspicimus. Cum igitur alium Episcopum Thomam nomine Recanatenses non habuerint nisi Thomam, de quo agimus, ad hunc pertinere sigillum, et nomen gentis, e qua ortus est, fuisse *de Thomassellis* constare videtur. *Thomasselli* vero nomen et *Thomassini* promiscue usurpatum fuisse existimo. Porro *stemma*, quod in infimo sigilli angulo conspicitur, *Gallum* repraesentat. Campus vero, ut ajunt, sigilli duos Episcopos, quibus conjicio SS. Flavianum, et Julianum, Recanatensis illum, hunc Maceratensis Ecclesiae Patronos indicari. Verum haud opus est, ut diutius immorer explicationi illius sigilli, quod licet antiquum sit, tamen aut imperiti artificis, aut falsarii cujusdam opus esse videtur, cujusmodi alia passim reperiuntur afficta viris auctoritate aut dignitate insignibus. Enimvero quis sibi persuadeat sigillo usum fuisse Thomam, in quo ne mentio quidem fiat *Maceratensis Ecclesiae?* In quo nihil sit, quod non a more cum illius temporis, tum aliorum Episcoporum Recanatensium abhorreat? Quod ut manifestius fiat aeri incidi curavimus sigillum Friderici, qui primus fuit Maceratensium Antistes, tum illud Angeli Mevaniensis, qui vixit An. 1390., et Thesei de Cuppis, qui 1510.; e quibus videre licet Maceratensem Ecclesiam pro patrono agnovisse non *Julianum Episcopum*, quem exhibere videtur sigillum Classense, sed *Marthyrem*, cujus festus dies ut Recanati, sic Maceratae celebrabatur olim die VII. Januarii.

CXXI. Natus est Thomas, ut tradit Joannes de Augustinis, patre Fatio Thomassinio, matre Joanna Contarinia, educatus vero, cum parentes puer admodnm amisisset, apud *Marcum Parutam* affinem, ipse et sorores diligentissime; unde et cognomen accepere *Parutae.* Sorores Andriola, et Elisabetha ingressae sunt anno 1394. Monasterium Corporis Domini, quod Venetiis triginta circiter ab hinc annis fundatum fuerat, sed quod curante piissimo viro Joanne Dominici Ordinis Praedicatorum e bonis ipsarum auctum, restauratum, atque ditatum fuit [1].

Eodem fere tempore Thomas nomen dedit Ordini S. Dominici, quem

---

[1] Obiit Andriola An. 1419., Elisabetha An. 1425. e Chronico Bartholomeae Riccobonae. Videatur Flamin. Cornelius in dissertatione de Joanne Benedicto Episcopo Tarvisino, et Apost. Zenus adnotation. in Justi Fontanini opus de Eloquentia Italica. T. II. pag. 426.

biennio post solemni ritu professus est in Conventu SS. Joannis et Pauli Venetiis. Individuus inde comes fuit Joannis Dominici supra laudati, quocum Pisas adiit 1399. Mense Januario:[1] cum eodem fuit 20. Febr. 1401., ut scribit ipse Joannes apud Cornelium de Eccl. Venetis T. I. p. 135., et apud Zenum in vita Parutae. Per quadriennium deinde studiis operam dedit Oxonii in Anglia, atque anno uno Lutetiae Parisiorum. Redux Venetiis *Cursor*, Arimini *Lector*, et Patavii *Biblicus* fuit, qui sunt gradus, quibus ad Magistri nomen et dignitatem pervenitur. Absoluto studiorum curriculo creatus est Episcopus Aemoniensis, sive *Civitatis novae* in Istria, suffectus Joanni Mauroceno, ut ostendit P. Contarinius libro superius indicato. Quod Anno 1409. aut 1410. contigit. Etenim, teste Contarinio, Maurocenus die 15. Martii 1409. feuda quaedam ad Ecclesiam suam pertinentia concesserat. Anno autem 1410. mense Junio successor ejus Thomas in chartis Archivi Aemoniensis occurrit.

CXXII. Adiit Thomas An. 1415. Concilium Constantiense, ejusque nomen subscriptum legitur Sessioni XX. habitae An. 1416. Fuit ex eorum numero, qui de rebus divinis ad Concilii Patres e suggestu verba fecerunt, ut videre est in eorum catalogo apud Vonderhardtium, et in collectione maxima Conciliorum Mansii. Orationem a Thoma recitatam extare Ulmae in Bibliotheca Kraftiana testis est Schelhornius in amaenitatibus litterariis T. 3. Ejusdem Concili historiam Thomas conscripsit, ut legitur in Chronico Monasterii Corporis Domini.

Translatus est Thomas ad *Polensem* Ecclesiam die 27. Febr. 1420. (Ughell. T. 5.) inde die 18. Octobr. 1423. ad *Urbinatensem*. Quo tempore huic Ecclesiae praefuit, gubernavit pro Legato Provinciam Marchiae Anconitanae cum adnexo Comitatu Urbinatensi, et Massa Trabaria[2].

Promotus est deinde die 22. Decemb. 1424. ad Cathedram *Traguriensem* in Dalmatia, in qua civitate moram aliquandiu traxit. Extat enim apud Farlatum decretum a Thoma Traguriae latum An. 1426.

CXXIII. Eugenius IV qui operam ejus fidelem, industriamque probaverat, Gubernatorem Foroliviensis Civitatis constituit Anno 1431 . . . . *die ultima Augusti die Veneris*, ut est in Chronico Foroliviensi[3], *intravit Forlivium hora XXII. pro Gubernatore et Domino Frater Thomas Ordinis Praedicatorum dictus de Venetiis Episcopus Traguriensis, et hoc omni solemnitate, et beneplacito civium ex parte D. Papae Eugenii IV*

---

[1] Teste Fr. Thoma Antonii de ortu, et progressu status Fratrum et Sororum Ordinis S. Dominici de Poenitentia in Civitate Venetiarum.

[2] V. Compagnoni Reg. Pic. p. 311. et Colutii Antiq. Pic. T. XVIII. p. 132.

[3] Murator. SS. RR. It. T. XIX.

pro Sancta Romana Ecclesia, Successor datus Dominico Capranicae, qui, Catalanio teste, octodecim, sed verius tredecim, abhinc mensibus Romam redierat, Perusiaeque Gubernator electus fuerat.

Multa cum prudentiae aequitatisque laude Forolivensibus Thomas praefuit, compressitque sub finem anni 1432. seditiosos quosdam, qui ejectis Apostolicae Sedis Ministris Civitatem Ordelaffiis olim ejus tyrannis denuo subjicere tentaverant: reis tamen plerisque concessa, iis quos poenitere constabat admissi aut cogitati criminis. Ad Concilium deinde Basileense missus est, ut recte scribit Jacobus Philippus Thomassinius in vitis illustrium Virorum etc., quamvis de hoc dubitet Cl. P. Augustinius. Dubium tollit collectio maxima Conciliorum ultimae editionis, quam Antonius Zatta adornavit T. XXX. col. 539. Ibi enim legimus, Eugenium Pontificem, postquam mense Majo 1433. Concilium Basileae celebrari consenserat, promittens se quatuor Cardinales missurum, qui ei praesiderent, decrevisse, interim, dum Cardinales advenirent, Concilii actibus nomine suo praefuturos Joannem de Mella, Joannem Archiepiscopum Tarentinum, *Thomam Episcopum Truguriensem*, et Nicolaum (Todescum) Abbatem Moniacensem, qui alias Panormitanus dicitur, virum juris utriusque consultissimum, qui postea schismati adhaesit. Quatuor hosce viros in litteris suis datis die 7. Maji Pontifex testatur fuisse — *fide*, *bonitate, et prudentia praeclaros, ac in magnis nostris et praefatae Ecclesiae negotiis longa experientia comprobatos* — Utrum vero iidem a Concilii Patribus admissi fuerint, me latere fateor. Thomam certe non ita multo post Forumlivii reversum fuisse comperio, quam civitatem factiosi homines Antonio Ordelaffio denuo prodere conjuratione facta constituerant: sed re patefacta conjurati Venetias exulatum missi sunt. Eo ipso tempore [1] Ambrosius Camaldulensis Forumlivii venit: *occuparat omnia*, ita ille lib. 15. Epist. 19. (edit. Laurenti Mehus) *bellici tumultus metus. Propinquantes oppido Gubernatorem civitatis Episcopum nobis optime cognitum* [2] *offendimus adequitantem muro, et infirmiora munimenta resarcienda sollicite curantem. Cogniti ab eo, atque gratissime accepti urbem ingressi sumus etc.*

CXXIV. Vicere tandem seditiosi. Praesidio enim, quod Forolivii erat, Bononiam evocato erumpere illi ausi, populum ad arma vocant, expilant palatium, Gubernatorem capiunt, ad Antonium Ordelaffium Civitatis dominium, ac principatum deferunt [3]. Sed Ambrosium Camaldulensem au-

---

[1] Die 9. Novemb. 1433.

[2] Dudum Visitator Ordinis Camaldulensis fuerat Thomas, teste eodem Ambrosio Lib. 10. Epist. 5. apud Martenne, et Annal. Camald. T. VII. p. 9.

[3] Documentum profert Cerrachinius in Chronologia Episcoporum Florentinorum p. 156. 11. April. 1435.

diamus, qui luctuosam tragaediam in Hodoeporico describit — *Postridie, videlicet VII Kal. Januarii* (1433), inquit, *cum in Monasterio S. Salvatoris mane essemus, repente ingens tumultus exoritur; primum quidem clamore sublato populari aera infestius resonant, armataque protinus civitas concurrit vocibus et telis infesta Palatium obsident, et Ecclesiae imperium detrectantes, dominumque suum Antonium Ordelaffium conclamantes Episcopum nostrum nihil tum tale suspicantem invadunt, tenent, vinciunt, et de civitate ac civibus optime meritum injuria ac ludibriis agunt. Expilata omni domestica supellectili, omnique thesauro asportato, vir ille bonus ad supplicium poscitur, mulieribus ipsis in illius caedem conspirantibus, ac nisi quorumdam minus saevientium obstitisset modestia, qui illum alieno habitu indutum duxere medium, nimia bacchantium rabie ferme discerptus interiisset.*

Tandem postquam colaphum ei incussissent, pecuniarum quantum portabat, abstulissent, annulum quoque Pontificalem eripuissent, custodiendus traditur civi cuidam, qui durius eum habuit, donec frater, et consanguineus, qui ob conspirationem, Venetias ducti fuerant, ei restituerentur. Seminudus, teste Blondo, ejectus Ravennam evasit, indeque Venetias abiit — *Ferebatur vulgo, addit Ambrosius, Episcopum urbem Venetis tradere voluisse, camque causam novarum rerum afferebant solam; sed ea perquam fallax fuit, nihil in se habens solidae veritatis; atque adeo eam refellere nihil opus est. Sola vulgi mobilitas, et inconstantia, cupiditasque rerum novarum* AVARITIAE CONJUNCTA *in causa fuit.* Addere forte potuisset Ambrosius Ordelaffii machinationes, et suggestiones eorum, qui Basileensi Concilio favebant, Francisci inprimis Sfortiae, qui eo ipso tempore Picenum omne armis, fraudibusque in rebellionem pertraxerat.

CXXV. Quod vero munere suo Thomas recte, et ex voto Principis functus fuerit, contestatus est Eugenius IV amplissimis litteris, quas videre est apud Flam. Cornelium de Eccl. Venetis T. II. p. 255. et 293. ac T. XVIII. p. 207. Etenim die 27. Augusti 1434., ut Forilivii, Cerviae, et Foricornelii Gubernator esse pergeret, imperavit, ac die 4. Nov. Forumpopilii jurisdictioni adjecit. Insuper Administratorem perpetuum (die 11. Januarii 1435) constituit Monasterii S. Salvatoris, quod est Venetiis, quodque Pontifici, dum Cardinalis esset, commendatum fuerat. Florentiam postea vocavit, eumque Ecclesiae illi, defuncto Americo Corsinio Archiepiscopo, praefecit, dum novus designaretur Antistes [1]. Jussus est deinde ab Eugenio nomine ipsius adesse Capitulo generali Fratrum Humiliatorum

---

[1] Bulla data 30 Apr. 1435. apud Lamium in Memorabilibus Eccl. Florentinae T. 2. col. 1117.

Senis celebrando, cujus Capituli acta edidit Hieronymus Tiraboschius in monumentis Humiliatorum T. 3. p. 186.-199. Quo negotio feliciter confecto de mandato Eugenii visitavit Monasteria Sanctimonialium Dioecesis Florentinae, quod quidem munus ea cum severitate peregit, ut plura ex iis Monasteriis, eo quod nulla in iis disciplina vigeret, extinguenda, et cum aliis conjungenda sibi putaverit Eugenius die 1. Octob. 1435.[1], *referente*, ut in Bulla dicitur, *Venerabili Fratre nostro Thoma Episcopo Traguriensi generali Ecclesiae Florentinae praesentialiter Pastore carentis in Spiritualibus, ac temporalibus administratore, ac ad visitationem quarumlibet civitatis, ac dioecesis Florentinae Monialium, ac Religiosarum quorumvis Ordinum, Monasteriorum, et locorum a nobis specialiter deputato etc.*

CXXVI. Non multo post Eugenius Thomam ad *Recanatensem Ecclesiam* promovit litteris datis Florentiae die 24. Octob. 1435., quarum exemplar in Archivo secr. Civitatis nostrae extat. Possessionem adiit per procuratorem, consentiente ipsumque commendante Francisco Sfortia, qui Piceno dominabatur. In Appendice litteras descripsimus Pontificis Summi scriptas Florentiae die 31. Octob., quibus summopere Thomam laudat, asserens, *per annos circiter triginta continuos* domesticum sibi, et *semper carum* fuisse; *cumque*, addit, *vir prudens et perhumanus sit, quem tamen persona et moribus dudum novistis, quando in Provincia illa Gubernator fuit, vestrae illi civitati, et singulis vestrum beneficare, et honorem afferre, inprimisque Ecclesiae jura tueri, et amplificare sciet, poterit, et volet.*

Quantum Recanatensi populo gaudium attulit nuntius Thomam sibi obtigisse Pastorem, tantum luctus et desiderii Traguriensibus effecit ejus amissio. Quod satis ostenderunt biennio post, cum Legatos ad Senatum Venetum miserunt . . . . *qui tractarent cum Rev. Patre D. Thoma Episcopo Recanatensi, ipsumque humiliter deprecarentur, ut dignetur per medium SS. PP. Eugenii reassumere hanc Ecclesiam Traguriensem in spiritualibus gubernandam*[2].

CXXVII. Paucis diebus postquam electus fuit Thomas in Episcopum Recanatensem, ipsoque procul dubio rogante, Eugenius IV *Ecclesiam S. Mariae de Monteurso* cum possessionibus suis donavit *Hospitali pauperum loci sive villae de Laureto*[3]. Fundaverat[4] Hospitale illud pius

[1] Ann. Camald. T. VII. app. p. 27. Monasteria multa in Dioecesi Florentina ab Eugenio per Thomam nostrum reformata recenset S. Antoninus in summa Hist. Tit. 12. Cap. 10. § 5.

[2] Farlat. Illyrici sacri T. IV. p. 406.

[3] Data est Eugenii Bulla 5. Idus Novembris 1435., et extat in Archivo Almae Domus. (App. N.° LXXII).

[4] Ante annum utique 1429. 22. Febr., quo die legatum invenimus factum *Hospitali S. Mariae de Laureto pro ejus reparatione et augmento.* (Ser Christoph. Ser. Anton.)

Sacerdos *Andreas Jacobi de Adria*, qui per quinquaginta fere annos Ecclesiae S. Mariae de Laureto Cappellanus extitit [1], partim e bonis propriis, partim e fidelium largitionibus *supra terram*, et *juxta Ecclesiam B. Mariae* ejusdem loci, consentiente Episcopo Recanatensi. Tanta erat tunc multitudo pauperum ad Hospitale illud *plerumque ob reverentiam ejusdem Virginis confluentium*, ut redditus eis alendis non sufficerent.

Ceterum Thomas Ecclesiam suam Recanatensem visitare, ut ego quidem existimo, nunquam potuit plurimis continuo negotiis distentus, quibus ob singularem prudentiam fidemque exploratam ab Eugenio adhibebatur. Die 24. Decemb. 1435. amplissimam ei facultatem Pontifex elargitus est ad reformationem Pistoriensis Ecclesiae, cujus administrandae mortuo Ubertino Albitio Episcopo cura ei demandata fuerat cum potestate decreta condendi, quae viderentur opportuna ad res istius Ecclesiae componendas. Leges Canonicis latas, mense Januarii 1436. in Archivo Pistoriensis Capituli adservari tradit Franc. Antonius Zacharias in Anecdotis medii aevi, et in Bibliotheca Pistoriensi p. 17. §. 10., ubi etiam editurum se eas in lucem promittit (l. c. p. 14.), sed promisso non stetit.

Thomae acta die 20. Febr. 1436. (juxta Stylum Florentinum 1435.) probavit Eugenius, ut est apud P. Contarinium l. c., qui et alias Eugenii litteras die 17. Februarii datas refert, quibus Thomae injungitur *reformatio* Sanctimonialium jesuatarum.

CXXVIII. Ad eumdem annum 1436. pertinet Bulla Eugenii IV data 23. Martii, qua in Ecclesia Metropolitana Florentiae *Seminarium is Cle-*

---

[1] D. Andraeas Jacobi Andreae de Adria Presbyter *morans in Ecclesia S. Maria de Laureto*, ita in charta anni 1399. In alia 1445. 20. Martii idem dicitur *gubernator et administrator Domus gloriosissimae Virginis Mariae de Laureto*. Eratque adhuc in vivis die 11. April. 1450. Pius hic Sacerdos in testamento condito An. 1447. 17. Augusti fundos duos Ecclesiae Lauretanae cum domibus legavit ad substentationem pauperum ad Hospitale et Domos S. Mariae de Laureto confluentium, quorum fundorum aeconomos esse voluit duos eligendus ab Episcopo, et Capitulo Recanatensi (Ser. Jacob. M. Petrutii in testamentis) (Append. N.° LXXVIII).

Ecclesia S. Mariae Montis Ursi a remotissimis temporibus ad Abbatiam S. Mariae Claraevallis de Flastra pertinuit. Silvas et pascua in fundo Montis Ursi eidem Abbatiae donavit An. 1179. Gislerius Recanati in charta superius a nobis allegata. Otto IV Imperator in diplomate An. 1211. Abbatiae confirmavit possessiones, et Grancias S. Mariae in Silva, Sarrociani, et *Montis Ursi*. Possessiones istas, in *Monte Ursi*, prope Lauretum sitas, cum pene desertae essent, concessit Eugenius Hospitali Lauretano, conservato Claraevallensibus ne quid damni paterentur, censu annuo duorum florenorum auri. Restiterunt vero diu admodum Abbates Monasterii illius, contendebantque irritam esse Eugenii donationem, quod juribus suis esset contraria. Tandem Nicolaus de Astis concesso Claravallensibus *Monasterio SS. Trinitatis de Macerata* eos ad concordiam adduxit.

ricorum instituit, quod *Eugenianum* postea vocari mos obtinuit, idque juxta relationem . . . . *Venerabilis Fratris nostri Thomae Recanatensis et Maceratensis Episcopi nuper Ecclesiae Florentinae in Spiritualibus, et temporalibus Administratoris*[1].

Seminarium ejusmodi, in quo deni saltem pueri in moribus, litteris, et cantu instituerentur, apud nos quoque fundari voluerat Thomas Episcopus in Monasterio S. Benedicti, in quo tunc Sanctimoniales nullae erant; verum renitentibus incolis Castrinovi res ad effectum deduci non potuit, prout alias etiam contigerat, cum Gregorius XII Ecclesiae nostrae praeesset[2].

Hoc anno Raticus Stephani Sclavus *Sacellum S. Petro Martyri* dicatum consentiente Petro Petinensi Episcopo Vicario Generali extruendum curavit.

CXXIX. Die 15. Octob. missus fuit Thomas ab Eugenio Aquilejam, ut Capitulo generali Humiliatorum ibi praesideret, quod celebratum est die 18. Octob. Acta illius, et constitutiones in eo factas edidit Tiraboschius lib. cit. T 3, p. 199. usque ad 227. Ceterum ab eodem Pontifice die jam 17. Augusti 1436. delectus fuerat Visitator, et Reformator Apostolicus per universam Aquilejensem Provinciam et Patriarchatum una cum Ludovico Barbo Abbate Monasterii S. Justinae Patavini. Decretum quoddam ab eis die 5. Febr. 1437. editum ad reformandos Clericorum, et Virginum sacrarum mores vidisse se testatur Bernardus Rubeus (in monumentis Eccl. Aquilejensis col. 1097.), quod decretum postea e Bibliotheca Oppidi S. Danielis descriptum in opere saepius a nobis laudato edidit P. Contarinius. Ejusdem forte decreti exemplar illud est, quod inter Codices manuscriptos Asceterii Veneti SS. Joannis et Pauli extat, indicaturque in catalogo eorumdem in Sylloge Calogeriana secunda T. 39. N. 579. scilicet — *Thomae Thomassini Paruta Recanaten. et Maceratensis Episcopi Ordinis Praedicatorum, et Ludorici Barbi Abbatis S. Justinae Visitatorum Apostolicorum in Patriarchatu Aquilejensi ordinationes de vita, et honestate Clericorum folia* 108.—

Plura alia documenta supersunt visitationis illius, quae pluribus annis duravit: Thomas die 19. Novemb. 1437. jussu Eugenii univit Monasteria S. Georgii de Fossano. et S. Crucis. (Flamin. Cornelius de Eccl. Venetis. T. 1. p. 65.)[3].

---

[1] Apud Cerrachinium p. 157., et Lamium in memorabilibus Eccl. Florentinae T. 2. col. 1147. et seqq., qui non adverterunt Bullam datam die 25. Martii 1435. juxta Florentinorum usum, quem Eugenius sequebatur, annos a die 25. Martii, idest ab Incarnatione Domini inchoantium, reipsa scriptam fuisse anno vulgari 1436.

[2] Annal. 1436. 22. Julii.

[3] Alias Eugenii ad Thomam litteras datas 6. Martii 1438. vide apud eumdem auctorem T. IV. p. 221.

Consecravit Utini Ecclesiam Patrum Dominicanorum die 20. Julii. Visitatoris munus cum Petro Episcopo Petinensi obiit die 4. Augusti in Civitate Austriae (Civita del Friuli) et solus Aquilejae die 3. April. 1439. Sanctimoniales Augustinianas transtulit in Monasterium S. Danielis, et Clarissas in Monasterium S. Nicolai de Murano. Jacobum quemdam Priorem Camaldulensis Instituti *suis culpis exigentibus prioratu privavit*, ut scribit Eugenius ipse in litteris datis die XI. Sept. 1439. apud Annal. Camald. T. VII. Ap. col. 48.

CXXX. Dum haec apud Venetos gererentur, exortum est dissidium inter Senatum Recanatensem, et villicos Episcopi, qui ad S. Mariae de Laureto habitabant, cujus dissidii auctor fuisse creditur Carolus Jacobi Thomassinus Episcopi nepos; is ut reditus augeret patrui, hortulo illi quatuor, ut ajunt, sextariorum (*Stari*) Ecclesiae S. Mariae Lauretanae, ejusque domui proximo, quem Respublica Recanatensis olim Episcopo ad famulorum usum concesserat, amplum spatium de silvis publicis detractum adjecerat, atque animalia ultra numerum ex pactis concessum longe plurima alebat, deque iis vectigal pendere detrectabat, ut alia leviora praetermittamus. Hinc decreta, et Senatus consulta facta fuere de puniendo severius Carolo, si pergeret turbas ciere, ac de recuperando solo injuste invaso etc. Tandem Vinciguerra Antonii de Giliis Venetias missus est, ut querelas ad Episcopum de nepote perferret, atque aureos 500. Rp. nostrae ab ipso mutuatos restitueret. Retulit Gilius capitula quaedam, quibus respondebatur ad querelas. Lecta sunt ea in Senatu die 26. Octob., et probata. Consenserat enim Episcopus, ut de animalibus, quae supra numerum 50. retinerentur, vectigal solveretur. (V. Annal. 1439. 5. Julii).

CXXXI. Haec a Thoma donec Episcopus fuit Recanatensis gesta accepimus. Transtulit eum Eugenius IV die 10. Octob. An. 1440. *ad Feltrensem, et Bellunensem Ecclesias* [1]. Extat in Archivo DD. Altaristarum Ecclesiae nostrae Cathedralis instrumentum, quo jussu Thomae Petrus Episcopus Petinensis *Congregationi Praesbyterorum*, sive Cappellanorum

---

[1] Ughell. T. V. col. 193. et Bulla in Archiv. secr. Civitatis Recanat.

** In Recanatensi Ecclesia Thomae vices obierunt:

1435-1438. Petrus Justinianus Epus. Petinensis.

1435-1436. D. Joannes Colae de Mevania Canonicus Recanatensis.

1439. D. Nicolaus de Plebanis Praepositus Recanatensis.

1440. D. Antonius Dominici Prior Ecclesiae S. Mariae Castrinovi.

Redituum vero ejusdem curam gesserunt An. 1436. *F. Paulus Nicolai de Bencievenis* de Civitate Castelli Ord. S. Dominici: 1436-1440. *Nob. vir Corolus Jacobi de Thomassinis de Luca* Episcopi nepos e commissione ipsi facta manu Ser Antonii de Manfredis de Venetiis.

Altare majus dictae Ecclesiae officiantium, donavit decem calices summi pretii, thuribulum argenteum, aliaque donaria, quae dum Recanatensi praesideret Ecclesiae in Aedicula Lauretana oblata fuerant voti solvendi causa, *intendens,* inquit, *Episcopalem Ecclesiam S. Flaviani, et ipsius Cappellanos, seu Altaristas honorare, et muneribus decorare ex multis muneribus, servitiis, et honoribus ab ipso receptis a praefatis Altaristis. Ecclesia, et Regimine Civitatis Racaneti:* eo tamen pacto adjecto, ut servarentur illa semper ad honorem et augmentum divini cultus, atque ad perpetuum decorem Sacristiae, et Ecclesiae, nullo unquam tempore alienanda.

Jacobus Philippus Thomassinius fidelem a Thoma navatam fuisse operam narrat in compescendo schismate Basileensi. Haec vero cum gratis ille nullo innixus documento adserat, fides, ut ait P. Augustinius, esto penes auctorem. Ceterum die 14. Augusti 1441. Thomam Eugenius judicem esse voluit litis, quae Patribus Observantibus Venetis movebatur de Ecclesia S. Jobi [1]. Die 13. Decemb. ejusdem anni, eodem Cornelio teste, Ecclesiam S. Luciae Monasterio Corporis Domini univit [2]. Tandem ad Ecclesiam suam Feltrensem accedere volens, quam non ignorabat industria ac sollicitudine sua non parum indigere, abdicavit se cura Monasterii S. Salvatoris, quod hactenus administraverat [3]. Neque tamen diu Venetiis abfuit. Etenim ibi die 14. Julii 1443. Ecclesiae Traguriensi ornamenta quaedam, et vestitus sacros donavit [4]. Testamentum ibidem condidit die 22. Januarii 1444., quo ornatus sacros Ecclesiis quibusdam Ordinis Dominicani, et Monasterio Corporis Domini legavit; mortalitatem denique explevit die 24. Martii 1446. in eodem illo Monasterio, ubi et sepulcrum nactus est, ut ex epitaphio, e Chronico manuscripto Bartholomeae Riccoboniae, et e Necrologio Monasterii adversus Ughellium, Quetif, et alios demonstravit Augustinius saepe laudatus.

CXXXII. Scripsit Thomas praeter *Historiam Concilii Constantiensis de divinissimo Corporis Christi Sacramento carmen heroicum.* -- *Sermones de Sanctis,* et Rovetta teste, *Sermones de tempore;* quibus adjunge *Constitutiones,* quas praescripsit Pistoriensibus Canonicis, Humiliatis, Clero Aquilejensi etc.[5]

---

[1] (Flam. Cornel. T. XII. Eccl. Venet. p. 106.

[2] Idem T. VIII. p. 378.

[3] Augustini in Sylloge Calogeriana l. c.

[4] Farlat. Illyr. sac. T. IV. p. 404.

[5] In collectione maxima Conciliorum ultimae editionis, T. XXX. col. 1185. liber commemoratur *Antonii de Cannario ad Dominum meum Episcopum Recanatensem, et Maceratensem pro Papa Eugenio contra Concilium Basiliense*, quo sermonem quemdam

Tempore Thomae Episcopi vixit *Benedictus de Recaneto* Ord. Praedicatorum Ariensis Episcopus, qui an. 1438. die 10. Maji, Ughellio teste, translatus est ad Ecclesiam Balneoregiensem, obiitque An. 1445. (Bremond. Bullar. Dominic. T. 3. p. 218. et 224., Charta Anni 1437. in Archivo Conventus SS. Joannis, et Pauli Venetiis, et Ughellius Coleti T. I. p. 515.).

XVII. NICOLAUS DE ASTIS

CXXXIII. Inter Episcopos Recanatenses, ut nos quidem arbitramur, nullus est, qui de Ecclesia sua melius fuerit meritus, majoremque virtutum omnium, inprimis vero munificentiae erga pauperes et Ecclesias plane singularis famam reliquerit ac *Nicolaus de Astis*, cujus ea propter nomen celebratum merito fuit a Scriptoribus, quotquot de eo meminerunt, omnibus, Blondo, Compagnonio, Marchesio, Bonolo, Calcagnio, aliis [1], cujusque semper in benedictione erit memoria apud Recanatenses suos, donec in pretio erunt Sanctae Religionis, Patriaeque amor, ac miseros juvandi studium.

Natus est Nicolaus patre Cicco Philippi de Astis Foroliviensi, e familia in primis clara, et nobili, quae hodieque floret [2].

---

refellit a Nicolau Panormitano coram Patribus Concilii habitum An. 1437. Episcupum Recanatensem, cui liber dicatus est, fuisse Thomam veri admodum simile est. Auctor Antonius de Cannario Jurisconsultus fuit Recanatensis aetate illa celeberrimus, qui Mansium latuit, et Bibliothecae Picenae editores. Extant in collectione Veneta tractatuum juris, *Tractatus Antonii de Cannario de executione instrumentorum* T. V. f. 39. — *De insinuationibus*, T. VI. p. 2. f. 273 — *De executore sine mandato* T. XI. p. 1. f. 308. — *De Quaestionibus* T. XI. p. 2. f. 273. — Liber vero adversus Concilium Basileense repertus fuit a Felino Sandeo in codice actorum illius Concilii, quem possidebat Archiepiscopus Beneventanus: in lucem tamen, quod, sciamus, nunquam prodiit: Obiit Auctor An. 1451., sepultusque est ad S. Francisci: epitaphium nuper interiit. Nepos Antonii *Perantonius de Benciolis de Cannario* civis Recanatensis *Potestas* fuit Sanseverinensium An. 1445., et Cingulanorum An. 1448. Ab hoc prodiisse existimamus Familiam *de Putiis sive Puccis*, quae nuper extincta est. Haec attingere placuit, quod ad Historiam literariam Civitatis nostrae et ad res Thomae Episcopi pertinere quodammodo videbantur.

[1] Vid. Blondus Ital. illustr. regione V., Compagnionius in Regia Picena, Marchesius *Elogj degl' Illustri Forlivesi ec.*

[2] *Bartolinus* de Astis An. 1358. Meldulae pro Francisco Ordelaffio praefectus fuit (Bonoli p. 461).

Ghellus An. 1375.

Gerardus de Astis Potestas fuit Maceratae an. 1413. (Reg. Picen).

Fratres Nicolai Episcopi *D. Guardi* Legum Doctor, *Antonius*, cujus filia *Gentilis* uxor fuit Guilielmi Rogerii de Numais, *Pinus*, *Joannes* miles Hierosolymitanus, et *Baptista* Doctor Decretorum.

CXXXIV. Hac igitur stirpe progenitus Nicolaus, adolescens sacris et philosophicis literis, medicaeque arti operam dedit eo profectu, ut medicinae lauream assecutus fuerit, atque Alidosio teste, ab an. 1405. ad 1419. usque in Bononiensi Accademia Dialecticam, et Astrorum scientiam publice docuerit, magnamque eruditionis famam sibi comparaverit, ut Blondus affirmat Nicolao affinitate conjunctus [1].

Archidiaconus inde Candrosiensis in dioecesi Leodiensi, ac Subdiaconus Eugenii IV Pontificis Maximi creatus est, qui eum una cum Blondo Florentiam primum, deinde Venetias misit, ut cum utraque Republica de negotiis quibusdam summi momenti tractarent, quae et feliciter confecerunt.[2]

CXXXV. Renuntiatus est Nicolaus Recanatensium, et Maceratensium Episcopus die 10. Octobris an. 1440.[3], ingentique cum laetitia exceptus est nuntius de electione tanti Viri; et longe majore Episcopus ipse, cum mense Januario An. 1441. Recanatum adiit, obviam ei prodeuntibus Praetore, Consulibus, Patriciis, universoque populo. Ingressus urbem fuisse legitur sub umbella pretiosissima, quam deferebant Optimates Viri, per vias ornatas undique tapetibus sive aulaeis, ac decoratas arcubus triumphalibus, ut nihil dicam de festiva tormentorum bellicorum explosione, tympanista-

---

Filii Joannis *Pinus* Archidiaconus primom Recanatensis, postea Maceratensis, qui obiit An. 1488., *Antonius*, a quo genus ducunt Nobiles Astii, qui Forolivii adhucdum florent, et *Andrea* uxor Troogbini Aodreae Trooghini de Forolivii.

Filius Baptistae Comes *Ceccus* de Astis lares fixit Auximi, ubi uxorem duxit Joannom filiam Petri Colae de Monticulo, et Leonettae Viduae Jacobi de Leopardis. (Compagn. Memor. della Chiesa Osim. T. 3. p. 488).

Ceccbi filius *Jaannes Baptista*, qui Ao. 1532. Potestas Castroficcardi praefuit.

Bartolinus, et *Philippus* Magii filii, Nicolai Episcopi nepotes ao ex fratre, an ex consubrino, non liquet. Philippi filii *Petrus Antonius* Archidiaconus Recanatensis, ac Auditor Locumteoeotis Marchiae obiit Ao. 1461., *Paulus*, *Jaannes Andreas*, et *Bartholomaeus*.

Hujus au Barthulini Senioris filius *Thomas* fuit, qui Forilivii Episcopus creatus est Ao. 1483., Praefectus fuit Latii, subinde Viterbii, Perusiae, et Ao. 1507. Piceni. Obiit Romae An. 1512.

Nepotes e Surore oescio an oepte habuit Nicolaus *Tiberium*, et *Stephanum de Nardinis*. Hic Archiepiscopus fuit Mediolanensis, S. R. E. Cardinalis, et Apostolicae Sedis Legatus Aveuione.

[1] Flavius Blondus Foroliviensis fuit, nobili et ipse genere natus. Extat in Archivo Recanatensi in Actis Ser Antunii Jannis Testamentom Nobilis Viri Jacobi *Blondi* de Forolivio Capitanei, ut ajebant, armorum, conscriptum An. 1383., in quo haeredes scripsit Beneivenium, Janninum, et Santinum fratres suos. Unde intelligitur familiae, ex qua Historicus ille prodiit, nomen fuisse Bloodi, de quo a nunnullis dubitatum fuit.

[2] Blondus Decade 3. l. 5. p. m. 479.

[3] Bullae in utroque Archivo Recanateo. et Maceraten.

rum et musicorum copia, qui laetos edebant sonitus, deque aerium sacrorum concrepitu. Praecurrerat enim fama virtutum Nicolai, et benemeritus fuerat de Rp. nostra, antequam Antistes ei esset Sacrorum; mutuatus nimirum ei fuerat, cum prompta opus haberet pecunia, ducatos aureos 271. Episcopus creatus conficiendum curaverat aere suo magnificum tabernaculum sive thecam reponendo sacro B. Margaritae Virginis et Martyris Capiti, affabre sane elaboratum, ita ut materiam (pendebat libras plus minus 17. argenti) superaret artis excellentia. Insigne id opus, cui insculpta erant insignia Gentis Astiae, quodque ob pondus nonnisi incommode circumferri poterat in processionibus, liquari, ac in effigiem argenteam capitis converti jussit Card. Julius Roma [1].

CXXXVI. Convertit se statim Nicolaus ad componendum Ecclesiarum suarum et Cleri statum, qui ob diuturnam praecedentium Episcoporum absentiam, ac bella et seditiones, quae totam late Provinciam pessumdederant, miserabiliter conciderat. Prima vero, et praecipua ejus cura fuit, dum vixit, ut decori consuleret Ecclesiae Episcopalis Recanatensis, quae tunc Capitulo erat destituta, Canonicis in Ecclesia S. Viti sacra facientibus.

Superius exposuisse nos meminimus originem *Congregationis Altaristarum* Ecclesiae Cathedralis, quae hodieque floret. Erant hi Sacellani Altarium, sive Beneficiorum in Ecclesia Cathedrali fundatorum: coiere in Societatem; dum bona sua non uni alterive, sed omnibus iis, qui in Ecclesia praedicta Beneficium obtinerent, donavit pia mulier Corradina sive Corradutia ea lege, ut e fructibus distributiones fierent inter illos tantum, qui 48. Officiis ab ipsa fundatis interfuissent. Exemplum Corradutiae secuti sunt multi. Hanc itaque Congregationem sibi tuendam, ornandam, augendam sumpsit Nicolaus. Constabat ea, ut liquet ex Actis antiquioribus conscriptis a Jacobo Petrutii Not. (Protoc. anno 1440. ad diem 11. Febr.) e Canonicis quatuor, ac novem aliis Presbyteris.

CXXXVII. Cum animadvertisset Episcopus defecisse omnino paucas, quae Monasterium S. Benedicti incoluerant, sanctimoniales, extinxit illud, Ecclesiamque cum bonis univit die 25. Martii anno 1441. Altari Majori S. Flaviani . . . . *pro augmentatione divini cultus, et sustentatione Altaristarum et officiantium dictum Altare.* Attamen sexennio post Monasterium restituit, donavitque sanctimonialibus, quae ad S. Eliae, et S. Nicolai Ecclesias habitaverant.

---

[1] Argenti aliquot libras ad hoc Operis contulerant Vitellescus, et Thomassinius Nicolai decessores. Praetium laboris fuerunt 90. ducati aurei, quos persolvit Astius Episcopus Mag.° Spinutio Matthaei aurifici An. 1445.

Mense Aprili Episcopus duos Juvenes Perusiam mittendos curavit, qui per septennium Leges tum Civiles, tum Canonicas addiscerent: sciebat enim Benedictum de Guidalottis decessorem suum testamento cavisse, ut in Collegio, quod is Perusiae constituerat, Sapientiae novae gratis duo Recanatenses Juvenes Legum studiosi alerentur.

Mense Julio die 9. effecit, ut a Canonicis quatuor eligerentur *Canonici*, ut ajunt, *supranumerarii*, sive Coadjutores Capituli universi, qui Chori officiis fungerentur, Praebendis licet carentes, accepturi tamen illas, quae primo essent vacaturae.

Eodem mese Sodalitio S. Jacobi licentiam concessit Oratorium in Nosocomio, quod extra Portam marinam habebat, extruendi.

Mense Novembri decretum edidit, quo vetabantur Viri Religiosi aegros ad legata Ecclesiis suis facienda, aut sepulturam in eis eligendam inducere. Ipse vero portionem canonicam, quae de legatis sibi persolvenda erat, ad pontes, fontes, ac vias reficiendas impendi liberaliter voluit.

CXXXVIII. Transactis Festis Natalitiis Maceratam abiit, ibique per aliquot menses moram fecit, felicem eam et Ecclesiae Maceratensi auspicatam. Inventum enim fuit eo ipso tempore Brachium S. Juliani Maceratensium Patroni; id Episcopus Nicolaus includi jussit brachio argenteo gemmis ornato, quod pecunia sua conficiendum curavit. Pluribus de inventione insignis hujus Reliquiae agit Pompejus Compagnonius in Regia Picena p. 348.

Maceratenses Canonici repetere a Capitulo nostro non cessabant vestes sacras, mitram, et aulaea, quae Cardinalis Andreae Bontempii quondam fuerant. Diuturnam hanc inter fratres litem Nicolaus pater diremit. Mitram enim pretiosissimam [1], quam pecunia sua conficiendam curaverat, Maceratensi Ecclesiae donavit eo pacto, ut discordia vetus finem haberet.

Verum nos Maceratensis Ecclesiae rebus praetermissis, ea breviter perstringamus, quae Nicolaus Recanati, ubi continuam fere totis 29. Episcopatus sui annis moram egit, memorata digniora gessit.

Anno 1442. complura, urgente Episcopo, a Senatu facta sunt circa morum disciplinam decreta, uti: *ne ludere fas esset die Natali Domini Servatoris nostri — Festus esset dies S. Monicae Matris S. Augustini* — aliaque id genus. Episcopus ipse matrimonia clandestina prohibenda censuit, praecepitque ad Sacramentum illud recipiendum adhiberi ceremonias consuetas, ac benedictionem Sacerdotis. [2]

---

[1] Valoris 55. Ducatorum. (Vide Annal. Recan. 1441 Novemb.)

[2] Id solum hic indicasse sufficiat, quod Ecclesiam S. Juliani Episcopus noster *noviter reaedificavit*, ut habemus ex apocha an. 1464. prima Martii (Ser Jacob. M. Petru-

CXXXIX. Obediebant ea tempestate Recanatenses Francisco Sfortiae, qui Picentes vi et astu subegerat [1]; ut superius narravimus. Decimo demum anno Dominationis Sfortianae conjunxerunt arma Nicolaus Piccininus, quem Eugenius IV copiarum suarum Ducem creaverat, et Alphonsus utriusque Siciliae Rex, ut usurpatorem e Piceno ejicerent. Et Recanatenses quidem postquam Rex Alphonsus, litteris datis Septempedae die 18. Augusti 1443. Picentes invitasset, ut Ecclesiae Romanae relicto Sfortia se subjicerent, ad gremium Matris et Dominae confestim rediere. Deditionis leges tabulis consignatae fuerunt die 29. ejusdem mensis: quam diem S. Augustino sacram in perpetuum festivo ritu celebrandam esse decreverunt. Romam deinde Oratores missi, inter eos Episcopus, et Jacobus Melli (Condulmarius) Pontifici amicissimus, qui Civium animum Majestati ejus devotum publice contestarentur. Mense Septembri liberatorem suum Alphonsum Regem, quem pietas ad invisendum Mariae Lauretanae Templum pertraxerat, laeti exceperunt. Eugenius porro litteris datis 12. Sept. veniam ipsis indulsit eorum, quae inde a Sfortiae adventu in se peccaverant, *metu potius perditionis et finalis exterminii Civitatis et Personarum, quam mera voluntate*. His confectis cum Auximanis auctore Episcopo foedus sancitum est, populusque Recanatensis se copiis Legati Pontificii, et Auximatium junxit, ut Castrum Ficardi in rebellione pervicax aut exscinderent, aut ad mandata Ecclesiae facienda adigerent. Deinde muniendam quo fieri poterat meliori modo Civitatem esse constituerunt Patres Conscripti. Quod opus ut feliciter succederet, celeriterque ad finem deduceretur, contenderunt omni opera Episcopus, Clerus, Civesque universi. Episcopus concessit destrui Ecclesias et Monasteria muris proxima, quotquot inter Ecclesiam S. Francisci et Portam marinam sita erant [2]. Sodalitium S. Luciae 40. ducatos auri dono dedit: Clerus ducatos 100.: reliqua Sodalitia non tantum medietatem Legatorum, quae pia dicuntur, ut die 18. Decembris 1443. concesserat Eugenius IV, sed integra Legata ad extruenda, et reparanda moenia expenderunt ad annum usque 1447., quo anno die 29. Augusti Episcopus jussu Nicolai V Sodales omnium Sodalitiorum solemniter a censuris absolvit, quas incurrerant ob distractam illicite alteram Legatorum

---

tii), nescio an ex redditibus Ecclesiae Maceratensis, quippe qui tenues admodum fuere; locatos enim fuisse comperimus Anno 1468. 15. Sept. D. Marco Colae Canonico Maceratensi pro 30. florenis annuis, atque ex his Episcopo solvendae erant *taleae* (le contribuzioni) et *expensae carnium* pro festo S. Juliani. Vide Annal. 18. Martii. 18. Octob., et 9. Decemb.

[1] Litteras ad Recanatenses dedit Franciscus Sfortia die 24. Junii 1442. quibus eos, ut in fidelitate manerent, impense hortabatur.

[2] Hae occasione interierunt Monasteria Sancti Eliae, et S. Nicolai.

medietatem, poenitentia injuncta, ut per tres hebdomadas feria sexta jejunarent, ac ter Aediculam Lauretanam visitarent. Collegia Mercatorum, et S. Luciae plurimos insuper fundos vendiderant, quorum pretium in moenia condenda insumptum est.

CXL. Sequenti Anno (1444) minus propitiam expertus est fortunam exercitus Pontificius; etenim die 23. Augusti ad Montem Ulmi cladem accepit maximam, parumque abfuit, quin Cardinalis Dominicus Capranica Legatus caperetur, qui egregii Imperatoris munere fungens pro Ecclesiastica Ditione recuperanda in acie inter arma versans susceperat vulnera[1]. Capta tamen fuit universa ejus familia[2]. Pars copiarum cum ipso Cardinali, Jacobo Piccinino, et Jacobo de Gaivano Recanatum se receperunt. Dediderunt se, post infelicem illam pugnam, Francisco Sfortiae Macerata, Cingulum, Treja; et graviora timebantur. Verum Recanatenses nostri tantum abest, ut ad defectionem spectarent, ut potius interroganti Card. Dominico, quis ipsis animus esset, responderint omnes, responsumque solemni juramento firmaverit universus Populus: amissuros se animas potius, quam a fidelitate Principis deflexuros. Auctores consilii fuerant inprimis Antonius Putii Benciolus de Cannaria Jurisconsultus, Gerardus Antonii Gerardutius, et Joannes Monaldi Vulpinus. Quibus auditis Cardinalis pollicitus est, se cum militibus suis Recanati mansurum, ac una cum nostris pro Patria, et Principe ad interitum usque pugnaturum. Dum haec agebantur fama erat, adventare cum exercitu Franciscum Sfortiam, jamque imminere Castro Ficardi Oppido vicino.

Die Veneris octava Octobris, inquit Auctor Chronici Firmani, *D. Alexander* (Sfortia) *existens cum exercitu ad Portum Recanati dictum Portum praeliatus fuit, et per vim tenuit, et ibi cepit quatuordecim captivos.*

Paucis post diebus (die 18. Octob.) ad pacis pacta ventum est, e quibus praecipuum illud fuit, ut Recanatensis civitas Pontifici subdita esse pergeret, suusque ipsi Portus restitueretur. Sic enim definitum fuit 16. Nov. a Nicolao S. Marcelli, Joanne S. Laurentii in Lucina, et Ludovico S. Laurentii in Damaso Cardinalibus, atque a Nerio Gini de Capponibus Florentino, quibus Eugenius et Sfortia potestatem fecerant controversias, quae supererant inter utrumque, componendi. (Calcagni p. 65. et excerpta Leopardiana). Ceterum Eugenius Nicolao Episcopo nostro, et nobili viro Stasio Gritti Veneto id muneris injunxit, ut capitula, de quibus conven-

---

[1] Addenda ad Ciacconium fol. 1114.
[2] Annales Cingulani.

tum fuerat, et pacem constitutam in Marchia Anconitana observari curarent, litteris datis Romae 14. Kal. Decembris [1].

Auximo itaque, et Recanato solis ea fortuna obtigit, ut sub Ecclesiae Romanae imperio conquiescerent. Picentes ceteri jugum Sfortiae denuo subire necesse habuerunt.

CXLI. Quamvis autem hoc anno bellis tumultibusque omnia perstrepuerint, his tamen effici nequaquam potuit ut Nicolaus minus erga Ecclesias suas liberalis esset et munificus. Etenim Ecclesiam nostram Cathedralem exornari curavit throno Episcopi, sedibusque Canonicorum et Altaristarum affabre elaboratis, cum coelaturis variis elegantissimisque. Conspiciebantur Episcopi insignia gentilitia hinc et inde in ipso aditu Chori, primaeque sedi insculpta erat sequens inscriptio:

A. D. M CCCC. XLIIII. hoc opus
fecit fieri Reverendissimus in
Christo Pater et Dominus Dominus
Nicolaus de Astis de Forolivio
Episcopus Recanatensis et Maceratensis
de Mense Junii.

In fornice et parietibus Chori depingi voluit gesta S Hieronymi, cui prae ceteris Coelitibus devotus erat. In altari vero collocandam curavit tabulam maximam, pretiosisque coloribus auroque illitam [2], quam An. 1441. pingi jusserat. Perstiterunt haec, donec Julius Card. Roma Chorum in aliam formam redegit.

CXLII. Maceratae die 31. Decemb. in Cathedrali Ecclesia Sacellum Sanctis Hieronymo, et Juliano Sacrum Nicolaus fundavit, cujus primum Sacerdotem constituit Petrum Antonium Astium Nepotem [3].

Verum longe majus est Beneficium, quo Maceratenses suos An. 1445. sibi obstrinxit. Parebant ii adhuc una cum aliis Oppidis vicinis Francisco Sfortiae. Sed Nicolaus hortari non destitit Senatum Recanatensem, ut auctoritate sua id efficere studeret, ut ne quis in Piceno reliquus esset, qui Eugenii jussa non faceret. Sic persuasum est Maceratensibus, ut Oratores tandem die 31. Octobr. mitterent, qui civitatis nomine ad Ecclesiae Ro-

---

[1] Archivum Ecclesiae Cathedr. Recanaten.

[2] *Auro Venetiano fino, azzurro ultramarino, aliisque coloribus fin's.* Tabula alta fuit pedes undecim, lata octo cum dimidio. Ab Altari majore translata est postea in Aram S. Rochi.

[3] Ser Jacobus M. Petrutii.

manae obedientiam redirent. His Episcopus noster capitulationem concessit honorificentissimam illam ac paterni amoris plenam, quam refert Compagnonius in Reg Pic. pag. 366. Licet enim post multas alias civitates, ac fere postrema, Principi suo se subjecerit Maccrata, id tamen consecuta est, ut deinceps *perpetuis futuris temporibus* sedes esset Curiae Generalis, et proinde Metropolis quodammodo haberetur et caput Provinciae. Hujus enim praerogativae promissio in pactis illis continetur; cujus promissionis servandae Episcopus ipse sponsionem fecit una cum Senatu Recanatensi. Id non praetermittendum hic loci existimo, quod Jacobus Petrulii Cancellarius Episcopalis in protocollo suo memoriae prodidit: Nicolaum Episcopum die 1. Febr. 1445. *speciali mandato Summi Pontificis insignivisse spectabilem, et generosum militem D. Franciscum de Scalamontibus de Ancona* coram ipso genuflexum *eo signo, quo Pontifex ipse Supremus Milites consuevit insignire,* videlicet, *clavibus Ecclesiae, et mitra desuper pontificali; et ipse* (D. Franciscus) *juravit ad S. Dei Evangelia esse devotus, fidelis, et obediens praefati SS. D. N.* — Ex quo et antiquitas elucescit Equitum S. Petri, et ritus eos creandi, quamvis An. demum 1520. Ordinem sive Societatem ex eis conflaverit, ac privilegiis insigniverit Leo X.

CXLIII. Constituit hoc anno die 14. Martii Capitulum Canonicorum Recanatensium, ut quivis deinceps in Canonicum eligendus, antequam *ad Chorum et Stallum admitteretur, solveret Capitulo pro paramentis, et aliis ornamentis Ecclesiae S. Viti Ducatos decem auri*[1].

Huic Decreto aliae quaedam constitutiones additae fuerunt An. 1446. 28. Januarii, nempe: I. *optioni Praebendarum* locum in Collegio deinceps fore, ita ut Collegis relicta propria fas esset defunctorum Praebendas arripere. II. Canonicis supra numerum legitimum adlectis locum quidem in Choro dandum esse, *non tamen jus suffragium in Capitulo ferendi, neque Mutias portandi.* III. Canonicos alios supra numerum non fore eligendos, donec numerus ad octonos reductus foret. Constitutiones supradictas confirmavit Nicolaus decreto edito die 18. Martii 1453. quo normam praescribit solemnitatis, qua recipiendi in futurum essent novi Canonici, addens ne Canonicis quidem e numero praescripto jus fore suffragii iis qui nondum ad sacros provecti forent Ordines[2].

---

[1] Canonici horas Canonicas in Ecclesia publice non recitabant, ideoque Ecclesia S. Viti vix non deserta erat. Tandem 1460. 14. Januarii edidit Nicolaus Episcopus constitutiones *pro Altaristis illius*, inter quos nonnulli erant Canonici, constituens servari hebdomades, ac Vesperas, et Missas cantari debere diebus festis ec.

[2] Qua constantia jura sua, et antiquas Capituli constitutiones defenderint Canonici Recanatenses ex eo facto inprimis manifestum est, quod e Jacobi Petrutii

Eodem anno die 26. Decembris Nicolaus Episcopus leges quasdam Sacerdotibus Altaristis Majori Ecclesiae Cathedralis Altari addictis praescripsit, e quibus praecipua est quinta, ut *diebus Dominicis ac festis intersint Altaristae omnes Missae, quae solemniter ad Altare majus cantabatur.* Altaristis, ut ex ipsa constitutione, et clarius ex instrumento anni ejusdem d. 21. Octobr. constat, tunc annumerabantur septem Canonici, et quinque alii Presbyteri. (Vid. Codic. Hieronymi Ser Jacobi in Archiv. Recanat.).

CXLIV. Neque desiderari a se passus est Episcopus hoc anno testimonium tenerrimae illius devotionis, qua erga Virginem Lauretanam, cujus Aediculae ipse praeerat, ferebatur; etenim cum intellexisset — *prope et immediate ad Sacratissimam Ecclesiam Sanctae Mariae de Laureto esse aliqua Altaria*, atque inter ea unum, *quod non erat dotatum nec sub vocabulo alicujus Sancti vel Sanctorum nominatum*, dotem ipse huic

---

nctis referam. Obtinuerat Perus quidam filius Petri Ser Johannis bullam pro Canonicatu, qui foret proxime vacaturus, camque bullam pro ea, qua Sedis Apostolicae auctoritatem prosequebantur, reverentia admiserant Canonici. Verum cum exclusis Canonicis Supernumerariis locum ille non decimum tertium, sed nonum idest, primum post Canonicos, assignari sibi peteret, protestatus est contra ejusmodi postulata is, cui bullae executio commissa fuerat his verbis: « Ego Donnus « Jacobus Vaunis Canonicus Recanatensis et in hac parte executor deputatus per « Venerabilem Virum D. Antonium de Racanato Priorem Ecclesiae S. Mariae de « Castro Novo de Racanato executorem apostolicum cujusdam gratiae expectativae « in favorem dompni Peri Petri de Racanato super facto Canonicatus ec. dico « et respondeo tibi Dompno Francisco procuratori dicti Dompni Petri, qualiter « paratus sum obedire mandatis SS. D. N. Papae: pro tanto dico, quod tu Donne « Francisce procurator praedictus debeas jurare observare statuta et consuetu- « dines nostri Capituli Recanatensis, prout in ipsa bulla continetur; et hoc facto « introducam te dicto nomine in *possessionem XIII. loci sive Sedis Canonicorum*, et « similiter in Choro, et Stallo, quia sic jus vult. Si contentus es, offero me para- « tum mittere executioni; et si non es contentus, protestor, quod per me non « stat, quominus obediam bullae praefati D. N. Papae. »

De cetero primum fuit hoc exemplum Canonici, qui praebendam suam ex concessione Summi Pontificis, non ex electione libera Collegarum acceperit. Equidem diu obstiterunt Canonici, ne ammitterent jus electionis; cumque obluctari aperte mandatis Principis nefas esset, cogere solebant eos, qui recipi cupiebant, ut renuntiarent bullis, et eligi se a Collegio sinerent. Mos ille obtinuit ad initium usque saeculi XVI. Tunc enim electiones paulatim in desuetudinem abierunt. Vid. Ser Jacob. M. Petr. 1475. Febr. d. 20., et 1480. 12. April. (Archiv. Eccl. Cathedr.) Quod vero ad Episcopos adtinet An. 1480. Cardinalis Roboreus primus id sibi sumpsit, ut invito Capitulo Canonicos constitueret. Reluctantibus tamen et reclamantibus aures faciles praebuit, ac deinceps ab hoc incepto destitit. Nunc alternativa, ut ajunt, obtinet Datariam Apostolicam inter et Episcopos juxta regulas Cancellariae.

altari, et titulum *S. Hieronymi* constituit, voluitque ternas a Beneficiario Sacerdote Missas in singulis hebdomadibus pro ipsius anima celebrari. (Ser Hieronym. Ser Jacobi p. 42.) Primus altari huic Sacerdos assignatus fuit die 20. April. 1446. D. Ciccus Francisci Maxii de Monte Ulmi.

CXLV. Anno 1447. instauravit Nicolaus Monasterium S. Benedicti, quod, cum nullae jam in eo essent Virgines Sanctimoniales, An. 1441. Dominico Antonii Canonico Recanatensi pro Beneficio contulerat. Sed cum haud diu post, ut moenia civitatis loco commodiori extruerentur, sublata fuissent Monasteria S. Nicolai, et S. Eliae Ordinis S. Clarae, ac Sanctimoniales privatis in aedibus degerent, et nonnullae etiam vagarentur, ea fuit praecipua Episcopi cura, ut et Dominicum induceret, ut juri suo in S. Benedicti, quod diximus, Monasterium renuntiaret, tum vero ut Antonio Jacobo Venerio, cui ab Apostolica Sede id commendatum fuerat, persuaderet, ne bulla sibi concessa uteretur. Quorum consecutus est utrumque, ita ut die 21. Martii 1447. instrumentum confici potuerit, quo Nicolaus Episcopus Sanctimonialibus Monasteriorum S. Nicolai, et S. Eliae concessit incolendum Monasterium S. Benedicti eo pacto, ut quotannis pro eo libra una piperis die festo S. Flaviani pendenda esset Episcopis successoribus.

Dies S. Sebastiano sacra inter festos Reipublicae Recanaten. dies adnumeratur A. 1447. die 16. Sept., ejusque imago in Sacello Curiae depingenda esse decernitur.

CXLVI. Eodem fere tempore, quo Sanctimoniales Monasterio et vitae, quae Ordinis sui institutis conformior esset, restitutae fuerunt, incessit Recanatenses omnes desiderium ingens, ut Virorum penes ipsos Coenobium esset, qui juxta S. Francisci regulas primigenias, neque Pontificum auctoritate temperatas vitam agerent, quod genus Religiosorum *Observantes* appellant. Percommode vero acciderat, quod Eugenius IV P. M. Sancto Joanni Capistrano *Vicario Generali praefati Ordinis in Italia* potestatem fecerat sex loca ubicumque consistentia cum Ecclesiis, campanilibus, campanis, hortis, aliisque necessariis officinis fundandi, construendi, recipiendi, et perpetuo retinendi, isque animo constituerat Coenobium hujusmodi haud procul a Recanatensi Civitate in colle amaeno, qui *Monsacinus* appellatur, aliove, si quis esset magis idoneus, loco fundare; designaveratque Fratrem quemdam Christophorum Ser Andreae filium Civem nostrum, qui suo nomine rem aggrederetur, perficeretque. Huic vero prae Monte acini placuit Ecclesia S. Mariae de Varano, quae peculiari olim Praeposito paruerat, tunc vero ad Ecclesiam S. Viti, ejusque Capitulum et Praepositum spectabat. Itaque habito consensu Episcopi, Praepositi, et Canonicorum Recanatensium possessionem Ecclesiae S. Mariae de Varano extra muros, et campi cujusdam contigui die 29. Maij 1447. adierunt Procuratores sive Syndici Ordinis Fra-

trum Minorum de Observantia Jacobus Pieri Carbonus, Gaspar Jacobi Confalonerius, Antonius Poloni Bonjoannius, et Gentilis Venantii de Caleagnis [1].

Quibus peractis manum operi admovit Episcopus, suisque sumptibus intra triennium fabricam absolvi curavit Monasterii, quo amplius et commodius vix ullum habuit in Piceno Observantium Societas.

Munificentiae, qua usus est hac occasione Nicolaus, testis est inscriptio, quae in fronte Templi apparet ad dexteram introeuntium, cujus exemplum hoc est:

Rm̃us Pater Dñus Nicolaus
De Astis de Forlivio Episcopus Rac.
et Mac. fecit fieri istum locum
ad laudem Dei M. CCCCL [2].

Locum eo ipso anno, quo fabricari coeptus est, Patres Observantes incoluerunt novem, inter quos Fr. Laurentius de Sicilia Concionator illa aetate perecelebris [3].

Ut esset unde Patres alerentur, donavit Nicolaus quinque domunculas, hortum, et agellum Sodalitio S. Luciae eo pacto, ut perpetuo ea locaret ad pensionem, atque *de fructibus teneatur supplere necessitatibus Fratrum S. Mariae de Varano, et residuum dispensare inter pauperes Christi degentes in Hospitalibus dictae Fraternitatis, vel in aliis piis operibus, prout ipsi videbitur, et placebit* [4].

Iisdem conditionibus oblatae fuerunt Sodalitio illi a privatis quibusdam duae domus, et An. 1449. 9. Octobr. hereditas universa Nob. viri Antonii Magini Guidatii de Vulpinis [5].

Denique, ut liberalitas Nicolai Episcopi erga Patres Observantes numeris omnibus absoluta esset, Bibliotheca etiam ipsos instruere voluit An. 1459. 3. Decembr. donatis Coenobio quinquaginta et amplius codicibus manu exaratis, quorum extat catalogus; interdicens, ut in perpetuum ad-

---

[1] Ser Jacobus Mag. Petrutii, et Ser Hieronymus ejus filius in Protocollis.

[2] Impensa fuit in fabricam Coenobii dimidia haereditas Ser Andreae Matthaei Notarii Recanatensis, quae Fr. Christophoro ejus filio obvenerat (Ser Jacob. Petrutii p. 397.) Sed cum ad summam 250. florenorum tantum pertigerit, aestimare facile est, quantilla pars fuerit sumptuum, quos in tanto opere fieri oportuit. De cetero cisternam ex aere a fidelibus collato An. 1455. extruxit S. Jacobus de Monte prandone, annisque sequentibus Respublica Recanatensis summas quoque satis magnas suppeditavit (100. Ducatos An. 1459. ec.)

[3] Auctor is fuit Recanatensibus, ut Nomen Sacratissimum Servatoris supra Portas Urbis depingendum curarent.

[4] Ex codice instrumentorum Sodalitii S. Luciae ad An. 1448. 11. Augusti, et 13. Octob.

[5] Ser Iacob. Mag. Petrutii p. 48.

servarentur omnes, neque fas esset vel unum ex eis distrahere: quod si accideret libros illos omnes a Patribus in Collegii Canonicorum Recanatensium potestatem transire debere constituit. Equidem defuncto Nicolao codices, quos reliquerat, Ecclesiae Cathedrali cesserunt; nescimus vero an iidem sint, quos Observantium Coenobio destinaverat, an diversi. Exploratum vero id saltem est, ne unum quidem codicem neque apud Patres illos, neque apud Canonicos hodie superesse e Nicolai penu litteraria.

Lex prolata fuit in Senatu die 6. Julii An. 1448., ut Festum Visitationis B. M. V. Solemnem quotannis ritu in Ecclesia Patrum Observantium deinceps celebraretur; quae in actis illius extat.

CXLVII. Inimicitiae graves exortae fuerunt An. 1445. Recanatenses inter et Anconitanos ob Castrum Ficardi, quod ut territorio suo adjiceretur utrique omni ope nitebantur efficere. Et nostris favebat Eugenius IV, pollicitusque fuerat suam operam et consensum. Quod ubi intellexerunt Anconitani, Sfortianos milites accersiverunt, ac Venetos classiarios, quibus auxiliantibus Turrim Aspiam, et Portum Recanatensibus erepturos se jactabant. Ceperunt mense Octobris Castrum Ficardi; occupaverunt An. 1446. Turrim Aspiam. Exasperatis itaque animis aliquot annis inter Civitates istas bellatum est. Capti utrinque plures. Concordia saepius tentata frustra; donec Nicolaus V. P. M. ut arbitrorum quorumdam judicio utrinque staretur, imperavit. Inter hos delectus est a Recanatensibus Nicolaus Episcopus, qui eam ob rem bis Anconam profectus est; ita pax composita fuit mense Junio An. 1449. et perfecta die 10. Decemb. 1450., et confirmata die 16. Martii 1451. Summa pactorum est, commune fore Anconitanis et Recanatensibus jus ac dominium in Aspiam sive Musionem fluvium. Vide, si libet, fusius enarratam Anconitani belli Historiam in Commentariis Didaci Calcagnii p. 66. et seq.

CXLVIII. Annus 1450. felix faustusque fuit, si ita dicere liceat, Ecclesiae Lauretanae. Nam praeterquamquod die 23. Martii Angelus Ronconius de Rossiano, nobilis sub Ecclesiae Romanae signis militum Ductor, Sacellum Ecclesiae contiguum, quod *Annuntiationis* vocatur, fundavit, attributis ei fundis, quos in regione Filelli pro 250. aureis coemerat, fundamenta tunc jacta sunt insignis illius Thesauri Lauretani, in quem donaria Reges, Principesque certatim contulere, ut essent pietatis erga Virginem Sanctam testes, beneficiorumque ejus ope acceptorum, gratique ob ea animi monimenta. Extant apud Tursellinium, Martorellium, aliosque, et in nuperrima Sanctuarii nostri Historia, quam Vincentius Murrius An. 1791. edidit, indiculi rerum pretiosarum, quae ibi paucis ab hinc annis monstrabantur, atque advenarum quorumvis admirationem sibi conciliabant. Fundator Thesauri fuit Episcopus noster optimus, atque Sanctissimus Nicolaus Astius, qui cum decessorum exemplo aurea, et argentea vasa, gemmas,

vestes sacras a fidelibus *ex ingenti, quam ad Ecclesiam Beatae Mariae de Laureto gerebant, devotione oblatas*, sibi habere, suumque in usum convertere jure optimo posset, maluit ea Ecclesiae donare, atque *ad decorem et ornatum ejus, atque ob augmentum devotionis* perpetuo in ea conservari. Amplissimas itaque Litteras a Nicolao V P. M. obtinuit, datas XIV. Kal. Maji anno Pontificatus IV., quibus denuntiatur ab ingressu Ecclesiae prohibendos fore, imo dignitate dejiciendos Antistites illos Recanatenses, qui ausuri essent quidquam de donariis a Nicolao Episcopo Ecclesiae Lauretanae oblatis, offerendisve detrahere et alienare. Magistratibus Recanatensibus eadem bulla mandatur, ut viderent, ne Thesaurus ille quidquam detrimenti acciperet. Quo factum est, ut non solum sartus tectusque ad nostram usque aetatem perstiterit, sed ingentem quoque cumulum deinceps e sequentium Antistitum abstinentia, et pietate acceperit. Quaenam porro fuerint donaria a Nicolao Episcopo Deiparae Lauretanae relicta, indiculus docet ipso defuncto confectus, cujus exemplum Appendici hujus voluminis inseruimus. (App. N. LXXXXVII).

Eodem anno Nicolaus V P. M. cum ob pestem ingravescentem ex Urbe fugisset, Sacellum Virginis Lauretanae venerabundus adiit, teste Chron. Ariminensi apud Muratorium Tom. XV. SS. RR. PP. Anno 1452. campanam, et campanellam pro Ecclesia Cathedrali conficiendam curavit Nicolaus Episcopus.

CXLIX. Quamvis autem Episcopus obsequentissimos sibi habuerit Recanatenses suos, quibus pietas ejus, liberalitas, ceteraeque virtutes tot experimentis innotuerant, nactus est tamen adversarium, qui patientiam ejus exerceret, Dominicum Mathiutii Buti de Clarellis Decretorum Doctorem. Hic cui anfractus Legulejorum omnes perspecti erant, eludebat optimas quasque Episcopi constitutiones, monita deridiculo habebat. Itaque et causarum patronum publice agebat, quamvis intentata etiam poena ecclesiastica Nicolaus eum a professione a Sacerdotis dignitate adeo aliena, atque ex Sacrorum Canonum praescripto eis vetita, avocasset: renuebat tributa, censusque solvere, sophisticisque argutationibus solutiones aut protelabat, aut extorqueri sibi dispendiosis litibus volebat. Ceterum Ecclesiam suam S. Joannis in Pertica, cujus erat Prior, ut ajunt, Commendatarius, et ipse negligebat, et Fratres Apostolinos, ne religiosos in ea ritus exercerent, ejecerat; a jurisdictione Episcopi immunem se esse contendebat, imo ipse Episcopum coram Judicibus Curiae Generalis in jus frivolis praetextibus non semel vocaverat. Nemo erat, quem indignitas horum ausuum, et hominis insolentia non commoverent. Itaque ejectus semel fuerat e Civitate, veniamque ab Episcopo petere coactus, qui, ut erat benignus et misericors, gratiam ei restituit suam, Canonicisque etiam adscribi passus est. Neque

tamen minus ille immitius erga Apostolinos agere desiit. Intercessit tandem Nicolaus V P. M., virosque illos, qui a quinquaginta circiter annis prope Ecclesiam S. Joannis incoluerant, suisque sumptibus aedes extruxerant, et Oratorium, hortosque coemerant, sedibus suis restitui imperavit. Quare jubente Episcopo die 7. Octobris 1454. religiosus Vir Fr. Bartholomaeus de Firmo spiritualis eorum Pater cum Sociis a Joanne Nicolai Vicario Generali solemniter, ut superius jam diximus, applaudente universo Recanatensium Populo in Ecclesiam, e qua injuste ejecti fuerant, tranquille deinceps possidendam, inductus est.

CL. Anno demum 1453. veram stabilitatem consecuta est Congregatio Altaristarum Ecclesiae Cathedralis. Cum enim Episcopus Nicolaus perfecisset, ut horas diurnas, nocturnasque in ea prout postulabat Ecclesiae principis honor, decantarent Altaristae, ne pro tanto labore stipendium eis deesset, quoad vixit, sibi curandum censuit. Neque enim annus deinceps ullus vitae ejus praeteriit, quo non aut domum, aut agrum iis donaverit: moriturus vero insignem pecuniae quantitatem, ut infra videbimus, eis reliquit, e cujus fructibus distributiones quotidianae augerentur. Prima donatio ab ipso facta fuit die 2. Junii hujus anni trium domorum, quibus paulo post accessit ager non modicus[1]. Die vero 23. Nov. constitutiones edidit, ad quarum normam distributiones inter Altaristas deinceps faciendae essent. Constitutiones similes edidisse Nicolaum pro Altaristis Ecclesiarum S. Viti, et[2] S. Mariae Castri Novi ex actis illarum Ecclesiarum intelleximus[3]. Adeo nil magis cordi Nicolao fuit, quam ut in locis Deo sacratis omnia cum ordine ac decore fierent[4].

---

[1] E bulla Pauli II data anno 1464. 20. Nov. habemus Episcopum Altaristarum Collegio donasse domum valoris 212. ducat., cives vero Recanatenses donasse alias quasdam domus valoris 600. ducat. auri, ut ex proventibus earum distributiones quotidianae solverentur Clericis, qui horis canonicis decantandis interessent. Domus istas vendi permisit Pontifex suprascriptus, earumque pretium in faenore apud Anconitanos poni.

[2] Anno 1460. 14. Januarii. Edemus eas in Appendice. Cum aliarum Ecclesiarum constitutiones interierint, ex his saltem intelligere licebit, quales fuerint omnes, ab eodem nempe auctore eodemque fere tempore profectae.

[3] Altaristae Ecclesiae S. Mariae Castrinovi An. 1465. praeter Praepositum septem fuere, e quorum numero Canonici Ecclesiae Cathedralis tres.

[4] Specimen addo e codice Jacobi Petrutii An. 1462. depromptum, e quo perspicies quam tenax fuerit propositi Nicolaus. Antonius quidam Altarista sive Rector Altaris SS. Jacobi, et Christophori licentiam petebat Venetias abeundi, ibique per duos annos discendi artem operum phrigiorum, sive acu pingendi. Cui mox Episcopus et dedecere Sacerdotem respondit, artem talem addiscere, et requirere Beneficium ejus, ut resideret, ac hebdomada sua divina faceret juxta *formam tabulae*, et consuetudinem Altaristarum. Abeuntem non obtenta licentia Be-

CLI Eo, qui secutus est, anno (1454.) caruerunt Recanatenses Pastore suo; missus enim fuerat Perusiam [1] a Pontifice Maximo, ut dissidentes in ista civitate civium animos pro ea, qua ubique ob virtutum famam gaudebat, auctoritate, et in conficiendis negotiis dexteritate ad concordiam revocaret.

Rebus compositis Perusiae cum imperio praeesse jussus est. Itaque Perusinorum Gubernator toto illo anno fuit. Saepius dein Pontifices Romani Nicolai opera ad promovendum sanctae pacis negotium usi sunt. Nicolaus is fuit, qui die 22. Augusti An. 1459. liti, quae Firmanis cum Episcopo suo multis annis intercesserat ob jurisdictionem, quam utrique in Castro Montis Ottonis sibi competere contendebant, finem imposuit, lata sententia, ut Firmani Episcopo Castrum et agrum Montis Viridis concederent, hic juri suo in Castrum Montis Ottonis renuntiaret. Sic anno 1460. jussus est a Francisco Card. Senensi Marchiae Legato Anconam proficisci ut bellum extingueret, quod tunc Aesinos inter et Anconitanos exarserat. Sic An. 1468. jussus est a Paulo II una cum Abbate S. Victoris de Cingulo discordias sedare, quae in dioecesi Camerin. Episcopum inter et Gregem exortae fuerant. Saepissime privati quoque iique exteri arbitrio Nicolai lites suas dirimendas commiserunt, ut An. 1458. D. Gaspar de S. Severino Abbas S. Mariae Vallisfucinae et Comune Ilciti, quod est Castrum agri Septempedani, qui de silva quadam litigabant, et alii, quos, ne longiores simus, recensere praetermittimus.

Quo studio concordiam foverit inter subditos, inde intelliges; nullum extat monumentum dissidii Cives inter Recanatenses toto eo, quo Nicolaus advixit, tempore.

CLII. Ad coercendam foeneratorum improbitatem An. 1455, edictum Nicolaus edidit, quo mulctam a carnificibus illis non levem exigi, ejusque dodrantem expendi jubebat ad extruenda moenia. Ut calamitas grandinis ab urbe et agro averteretur, festum S. Macarii 2. Januarii, et 2. Maij celebrari instituit, iisque diebus supplicationem indixit. Anno 1456. 9. Martii Sodalitio Calceolariorum licentiam dedit *in domibus Fraternitatis positis in Foro magno extra Urbem hospitale sub vocabulo S. Antonii pro receptatione in perpetuum pauperum D. N. J. C. ad ipsum hospitale confluentium fundandi*, concedens indulgentiam quadraginta dierum iis, qui opem operamve ad bonum ejusmodi institutum contulissent. Eodem

---

neficio privavit. Specimen aliud esto edictum promulgatum die 30. Sept. 1461. quo Episcopus in Ecclesiis vetuit vendi, recludi, et retineri merces tempore Nundinarum. Vid. acta Senatus ad hanc diem.

[1] Die 11. April. Eo advenit mense Majo.

anno extructa fuit a privatis quibusdam Ecclesia S. Mariae Gratiarum extra Portam Cannellae eo in loco, ubi piae mulieri Beatissima Dei Genetrix conspiciendam se praebuerat. Miraculi testis inscriptio est litteris, ut ajunt, gothicis exarata, quae hodieque supra portam Ecclesiae existit. Exemplum ejus hoc est:

✠ HIC GLORIOSA VIR
GO MARIA APPARVIT
DNA ELENA DE ALBA
NIA ANO DNI MCC
CCLVI DIE XXI APRILIS.

idest: *Hic gloriosa Virgo Maria apparuit dominae Helenae de Albania anno Domini* 1456. *die* 21. *Aprilis*.

Equidem reperio ante hanc apparitionem Ecclesiam extitisse S. Mariae Gratiarum extra Portam Cannellae, cujus Anno 1408.-1420. Rector fuit D. Antonius Bertutii Canonicus Recanatensis, ut e Censuum Ecclesiasticorum libris, qui in Archivo Collegii Canonicorum extant, liquido apparet.

Corruerat tamen procul dubio antiquior illa Ecclesia, novaque, liberaliter sumptus suppeditante Senatu ipso, Populoque universo, non tantum a solo erecta, sed et redditibus aucta est. Qua pietate civium commotus Episcopus, licet reluctatus aliquamdiu fuisset novo operi, quod sui juris assereret haec talia moliri, aut moliendi facultatem concedere, assensum suum praebuit litteris datis die 19. Maji 1456. ex Oppido S. Genesii. Paulo post etiam juspatronatus Ecclesiae ipsius Magistratui concessit. Qua de causa Magistratus Episcopum ipsum in Ecclesiae recens fabricatae Sacerdotem elegit, eamque electionem gratissime ille admisit (die 26. Septembris).

Cum indignissime ferret quae adversus *immunitatem Cleri* audebant aliqui ex iis, qui Reipublicae praeerant, accidit, ut hoc ipso anno Sacerdotes quidam, nescio quorum criminum accusati, in carceribus urbis more illius aetatis detinerentur. Hos torqueri, ut delicta faterentur, aut complices proderent, imperaverant Priores Populi. Quod ut Nicolaus intellexit, foeditate rei adeo commotus est, ut illico e Civitate abscederet, neque ut rediret persuaderi sibi passus fuerit a Viris primariis, sibique amicissimis Per-Leopardo Leopardio, et Marino Nicolai, donec satisfactum sibi fuisset, cautumque fore ut deinceps a talibus ausis abstineretur.

Reversus *Archidiaconatum* in Ecclesia Cathedrali instituit, primumque Archidiaconum creavit Petrum Antonium Ser Philippi de Astis pronepotem suum.

Anno 1459. die 1. Febr. Episcopus et Canonici omnes constituerunt *supplicare D. N. Papae*, et cum Episcopalis Ecclesia S. Flaviani de Racanato *non haberet Praepositum, neque Canonicos, et dicti Praepositus et Canonici sint Ecclesiae S. Viti*, juberet Praepositum et Canonicos esse dictae Ecclesiae S. Flaviani, et Ecclesiam S. Viti esse Praebendam Praepositi. Sed nescio qua de causa decretum hoc effectu tum caruit.

CLIII. Refert Bonolus Hist. Foroliv. Lib. IX. Nicolaum nostrum Urnam magnificam statuis coelaturisque marmoreis ornatam condendis Ossibus B. Marcolini Amanni Foroliviensis Dominicani dicasse, cui inscriptus est titulus:

Beato Marcolino
Nicolaus de Astis Recanatensis
Episcopus faciundum curavit M. CCCC. LVIII.

CLIV. Restabat, quod prae ceteris omnibus Nicolao cordi fuisse videtur, ut honori ac decori *Ecclesiae Lauretanae*, cujus ipse Rector et Dominus erat, eo modo consuleret, qui tenerrimo suo erga illam affectu dignus esset. Creverat in immensum populorum ad eam concursus, remotissimisque in regionibus increbuerat gratiarum fama, quas Deus Virginem Matrem ibi invocantibus effusissime largiebatur. At nulli erant Sacerdotes Templi servitio dicati praeter unum Episcopi Cappellanum [1], qui tunc *Gubernator Domus sive domorum* Ecclesiae Lauretanae dici coeperat, eo quod famulis atque agricolis praeesset, qui praedia et res Episcopatus curabant. Idem redditus Ecclesiae ac donaria recipiebat vice Episcopi. Huic se devotionis causa duo vel tres Sacerdotes [2] junxerant, quibus alimenta solummodo dabantur, idque ex mera Nicolai liberalitate. In Villa Lauretana habitabant Beneficiarii tres [3], qui cum Altaribus suis tantum essent adstricti, vixque haberent aliqui ex iis, unde viverent, suarum partium

---

[1] Petrus is fuit Georgii de Tolomaeis Aprutiuus, qui per 40. circiter annos Mariae Lauretanae servivit.

[2] D. Antonius Pauli Gubernatoris nepos, qui postea in Praepositum Altariatarum Ecclesiae Cathedralis electus est: D. Antonius Petri Spene Canonicus Recanatensis, et D. Antonius Cicchi de Baronibus de Monte Lupone, qui Cantoris in Ecclesia Lauretana munus obibat.

[3] Sacellani Ducis Mediolanensis sive Trium Magorum, Altaris S. Marcelli, et Ecclesiae S. Joannis de Portu. Duo alia Beneficia, scilicet S. Hieronymi, et S. Mariae Nicolai Pictoris habebant Gubernator ipse et Nepos.

esse existimavit Episcopus cavere, ne Ecclesiae tanti nominis Ministri deessent. Itaque secutus exemplum Marini Nicolai viri locupletis admodum, ac nobili genere nati, qui Praeturam apud Florentinos obierat, ac nuper [1] possessiones suas, quas habebat *in contrata ballaelucis* donaverat Ecclesiae Lauretanae, ut ex iis alerentur Sacerdotes, et eleemosynae pauperibus dari possent, et ipse undecumque poterat fundos coemit, inprimis *Villam Morlonghi* cum silvis et campis adjacentibus, eosq. die 3. Decemb. 1459. Ecclesiae Lauretanae dono dedit, eo pacto, *ut in perpetuum Sacerdotes ex iis sustentarentur* [2], *et Christi pauperibus*, *qui veniunt ad dictam Ecclesiam*, *qui sedulo sunt in numero copioso*, *eleemosynae erogarentur* [3]. Quas donationes omnes amplissima bulla Sixtus IV confirmavit, quae data est 8. idus April. An. 1473 [4].

Eadem die 3. Decemb. 1459. fundavit Episcopus Altare *erigendum in Ecclesia Episcopali Recanatensi in medio Confessionis*, *videlicet in parte superiori ejusdem*, *sub vocabulo gloriosissimae Virginis Mariae*, *et S. Joannis Baptistae*, *et S. Hieronymi*, mandans, ut Rector illius in dicta Ecclesia faciat *de tribus hebdomadis unam*, *sicut consuetum est in dicta Ecclesia.* Juspatronatus hujus Beneficii voluit esse in perpetuum penes Spectabilem Virum Petrum Leopardum Peri (De Leopardis) et descendentes ab eo per lineam masculinam. Quibus ita constitutis in primum Rectorem elegit Joannem Andream filium Ser Philippi de Astis pronepotem suum. Perstat adhuc Beneficium istud, diciturque S. Joannis Baptistae, atque ex institutione fundatoris nonnisi Praesbytero conferri potest.

Paucis post diebus (4. Januarii 1460.) Nicolaus eidem nobilissimae Leopardianorum Stirpi juspatronatus concessit Beneficii *S. Hieronymi* a se erecti olim (An. 1446.) *in pertinentiis Ecclesiae S. Mariae de Laureto*, quod dein (die 9. Jun. 1460.) aucto censu in duo Beneficia divisit, indito alteri ex iis titulo S. Joannis Baptistae; Sed non ita multo post ejecto

---

[1] Auuo 1458. 6. Februarii sc. a via Maris Lauretum versus: reliquam possessionis partem ab eodem emit pro Ecclesia Nicolaus Episcopus An. 1468. 17. April. pretio duc. auri 1300. (S. Jacob. M. Petr).

[2] Ut uimirum Sacerdotes isti diviua officia in Ecclesia Lauretana peragerent Canonicorum iustar. Id iutelligitur ex testamento D. Georgii Sacellaui Cappellae Trium Magorum Au. 1466. 30. Decembr. (Ser. Hierouym. Nicol). Hic Haeredes instituit Sacerdotes residentes in Almis Domibus Ecclesiae B. V. de Laur. *et officiantes Missas, et alia divina officia continue dicentes in Altari, et Cappellae praefactae Ecclesiae . . . . Ille qui est Hebdomadarius, teneatur etc.*

[3] Auno 1467. 14. Decemb. emit D. Nicolaus Episcopus uomiue Ecclesiae Lauretanae Mod. 31. terrae aratoriae sitos in *Valle Cerri* pro ducatis 124. (Ser. Jacob. M. Petrut). Alias id genus emptiones omitto.

[4] In Bullario Ecclesiae Lauretanae.

Autonio Cicchi de Monte Lupone, cui id contulerat, eadem Beneficia denuo univit, extincto titulo novo. Id contigit 1463. 21. Januarii. Obtinebat illud anno 1516. Petrus Marusca Ungarus Canonicus Lauretanus, ideoque ex praescripto Leonis X. accedente consensu Patroni, unitum fuisse videtur bonis Ecclesiae Lauretanae, ut ex ejus fructibus distributiones quotidianae Canonicis persolverentur.

Hoc anno, cum Villa Lauretana jam populosior esse coepisset, quam ut Senatus Recanatensis ipsemet quieti ordinique publico providere commode posset, decretum est die 24. Novembris, Villam istam gubernari debere deinceps per *Capitaneum* e Civibus Recanatensibus deligendum, de cujus officio, salario, jurisdictione, et aliis consulantur acta Senatus.

Die 4. Januarii 1461. institutum fuit *in Ecclesia Lauretana* Beneficium *S. Mariae* a Jacobo Nicolae Pictore, qui juspatronatus concessit Sodalitio S. Luciae eo pacto, ut Sacellanum semper deligeret e Sacerdotibus Laureti degentibus, cui pacto omnino standum esse decidit etiam Sac. Rota Romana sub. Verospio die 5. Martii 1621.

CLV. Memoratu dignae sunt Constitutiones die 16. Julii An. 1461. editae pro Collegio Canonicorum Recanatensium. Sancitum fuit I. *Archidiaconum Ecclesiae Recanatensis* fore D. Pinum D. Joannis de Astis Foroliviensem, cumque habiturum *vocem in Capitulo*, tamquam unus de corpore illius. Episcopus vero pollicitus est, se novae huic Dignitati convenientem dotem assignaturum.

II. Capitulum Ecclesiae S. Viti esse debere unitum Capitulo Ecclesiae Episcopatus, et esse *unum Corpus.*

III. *Cantoriam Ecclesiae* Episcopatus fore de cetero *Dignitatem*, ita quod Cantor *post Canonicos sit primus*, et praecedat cunctos *Praesbyteros*. Huic quoque Dignitati congruos redditus daturum se spopondit Episcopus [1].

IV. Electionem Archidiaconi, et Cantoris spectare ad D. Episcopum et Canonicos ita tamen quod *Cantor non debeat esse de Capitulo.*

V. Nullum eligendum fore Canonicum, nisi in Sacris Ordinibus constitutum.

VI. Novos Canonicos introduci primum debere in possessionem Chori Ecclesiae Episcopatus, et postea immediate in possessionem Chori S. Viti. (Append. Num. LXXXXI.).

Constitutionibus hisce additae fuerunt aliae quaedam die 20. Januarii 1463. In primis: absentibus deinceps (nisi ob infirmitatem) fas neu-

[1] Promissis stetit Nicolaus die 27. Nov. An. 1466., ut videre est in Actis Ser. Jacobi M. Petrutii Cancellarii: videatur idem ad An. 1468. 19. Mart.

tiquam fore suffragii sui jus in alium transferre, ut hactenus in more positum fuerat.

II. Canonicum nullum eligi debere donec numerus Canonicorum ad duodecim, qui erat *Numerus Praebendarum*, fuisset redactus.

III. Doctoribus nullum praecipuum fore locum, sed receptionis suae ordine quemque sedere oportere.

IV. Quod in Actibus capitularibus scrutinio secreto, atque, ut ajunt, ad bussulum et fabas suffragia colligantur.

V. Demum, cum Priori S. Mariae de Castronovo honoris causa locus hactenus in Capitulo fuisset concessus post Praepositum S. Viti; statutum fuit, eidem deinceps non primum ante Canonicos locum esse tribuendum, sed praeferendum ei esse in consessu unum saltem e collegis [1].

Ultima haec lex occasio fuit incolis Castrinovi a Pontifice Summo postulandi, ut sublatis Monachis, Ecclesiae Castrinovi Sacerdotes saeculares praesiderent. Vigere, ajebant, discordias continuas inter Priorem Monachum, et Praesbyteros Beneficiatos, quibus aliter obviam iri nequiret, quam per saecularizationem Prioratus. Consensum Commendatarii Abbatiae Avellanensis, qui tunc erat Bessarion Cardinalis Nicoenus, facile impetrarunt, promisso annuo censo 15. florenorum, cum antea denos tantum Abbatia percepisset. Itaque die 14. Junii An. 1463. a Parochianis in Praepositum electus est e Clero Saeculari *D. Nicolaus Todeschi de Recanato Decretorum Doctor*. Expensas pro obtinendo privilegio factas recuperarunt boni illi parochiani, venditis fundis Prioratus *ad quantitatem usque* 180. *florenorum, qui expediebant omnibus computatis occasione praedictorum* [2].

Bulla, qua Pius II P. M. electionem Praepositi Saecularis Ecclesiae S. Mariae Castrinovi ratam habuit, data est anno 1463. 27. Novembris.

---

[1] Die 27. Decemb. Cum D. Pinus de Astis Archidiaconatui renuntiasset, revocatae sunt leges *nuper factae de Archidiaconatu*, decretumque fuit, alias super hoc constitutiones de novo condendas: sed anno insequenti 1466. die 10. Decemb. restituta est Archidiaconatus Dignitas D. Pino filio D. Joannis de Astis, decretumque est Archidiaconatum *secundam Dignitatem* esse post Episcopalem; curam Archidiaconi fore, *in spiritualibus circa divina officia praeesse*, denique jus eum eligendi fore penes Canonicos et Altaristas. Extinctus iterum fuit Archidiaconatus An. 1467. 24. April., eique substituta *Praepositura Ecclesiae S. Flaviani*, quae extinctio confirmata est An. 1468. 24. Febr. a Collegio Canonicorum. Remansit haec Praepositura ad Annum circiter 1525., quo tempore revixit Dignitas Archidiaconatus. Praepositum S. Flaviani eligendi jus olim exercuerunt juxta fundationem una cum Canonicis Altaristae, uti e Protocollis patet Ser Marini Dominici An. 1481. (in Archiv. Recanat). et Ser Petri Pauli Laurentii ad An. 1526. (apud R. D. Petrum Pintuccium).

[2] E bastardello Ser Jacobi Joannis An. 1462. f. 61.

Coeterum An. 1462. 22. Nov. Senatus Recanatensis eligendum esse decrevit Presbyterum, qui curam haberet Ecclesiae et hominum *Castri Montis Florum*, cui pro alimentis assignavit terras olim Caroli Lamberti de Brancaleonibus de Castro Durantis in confinibus sitas, atque ad fiscum devolutas. Anno demum 1478. 6. Decembr. Presbytero illi dos congrua assignata fuit; Haec origo Parochiae Montis Florum.

CLVI. Aucta fuit *Ecclesia Lauretana* an. 1466. Beneficiis duobus, quorum alterum fundatum fuerat, ut diximus superius N.° CLIV., a Jacobo Nicolai Pictore Recanaten., ut illa ferebat aetas, insigni. Hoc contulit Episcopus Antonio Petri Spene Canonico Recanaten., qui Laureti agebat. Alterum fundavit Episcopus ipse *in Altari suae Ecclesiae gloriosissimae Virginis Mariae de Laureto*, cum onere in praedicto Altari qualibet hebdomada quatuor Missas pro anima ipsius fundatoris celebrandi. Beneficium hoc censibus, fundisque non modicis instructum concessit Pino D. Joannis de Astis Decr. Doct. nepoti, quem prae ceteris diligebat, ita ut anno superiori 1465. Maceratensem Ecclesiam a Recanatensi avulsam in eum transferre cogitaverit. Verum is non quidem Episcopus postea, sed Archidiaconus creatus est Maceratensis, quae est prima ab Episcopo in illa Civitate Dignitas.

Eodem tempore extruxit Nicolaus *Hospitale novum* in Villa Laureti in solo, quod a Senatu ei donatum fuerat [1]. Granarium et domos muris cinctas An. 1462. condendo frumento, quod ex agris Ecclesiae S. Mariae Lauretanae colligebatur, aedificaverat.

CLVII. Dum Episcopus augendo splendori Lauretanae suae Ecclesiae impense studebat, res accidit, quae magnas excitare discordias poterat, si alius Recanatensibus obtigerat Antistes, alii Nicolao Dioecesani. Locaverat Senatus mercatoribus imaginum, rosariorum etc. mensas quasdam collo-

---

[1] Aooal. Recan. An. 1465. 25. April. et Protocoll. Ser Jacobi Petrutii ad 5. Novemb. 1466. et 1467. 18. Sept., quo 200. millia laterum pro fabrica hospitalis coemit. Recole quae de fundatione hospitalis Lauretani dicta sunt superius N.° CXXVII. Initia illius angustiora et humiliora fuisse videntur. Quare ampliores extruxit aedes Nicolaus Astius. Verum quia nequidem hae satis capaces fuere, Hieronymus Card. Ruburens Ao. 1485. animum adjecit ad novum hospitale fabricandum eo in loco, ubi Monasterium S. Joannis de Laureto extiterat; sed haec aedificatio aut successu caruit, aut lentius processit. Quinquagiota enim post annis reperimus ligna a Recaoatensibus data fuisse quibus lateres coquerentur pro novi Nosocomii fabrica. Leo X cum oppidum Laureti nostrae civitati reddidisset, quartam vectigalium partem pro extroendo hospitali pauperum impendi jussit. Sub Card. demum Philippo Vastavillano Almae Domus Protectore ad exitum perducta est fabricatio illius hospitalis, quod nuoc Laureti visitur medium inter habitationem PP. Cappoccinorum, et Portam marinam. Infirmis hoc recipiendis destioatum fuit. Aotiquum hospitale ab Andrea Adricosi pro peregrinis fundatum, atque a Nicolao Astio Episcopo e fundamentis aedificatum, ubioam situm fuerit hacteous me latet.

catas haud procul ab Ecclesia Lauretana. Quod ubi intellexit Episcopus. prohibuit statim merces ibi venum exponi, poenam comminatus excommunicationis et mulctam 100. ducatorum; quod nimirum ad Ecclesiam spectare locum illum existimaret. Equidem Senatus diverse sentiebat. Antiqua enim Ecclesiae Lauretanae possessio ex ea parte quatuor solummodo modiolorum fuerat; cetera Reipublicae Recanatensis erant patrimonium, quod nisi constaret ex legitimo titulo alienatum aliquando fuisse, integrum Civitati, et Senatui manere dubium esse non poterat. Attamen uno ore in eam sententiam itum est, nolle se litigare cum Pastore beneficentissimo et sanctissimo. Itaque sive justa sive injusta is peteret, nemini unquam, dum viveret Nicolaus, permissuros, ut vias plateasque Ecclesiae Lauretanae vicinas quomodocumque impediret.

CLVIII. Haud ita multo post indiculus repertus est antiquus fundorum, quos Majores nostri pro dote concesserant Mensae Episcoporum. cum erecta fuit hac in Civitate Cathedra. Constitit ex indiculo, venditos olim fuisse a Senatu fundos quosdam, qui ad Mensam pertinebant; esse etiamnum 40. modiolos in silva publica, quos idem indiculus demonstrabat rem esse Episcopi. Quae ubi ita se habere perspexerunt Majores nostri, *praefatus Dominus Episcopus ut verus Pastor, et Parens indulgentissimus dictam Communitatem et populum sibi commissum paterna caritate complectens, et praefata Communitas ac populus universus praefatum Dominum Episcopum, ejusque Reverendissimam paternitatem, vitamque ac mores exemplares et sanctimoniam humili devotione observantes* die 18. Nov. 1467. per Franciscum Nicolai Canonicum Recanatensem tunc Vicarium Generalem, et sex Cives omnem controversiam sive de agris venditis, sive de limitibus transegerunt, sublata omni ambiguitate, abscissisque etiam in futurum aevum querelis.

Anno, qui secutus est, 1648., ut amorem suum erga Senatum nostrum atque Optimates contestaretur Episcopus, donavit ei in usum Sacelli, quod in Palatio erat . . . . . . *Planetam velluti viridis cum friso aureo, cum camiso fulcito cremisino in manicis, stolam de fregio aureo, amicto, corporali cum Jesu, pannos duo pro Altari, unum de broccato cum cruce in medio auro, et unum de raso, in quo imago S. Mariae Virginis, S. Barbarae, et S. Catharinae, tres tobaleas, et pannicellum pro calice, ac tabulam imaginis Virginis Mariae.*

Sic certabant Nicolaus et Recanatenses sui amore mutuo, mutuisque beneficiis [1]. Beatus sane populus, cui haec sunt! Itaque temperare sibi

[1] Inter cetera Recanatenses commendatione sua apud Firmanos, vetustissima societate et amicitia sibi conjunctos, effecerunt, ut Ciccum de Astis nepotem Episcopi Praetoris apud se honore ac potestate decorarent An. 1469.

nequiit Oppidum Montis S. Mariae in Cassiano finitimum, quin solemni legatione ad nos missa admitti se peterent in Dioecesim Recanatensem, qua felicior tum vix ulla esse poterat [1].

Ex his, quae anno 1468. contigerunt, notatu prae ceteris dignum est, quod consulente Fratre Dominico de Gonessa de Observantia die 4. April. collatis e vectigalibus Reipublicae quatuor aut quinque ducatorum millibus erectus est *Mons Pietatis Virginis Mariae de Laureto* (Sic vocari placuit aerarium illud christianae caritatis), et abrogata pacta cum Judaeis inita, in quibus usuram facere ipsis permissum fuerat.

Die 19. Junii D. Thomas de Isileriis Episcopus Aesinus coram D. Nicolao Episcopo nostro, assistentibus A . . . . . Episcopo Forosemproniensi, et Gaspare Episcopo Auximano, fidelitatem Ecclesiae Romanae juramento spopondit; quod adnotandum duxi, ut sciatur quo tempore Aesinam Cathedram Episcopus ille conscenderit, quod apud Ughellium frustra quaesieris.

Hoc denique anno mense Decembri Fridericus III Romanorum Imperator Romam iter faciens, ut corona Imperii insigniretur, exceptus fuit honorificentissime a Senatu Populoque Recanatensi, quibus ea propter grati animi caussa privilegia illa concessit plane eximia, quae legi possunt in Bullario typis mandato.

Erectum fuit annuente Senatu mense Octobri ejusdem anni *Sodalitium S. Georgii* Sclavorum in Ecclesia S. Mariae Castrinovi [2], et mense Martio anni sequentis *Sodalitium Sclavorum in Villa Lauretana* commorantium, cujus institutum est mortuos sepelire, aegris assistere [3].

CLIX. Jam tandem nos ad se vocat *Templum* illud augustum, *quod Virginis Lauretanae ambit Aediculam.* Hujus auctor Nicolaus Astius fuit; hujus ideam Nicolaus animo concepit, formam a Veneto Architecto describi curavit, sumptus operi conficiendo congessit, fundamenta jecit, idque ad non modicam altitudinem perduxit. Equidem tulit alter honores. Historici omnes rerum Lauretanarum Baptistam secuti Mantuanum, qui poeticae assuetus confingendi licentiae eadem licentia in aliis quoque narrationibus abutebatur [4], Paulo II P. M. eam laudem adscribunt. Verum documenta sole clariora. quibus Archiva nostra abundant, errasse illos demonstrant. Officii nostri est veritatem sequi, et jure postliminii decora sua Ecclesiae et Episcopis Recanatensibus restituere, atque efficere, ut tum Recanatenses tum Lauretani agnoscant, cui viro et alia multa sic Templum suum

---

[1] An. 1467. 26. Januarii.
[2] Ser Jacobus Joannis An. 1468. 31. Octobris.
[3] Ex Annal. Recanat.
[4] Exempla vide apud Joan. Chrysost. Trombellium.

adeo magnificum debeant; cui etsi statuam ex aere non ponant, memoriam certe ejus grato animo recolent, beneque pro tot beneficiis sanctae animae praecabuntur. Pauli Pontificis ea locus est, eaque maxima, quod Nicolai, cui non diu superstes extitit, acta probavit, jussitque coeptam ab eo aedificationem continuari, atque ad fastigium deduci.

Manum operi Nicolaus admovit anno 1468., ut ex *apochis* patet, quae supersunt, quibus fabri murarii mercedem sibi ab Episcopo solutam fuisse confitentur. Praeter Episcopum Nicolaum sumptus suppeditarunt in opus praeclarissimum liberaliter admodum privati homines complures Mariae devoti. Inter ceteros locuples quaedam mulier *Alexandrina Bartholi Attarelli de Recanato* die 15. April. 1469. *pro fabrica et constructione novae Ecclesiae gloriosissimae Virginis Mariae de Laureto, quae fabrica maxima et amplissima est, et in qua multa millia ducatorum exponi oportet*, sua omnia donavit, *considerans*, inquit, *maxima et pene infinita miracula ipsius gloriosissimae Virginis Mariae de Laureto, quae jam fere totius orbis terrarum Christifidelibus innotescunt, ac peregrinorum numerum copiosum in dies, et sedulo ultra gloriosum Festum praefatae Virginis ad ipsam Ecclesiam confluentium, et insuper eleemosinarum copiosam largitatem, quas peregrini, egeni, et alii pauperes, et potissimum infirmi de mane et sero de almis domibus dictae Ecclesiae suscipiunt, et per consequens dictam almam fabricam, et dictam Ecclesiam piis subventionibus, et largitionibus Christifidelium plurimum indigere etc.*

E sola haereditate Andreae Actarelli, qui Alexandrinae Patruus fuerat, confecti sunt ducati 1200.; e domibus Alexandrinae duc. 762. etc.

CLX. Procedebat igitur aedificatio urgente Episcopo, ac brevi tempore consummanda videbatur, siquidem annos adhuc nonnullos vixisset Nicolaus. Sed incommoda nimis valetudo, quam senectus ei faciebat (provecta enim admodum aetate erat) monuit imminere vitae finem, et colligendas esse sarcinas.

Itaque postquam rationes ab Oeconomis, villicisque suis exegisset [1] die 5. Octobris (1469) inventarium confici jussit, exacteque in eo describi dona, quae Episcopatus sui tempore Ecclesiae Lauretanae oblata fuerant, tradique Petro Georgii Aprutino Praeposito, ut ajunt, Teramano.

---

[1] Die 26. Sept. *fecit finem*, idest apocham D. Antonio Petri Canonico de oblationis receptis.

Die 2. Octobr. *fecit finem* de gestis suis Ser Joanni Ser Petri de S. Angelo de Firmo *Spenditori suo*.

Die 6. D. Petro Praeposito Teramano de administratione et gubernatione Domus Beatae Mariae de Laureto et familiae ejus, ac de lapidibus, quos idem dare debuerat pro fabrica ec. (Ser Jacob. M. Petrutii).

et Almae Domus Gubernatori. Inventarii exemplum in Appendicem transcripsimus.

Postera die testamentum fecit, cujus praecipua capita haec sunt:

1.° Corpus sepeliatur in Ecclesia Episcopali S. Flaviani in sepulcro novo sub Altari, quod Episcopus in Confessione dictae Ecclesiae fieri fecerat.

2.° Centum et septendecim loca [1] Montis S. Georgii in Civitate Genuae habeat *Fraternitas S. Luciae*, de quorum fructibus ipsa *subvenire debeat fabricae hospitalium* SUORUM, *et pro lectis pauperum Jesu Christi in ipsis hospitalibus degentium, et pro manutentione pauperum praedictorum, et pro maritagiis orphanarum, et in eleemosinis miserabilium personarum, ac aliis piis operibus, prout ipsi Fraternitati placebit, juxta laudabiles piosque mores ipsius sine cujusquam contradictione.*

3.° *Quoniam uti notorium est, D. Episcopus testator construi fecit locum Beatae Mariae de Varano pro Fratribus Observantiae S. Francisci ad honorem Dei, et ipsius Beati Francisci, pro salute et animarum consolatione totius populi hujus Civitatis, et in eodem loco semper vigent boni Religiosi et in bono numero nil proprii possidentes, teneatur Fraternitas S. Luciae quotannis tempore nundinarum ipsis dare duos pannos de gattinello, et unam vegetem a vino, maxime quia tempore Fraternitatis Almae Virginis de Laureto copiosa Fratrum multitudo dicti Ordinis ad dictum locum adveniunt, et pro toto anno duos florenos pro caseo* [2], *et duos alios florenos pro carnibus, insuper singulis mensibus quinquaginta bolonenos in vim eleemosinae.*

4.° *Collegium Altaristarum Majoris Altaris Ecclesiae S. Flaviani Episcopatus Recanati habeat octo millia ducatorum* [3] *in imprestitis Civitatis*

---

[1] E quibus 122. duc. ungari quotannis percipiebantur (aetate nostra scuta fere 78). quae soluta fuere quotannis, donec An. 1771. Superioribus annuentibus sors ipsa (₰ 3800). repetita fuit a Rp. Genuensi.

[2] Tanti constabant id temporis librae 50. casei.

[3] Ex his percipiebatur redditus annuus 160. ducatorum (a ragion del 2 per 100., come da istromenti del 1505, 1504. ec). Verum diu est quod sors et usura intercidernnt. Etenim ii, qui apud Venetos publicis praeerant rationibus, primo quidem solutiones annuas distulerunt, nescio quibus usi tergiversationibus, easque protraxerunt ad annos sequentes mira quidam, ut videtur, solertia. Itaque, ut ex instrumentis habemus, censum,

qui solvendus erat . . anno 1456. solverunt anno demum 1474. post. An. 18.
qui . . . . 1462. solverunt anno . . . . 1484. post. Au. 22.
qui . . . . 1493. solverunt anno . . . . 1554. post. An. 63.
qui . . . . 1499. solverunt anno . . . . 1566. post. An. 67.
qui . . . . 1509. solverunt anno . . . . 1587. post. An. 78.
quique solvendus erat . An. 1514. persolutus est An. demum 1596. post. An. 82.

Demum postquam Pierus Franceschi unus e scribis *del Monte vecchio del Sestier di*

Venetiarum, quorum utilitas debeat distribui inter eos ex dictis Altaristis, qui intererunt divinis officiis et horis Canonicis celebrandis in dicta Ecclesia in singulis horis diurnis pariter et nocturnis secundum ordinem et formam per D. Episcopum ipsis traditam, et per ipsos observatam jam annis plurimis. Similiter dictum Collegium Altaristarum habet aliqua millia florenorum, quae ipse deposuerat in Monte Civitatis Anconae[1] *in qua summa continentur octingenti floreni, qui Altaristarum erant proprii; Et hujus quoque summae fructus convertantur in distributiones quotidianas detractis decem florenis annuis pro Cantoria, quindecim florenis solvendis D. Francisco Nicolai ejus Vicario donec vixerit, et decem florenis annuis eodem pacto solvendis D. Pino de Astis suo nepoti.*

5.° *Ecclesiae Recanatensi reliquit libros suos ad construendam librariam ad usum Clericorum Ecclesiae praedictae*[2].

6.° *Sacristiae Ecclesiae Recanatensis legavit omnia tabernacula de argento, pivialia, planetas, et omnia bancalia, spallerias, et dappeta, et tres pannos de Razza praefati quondam Domini Episcopi ad perpetuum ornatum, et decorem dictae Ecclesiae.*

7.° *Fraternitatibus Judicum et Notariorum, Calceolariorum, S. Mariae de Castronovo, et S. Jacobi dentur singulis floreni viginti quinque monetae pro fabrica hospitalium ipsarum.*

S. Marco aliquot annorum solutionibus nobili viro Joanni Donato divenditis, quamvis careret mandato Altaristarum ad venditionem legitime conficiendam necessario, aufugisset, cessavit omnino solutio, insuper habitis nostrorum hominum querelis, et expostulationibus; Census enim istos (hoc injustitiae velum obtendebant Veneti, teste Ughellio) persolvendos esse ex redditibus Insulae Cypri, qua a Turcis occupata, immunem esse asserebant Rempublicam a cujusvis debiti Cypro inhaerentis onere, amissa quippe hypoteca. Insigne hoc quidem fuit mendacium; Cyprus enim in Venetarum ditionem venit Anno 1470. at vero triginta ad minus annis, antiquam hanc si Diis placet hypothecam possiderent, scilicet ante annum 1440. Nicolao Astio fidem suam obstrinxerant; qui pecunias suas eo pacto Reipublicae concesserat: saltem persolvendi fuissent census ad annum usque 1570. quo amissa est Cyprus, at solutio ultima annum 1515. non attigit. Ita *iniquitas mentita est sibi*. Ceterum Altaristae jus suum sibi integrum esse saepius publice ac solemniter protestati sunt spe freti, fore, ut Venetiis aliquando locus futurus esset bonae fidei ac justitiae.

[1] Pro quibus Anconitani pendebant annos flor. 77., ut videre est in bastardello, ut vocant, ser Jacobi M. Petrutii An. 1478. 31. Octobr.

[2] Ante Nicolaum alii quoque libros Ecclesiae Cathedrali testamento reliquerant V. G. Angelus Mevaniensis Cardinalis Episcopus noster, D. Nicolaus de Plebanis Praepositus S. Viti, qui donavit (1450). *unum Innocentium* (opus quoddam Innocentii IV Papae) *in pergamena. et libellum in pergamena canonicae portionis D. Cardinalis de Tuderto.*

8.° *Executores testamenti sint spectabiles Viri Ser Antonius Jacobi Mencioni, Ser Thomas Ser Gabrielis de Percivallis, et Marinus Pier Jacobi de Ghirardutiis.*

9.° *Haeredes sint Venerabiles Fraternitates Mercatorum et S. Luciae, ut possint elemosinas dare Christi pauperibus pro anima Domini Episcopi, quibus mandavit, ut quaelibet singulis annis in perpetuum anniversarium obitus ejus in Ecclesia S. Flaviani celebrari curent.*

Quamplurima legata brevitatis causa praetermittimus.

His peractis dimissisque ceteris, qui aderant, spectatissimos quosdam Viros Sacramento adstrinxit, se, quoad viveret, nemini revelaturos quae dicturus foret. Mox addidit: *a certis Reverendissimis Dominis Cardinalibus et Praelatis Ecclesiae, et ab aliis diversis devotis Ecclesiae gloriosissimae Virginis Mariae de Laureto se habere plurimas ducatorum quantitates*, quas, ajebat, nolle se in alium usum converti, quam pro *continuanda Fabrica* Ecclesiae praedictae. Duxit eos deinde in cubiculum interius, apertoque scrinio saeculos quosdam aureis plenos inde deprompsit, annuloque suo probe prius obsignatos, quos duo circiter ducatorum millia continere affirmabat, *Officialibus Montis Pietatis* adservandos dedit, injungens eis, ut pro continuatione solum fabricae summam istam dispensarent; supremum dein vale eis dixit fausta omnia apprecatus, suoque se reclusit cubiculo [1].

CLXI. Eadem die hora circiter quarta noctis Venerandus Senex, Pastorque si unquam fuit optimus mercedem, uti speramus, suis operibus promissam recepturus ad superos abiit [2]: Quo cum dolore omnium, qui eum noverant, ac Recanatensium praecipue suorum, nuntius discessus ejus exceptus fuerit, ne cogitando quidem assequi possumus. Aeternam sane sui memoriam, suique desiderium ingens reliquit. Neque enim in ullum angulum oculos conjicere in Civitate nostra possumus,

---

[1] Toto coelo aberrat Calcagnius p. 300. dum Hospitale S. Luciae a Nicolao fundatum fuisse asseverat, idque pro advenis praecipue, puerisque projectis. Etenim antiquius illud multo fuit Episcopo laudato, ejusque mentio fit in charta anni 1340. aliisque plurimis saeculo XIV. conscriptis; pro exteris vero ac spuriis fundatum fuisse somnium est Calcagnii. Docent enim infinita fere monumenta, et libri ipsi Fraternitatis, exercuisse eam cujusvis generis opera charitatis, aluisse pauperes, excepisse infirmos, dotes constituisse puellis, subvenisse, ut verbo dicam, civibus suis Recanatensibus, qui ope indigere videbantur. Projectis non deerant; sed paucissimos eos olim fuisse registra ostendunt. Nicolaus porro Astius redditus a se hospitali legatos *pro arbitrio Sodalium* in caritatis opera impendi debere conceptis verbis edixerat.

[2] Ser Jacob. M. Petrutii p. 145.

quin recordemur Nicolai de Astis, quem vere Parentem Ecclesiae nostrae dicere possumus.

Sepultus est, ut ipse voluerat, in sepulcro, quod vivus sibi fecerat; at conditus anno proximo in arca marmorea, cui haec verba inscripta sunt:

Sepulcrum olim Rmi. Dn. Nicolai
Episcopi Rac. et Mac. quod
fieri fecit Fraternitas S. Luciae
M. CCCC. LXX.

Extat haec arca in Sacello, quod S. Paulinae dicitur, ante Sacrarium, in quo sacrae adservantur Sanctorum Coelitum Reliquiae.

Corpus Nicolai circa annum 1596. integrum adhuc fuisse testis est Senatus Recanatensis in relatione quadam de Nicolai de Astis apud nos monumentis ad Foroliviensès missa.

Ceterum non destiterunt Majores nostri, Sodalitium maxime S. Luciae, anniversaria sacra pro Nicolao, ut ipse instituerat, facere [1], conveniebant ad ea olim e tota fere Provincia religiosi viri, et habebatur ad frequentem populum oratio, qua laudes praedicabantur praeclarissimi Viri, Patrisque et Benefactoris inmortali memoria et veneratione dignissimi, cui officio par est, ut nunquam desint ad ultimam usque posteritatem Clerus, Populusque Recanatensis [2].

Vicarii Generales Nicolai Astii fuere:

1440. D. Joan. Nicolai de Fano Canon. Recanat.
1442.-1445. D. Venantius Cicchi de Teramo.
1448. D. Nicolaus de Plebanis Praepositus S. Viti.
1449. D. Joannes Nicolai, qui supra.
1458. D. Petrus Antonius Ser Philippi de Astis Archidiaconus Recanat.

---

[1] Solemnis absolutio in Anniversario Nicolai de Astis fiebat cum quatuor Assistentibus Canonicis pluviali indutis, donec An. 1654. 14. Nov. morem hunc rubricis Libri Pontificalis adversari declaravit sacra Rit. Congregatio.

[2] In commonitorio, quo Capitulum Recanatense Oratores An. 1544. die 18. Junii ad Card. Joa. Dom. de Cupis Episcopum nostrum missos instruxit, haec leguntur:
« Supplicarete ancora a Sua S. Rma. et Illma., che se degni fare una memoria « de se in la nostra Chiesa a guisa de quelle fece quella Santa Anima del Vesco « Nicolò, che ne lasciò il monte de meriti de Venetia, et bona parte del monte « de' meriti de Ancona, de che s'offitia la Chiesa; con ragguagliarla che perciò « ogni lunedì facemo memoria per quella santa anima, et oltre ciò ogni anno « tante volte li facemo l'anniversario; et ciò durerà, finchè sarà questa Chiesa » « (Fogli volanti Archiv. Vescovile).

1460. D. Marinus Augustini de Rufinis Canon. Recanat.
1463. 1467. D. Franciscus Nicolai de Fano Canon. Recanat.
1468. D. Petrus de Aleis Praepositus S. Viti.
1469. D. Franciscus Nicolai iterum.

Canonici Recanatenses in Vicarium sede vacante elegerunt *Petrum de Aleis* Praepositum S. Viti; die vero 10. Octob. Episcopum sibi dari postularunt *Nicolaum Trevisanum* Venetum Benedicti filium, Judicem generalem causarum Ecclesiasticarum in Provincia Picena.

CLXII. Coaevus fere Nicolao Astio fuit *Antonius Columbella* Recanatensis, S. Theologiae, ut nonnulli tradunt, Doctor Sorbonicus, atque in Lovaniensi Universitate Lector, Ord. S. Augustini. Episcopus Senogalliensis creatus est ab Eugenio IV An. 1438. Hunc ob virtutes atque doctrinam a Sede Apostolica sibi concedi Antistitem expetierant Recanatenses complures An. 1429. Eumdem, ab Eugenio IV creatum Episcopum Senogalliensem, oratorem destinarunt cives sui An. 1447. ad Nicolaum V, ut Patriae nomine dignitatem ei Summi Pontificatus gratularetur. Hic ob tyrannidem Sigismundi Malatestae, qui ut opportunioribus urbem muniret moenibus S. Paulini Ecclesiam, aedesque Episcopi demolitus fuerat, sedem deserere coactus cum universo Clero fugit Anconam, ibique reliquum vitae exegit ad annum scilicet 1466. usque. Egisse tamen aliquandiu Recanati constat. Incidimus enim in chartam An. 1465. d. 21. Julii a Ser Hieronymo Nicolai scriptam *in camera Episcopi Senogalliensis sita juxta Ecclesiam S. Augustini de Recanato.*

Eodem fere tempore floruit *Matthaeus Venturius* Decr. Doctor multis gravibusque negotiis adhibitus a Philippo Calandrinio Cardinali Nicolai V fratre. Abbas fuit Commendatarius Monasterii S. Laurentii in Doliolo apud Septempedanos An. 1449. 1456., eique praefuit anno adhuc 1477. 27. Sept. (Ser Jacob. M. Petrutii). Idem Philippi Card. Calandrini vices gessit in administranda Abbatia S. Crucis de Saxovivo (ut ex instrumento d. 3. April. 1467. apud Jacobillium in Chronico).

Qui seriem Antistitum Recanatensium ante nos vulgarunt, cum Ughellio successorem Nicolai Astii fuisse scribunt *Petrum Georgii de Tolomaeis* Praepositum Ecclesiae S. Emidii de Teramo, qui vulgo *Praepositus Teramanus* dicebatur. Hic ut privatus Sacerdos Aedes Lauretanas jam An. 1438. incolebat, quo anno Beneficium Tit. S. Antonii obtinuit ab Antonio Ser Vannis Stephani in Ecclesia Lauretana fundatum; demum, post mortem aut discessum D. Andreae Jacobi Praesbyteri Adriensis, Lauretanae Domus Gubernator ab Episcopis nostris constitutus hoc munere perfunctus est ad annum usque 1473., quo mortuus est mense Junio. Episcopum un-

quam fuisse virum hunc, quem alias chartae nostrae a probitate et pietate commendant, fabula est nulli fundamento innixa, innumerisque fere documentis, quae apud Recanatenses extant, convulsa. Ceterum e nepotibus Praepositi Teramani prodiisse creditur gens Flaminia apud Recanatenses illustris.

XVIII. FRANCISCUS MAUROCENUS

EPISCOPUS PARENTINUS, ADMINISTRATOR.

CLXIII. Legati, quos mortuo Nicolao Astio, Clerus et Senatus Recanatensis Romam miserant, tum ut testamentum Episcopi defuncti ratum a Pontifice Summo haberi curarent, tum ut novum sibi Antistitem praefici obtinerent, qui Decessoris exemplo virtutibus omnibus floreret ac redditus Ecclesiae Lauretanae ad pios usus, atque aedificationem inprimis Templi impenderet, retulerunt, probasse Pontificem acta Nicolai pleraque omnia, summamque esse ipsius erga Recanatensem Ecclesiam, Aedemque Virginis voluntatem: idcireo statuisse Episcopatum sibimet justis de causis aliquantisper reservare: missurum vero, qui ejusdem curam gerat, virum prudentem aeque ac pium *Franciscum Maurocenum Venetum Episcopum Parentinum:* hunc praefuturum fabricae, adhibitis in consilium duobus de Clero, duobusque de Populo Recanatensi. In eamdem fere sententiam respondit Paulus II litteris datis die 2. Nov. 1469.

Ut primum Recanatum advenit Franciscus Maurocenus, ea illi potior atque antiquior cura fuit, ut Nicolai Astii ultimae voluntati pareret. Itaque die 17. Januarii 1470. legata ab eodem Collegio Altaristarum, Sodalitiis Recanatensibus, aliisque piis locis facta confirmavit, uti et ea, quae facta fuerant Vicario Generali, Sacerdotibus Urbis (quadraginta et unus tunc erant, quorum cuique florenum aureum reliquit) Sacristae, Notariis, famulis, Nepotibus Cicco et Antonio de Astis annulum aureum, sigilla argentea, aliaque ex argento vasa, equos insuper, et 250. ducatos, ita jubente Pontifice, tradidit; annulum vero alium aureum cum amethysto Lucretiae cuidam meretrici, quae relicto foedissimo illo vitae instituto castas inibat nuptias, donavit. Sodalitatibus denique Mercatorum, et S. Luciae, quas Nicolaus sibi haeredes scripserat, ne inanes abirent, frustraque esset testatoris voluntas, pannos laneos omnes, ac medietatem lineorum concessit.

CLXIV. Deinde ad fabricam Lauretanam mentem advertit, strenueque eam ursit, ita ut quam frequentissime a Recanatensibus ligna, ve-

eturas, et operas peteret, quae illi dici non potest quam liberaliter praestiterint[1].

Verum, ut sumptus suppeterent, qui fiebant maximi, providit Paulus Pontifex Maximus, concessa Bulla data die 12. Febr. An. 1470., qua *Ecclesiam Beatae Mariae de Loreto miraculose fundatam, in qua, sicut fide dignorum habebat assertio, ipsius Virginis gloriosae imago angelico comitata coetu mira Dei clementia collocata existebat, et ad quam propter innumera et stupenda miracula, quae ejusdem meritis et intercessione singulis ad eam devote recurrentibus Altissimus operatus est hactenus et operatur in dies, ex diversis mundi partibus etiam remotissimis populorum confluit multitudo, cuique Paulus ipse ab ineunte aetate ultra communem mortalium modum semper devotissimum se fuisse profitetur, frequentari magis magisque desiderans, atque ut pro conservatione ipsius Ecclesiae, ac illius ornamentis manus fideles promptius porrigerent adjutrices, omnibus his, qui singulis dominicis proximae Quadragesimae, et singulis diebus in hebdomade Sancta eam visitaverint, et pro ipsius fabricae conservatione vel ornamentis manus porrexerint adjutrices, plenam indulgentiam elargitus est*[2].

Quam Indulgentiam Recanalenses misso quaquaversus Bullae exemplo promulgandam curarunt.

Itaque celebratum est incredibili populorum concursu, quod Paulus concesserat, Jubilaeum: adlata undique anathemata plurima; redempta eleemosynis vota[3]: oblata cera, nummi, agri, domus, e quibus rebus maxima collecta fuit pecuniae vis expendenda in Templi aedificationem ultra nummos a Nicolao Astio relictos[4].

Quo facilius cera venderetur, apothecam haud procul ab Ecclesia constituit Episcopus, prohibuitque ne Recanatenses eodem in loco merces

---

[1] Die 17. Martii 1470. concessere ad fabricam *ligna sicca omnia* in silvis Communis existentia pro coquimine laterum, incidenda impensis Communis. Die 4. Nov. concessere ligna *unius petiae Silvae*; paucos post dies delata fuerunt Lauretum a nostris 32000 laterum, ac die 27. Nov. destinati ad fabricam muli sex cum mulionibus duobus aere publico alendi. Haec anno 1470.

[2] Bulla in Archiv. Secr. Civit. Recanat.

[3] V. G. pro commutatione Voti itineris ad S. Jacobi in Gallaecia ducatos aureos decem solvit D. Apollonia uxor Jacobi Dominici Girardelli de Castro Ficardi (Ser Jacob. M. Petrutii in bast. An. 1471).

[4] D. Franciscus Maurocenus e Monte Pietatis An. 1470. 13. Martii 1525. aureos deprompsit ex iis, quos Nicolaus Astius in eo deposuerat. Eodem anno 29. Nov. Magister Joannes Alberti faber murarius, (cujus opera 1468. usus fuerat Nicolaus) fassus est solutos sibi fuisse pro mercede laboris ducatos aureos 443.

exponerent: (quae prohibitio cum in maximum ipsorum detrimentum vergeret, supplicarunt per Episcopum Conchensem Pontifici, ut tolleretur).

Anno sequenti 1471. die 25. Januarii Jubilaeum denuo concessit Paulus Pontifex, idque amplioribus limitibus circumscripsit; a prima enim Dominica Quadragesimae durare voluit ad finem Octavae Solemnitatis Sacratissimi Corporis D. N. J. C.; neque diebus Dominicis tantum, sed in feriis quoque secunda et tertia post festa Paschatis, et Pentecostes, in festis Ascensionis, et Corporis Christi, et per octo dies ei proximos apertos fore edixit Ecclesiae thesauros omnes. Recanatenses igitur, ut ceteris populis exemplo praeirent, universi agmine sacro coacto Ecclesiam Lauretanam supplices petierunt, ac solemni ritu coronam argenteam, et ceram valoris 30. florenorum Reipublicae nomine Virgini Deiparae obtulerunt, Sodalitiorumque omnium Sodales singuli cereos donarunt, quorum nullus minus ponderaret tribus unciis.

CLXV. Ceterum Episcopus Parentinus fabricationi Ecclesiae Lauretanae ita attendebat, ut Recanatensis etiam Cleri, et Ecclesiae necessitatibus consuleret. Itaque cum Altaristae Ecclesiae Cathedralis a primo fervore descivisse viderentur, iisdem consentientibus die 22. Febr. 1471. constitutionem edidit, qua praecepit. canonicas horas a duodenis semper, ut ferebat Collegii institutio, persolvendas esse Altaristis, ita ut si qui ex iis forte abessent, in eorum locum alii succederent, quos Supranumerarios vocant, qui distributionum essent participes, donec reverterentur officio suo functuri illi, quorum id munus erat.[1]. Hanc constitutionem mortuo Francisco abrogavit, nescio qua de causa, Franciscus Nicolai Andreae Vicarius Generalis.

Inter haec decessit e vita Paulus II P. M. Quod ubi resciernnt Recanatenses mox Romam destinarunt qui successorem exorarent, ut Ecclesiae Lauretanae aedificationem et ipse quoque cordi haberet, eamque, ut fecerat Paulus, e redditibus Indulgentiarum, ipsiusque Ecclesiae, et e pecuniis a Nicolao relictis perfici curaret per Franciscum Maurocenum, quem ab ingenio ac probitate, ceterisque virtutibus majorem in modum commendabant. Verum Sixtus IV Episcopum Recanatensem designavit Andream de Pilis, cui in mandatis dedit, ut *de redditibus Ecclesiae* certam summam quotannis in fabricam Templi Lauretani impenderet.

---

[1] Emit Franciscus Maurocenus pro mensa Episcopi vineam sex modiorum in contrata *Fornacium Episcopatus* pretio ducatorum 190., eo quod contigua erat mensae fundo, et e fenestris Palatii conspici poterat.

Anno 1471. 8 Julii vineam cum domo in Villa S. Mariae de Laureto pro Ecclesia Lauretana pretio ducatorum 400. comparavit.

CLXVI. Non diu post haec superstes fuit Maurocenus. Etenim die 3. Octobris ad superos abiit, ac sepultus est in Ecclesia nostra Cathedrali. Lapis sepulcralis, cui insculpta est ipsius icon, et epitaphium sequens in Sacello S. Paulinae, quod sub turri campanaria est, hodieque visitur:

✠ HIC SEPLT' Ē ℞ᵛˢ P̃R ET

D̂NS F. MA/ROCĒŌ

V̄ĒT' ÊPS PARETıN' Q ECC.ᴬˢ RA

CHANATEN

ET HVI' ALMÆ V̄ÇS DE LORET.

MIRIFICE GUB'NAIT

EX CoMIS'ON BEATISSIM' PAVL

II PŌTIFICI' MX̃I

OBIIT DIE III OCTOBRS ĀÑO D̄NI

M. C.C.C.C. LXXI.

ETATIS SVE VERO ANIS LVIII.

Hic sepultus est Reverendus Pater et Dominus Franciscus Mauroceno Venetus Episcopus Parentinus, qui Ecclesias Recanatensem et hujus Almae Virginis de Loreto mirifice gubernavit ex commissione Beatissimi Pauli Secundi Pontificis Maximi. Obiit die 3. *Octobris Anno Domini* 1471. *aetatis suae vero annis* 58.

Defuncto Francisco coram Pontifice Sixto conquestus est Clerus Recanatensis delatas fuisse Romam pecunias, quae penes Franciscum repertae fuerant, fabricae destinatas, neque unquam rationem fuisse exactam administrationis ab illo gestae. Respondit Pontifex, Cameram nihil sibi velle de pecuniis Fabricae. Ceterum concessum iri indulgentias in biennium plenarias, ut concesserat Paulus, earumque introitus omnes, excepta parte Episcopo reservata, in fabricam fore expendendos; jussitque Magistratus Recanatenses virum deligere religiosum, qui claves arculae custodiret, in qua pecuniae ex indulgentiis colligendae reponerentur.

XIX. ANDREAS DE PILIS

CLXVII. Patrem habuit Andreas Ugolinum Pilium Legum Doctorem, nobili apud Fanenses genere ortum, qui anno 1409. apud Mediolanenses, teste Corio. praeturam exercuit, et Pandulpho Malatestae in paucis charissimus fuit, adeo ut bona complura *in Insula Ugonis* sita ipsi donaverit, quam donationem Martinus V die X. Kal. Maj 1425. ratam habuit (Joan. Franc. Lancellottus ex Archiv. Corinaltensi). De Ugolino Pius II Episl. 6. contra Sigismundum Malatestam haec habet: *Sensit hoc*, inquit, *nobilis eques, et clarus interpres juris Ugolinus Pilius civis Fanensis,* qui cum liberis utriusque sexus in carcerem conjectus prius dulces natos ante oculos suos dire cruciatos inspexit trucidari, post crudelem subiit mortem, inducta causa, quod Eugenio Pontifici Max. esset amicus, tamquam velitum sit eos, qui Vicariis Ecclesiae subsunt, Christi Vicarium colere. *Sic patrimonium illi nocuit*, *quod quamvis esset amplum et locuples*, non tamen Sigismundi cupiditatem explevit . . . . [1].

Muneribus publicis perfunctus est Andreas a teneris fere annis, et magna quidem cum diligentiae laude; etenim non ita diu postquam in

---

[1] *Dionysium* Ugolini filium, qui An. 1442. menso Aprilis rogatu Francisci Sfortiae Praetor a Recanatensibus creatus fuerat, idem post collocatam Sigismundo Polixenam filiam, quod eodem mense contigit, ob egregiam, ut ego existimo, illius fidem erga Romanam Ecclesiam, quae tunc recipere Picenum ejecto Sfortia conabatur, capi (mense Junio), in carcerem trudi, ac demum *vita privari* jussit. Nepotes habuit Andreas *Albertum, et Ugolinum D. Joannis*, atque *Ludovicum Ludovici de Pilis*, quos sibi haeredes instituit. Alius ei nepos fuit *Corradinus del Canto* (Ser Jacob. 1472. 6. Decemb). *Ludovica filia nobilis viri quondam Francisci de Pilis de Fano* nupsit An. 1475. D. Joannni Marino d. Archangeli de Dinis de Castroficardo. *Joannes de Pilis* Anconae An. 1525. *dialogum* edidit *salutis* circa regulam Fratrum Minorum adversus Capuccinos, qui italice recusus ibidem fuit An. 1527. An Joannes hic celebris ille sit Joannes Fanensis, qui inter Observantes Provinciae Picenae Minister fuit Provincialis, et Capuccinos nuper exortos acerrime insectatus est, ac demum eorum institutum amplexus, alii viderint. Haec de familia Andreae Episcopi expiscari undecunque licuit. Gens Pilia ad nostra usque tempora floruit, et nuper defecit. Insignia gentis sunt rosae tres, et in medio rota, in campo, ut ajunt, caeruleo; denique in parte scuti superiori rastrum, sive pinnae rubeae cum liliis tribus aureis.

Obiter meminisse hic juvat egregiae fratrum triadis, quam patriae Fano in acceptis referimus: *Joannis, Francisci, et Angeli* filiorum *Nicolai Andreae de Fano*. Priores duo Decretorum Doctores, et Canonici Recanatenses Dioecesi nostrae pro Episcopo diutissime praefuerunt; *Joannes* sub Nicolao Astio, *Franciscus* sub Nicolao, Francisco Mauroceno, Andrea Pilio, et Hieronymo Roboreo. *Angelus* aliquamdiu Parochiam S. Mariae Montis Morelli rexit.

scholis Perusinis Legum Doctor fuisset renuntiatus, Clericis Camerae adscriptus est. Inde ab anno 1453. sibi commendatam habuit Abbatiam S. Crucis de Saxoferrato. (Post obitum Pilii Abbatia haec Cardinalibus Hieronymo Roboreo, et Joanni Dominico de Cupis Episcopis nostris subjecta fuit).

Anno 1458. Andreas Thesaurarius Perusiae, et Ducatus Spoletani, et Gubernator Fulginei fuit, Jacobillio teste.

Praefectus fuit Arcis S. Angeli, sive Molis Adriani sub Paulo II. Quo mortuo, nonis Sept. 1471. creatus est a Sixto IV Recanatensis, et Maceratensis Episcopus.

Neque tamen destitit Pontificibus Romanis suam praebere operam Namque An. 1472. vices obiit Bartholomaei de Robore Sixti P. M. nepotis, et Aerario Piceno praefecti. Anno sequenti Caesenatium extitit Gubernator (1473. Decemb. et An. 1474.), ac deinceps Picentium.

Itaque Ecclesiis suis nonnisi per Vicarios praefuit, qui fuerunt apud nos Franciscus Nicolai de Fano Canonicus Recanat., et Petrus de Alcis Praepositus Capituli Canonicorum. Sacerdotio Andreas initiatus fuit Anno demum 1474.

CLXVIII. Ceterum toto Episcopatus ejus tempore continuata est aedificatio Templi Lauretani, cui praeter Episcopum praefectus a Pontifice fuerat Angelus Sutrinus Legum Doctor, Sixti IV Cappellanus. Hic fabris murariis persolvit perfecti *totius laborerii de crucigeriis*. Mox die 4. Octob. 1471. Magistrum Marinum Marci de Jaderinis Venetum architectum conduxit, ut murum meridionalem extrueret, pactus cum eo mercedem unius aurei in singulas decempedas [1].

Jubilaeum celebratum fuit, ut Sixtus indulserat, cum ingenti populorum concursu. Quare necesse fuit, ut quatuor viri a Recanatensibus crearentur annonae procurandae, et puniendis, quae committi possent in tanta hominum multitudine, delictis. Rationes accepti, et expensi civibus a Senatu deputatis reddebantur. Ut negotium aedificationis expeditius procederet, jussi fuere judices compendiario lites circa eam orituras decidere.

CLXIX. Quo tempore Ecclesiae aedificium exurgebat, eodem Recanatenses Villam Lauretanam magis magisque exornandam sumpserunt. Itaque An. 1475. stratae ibi fuerunt viae lateribus, extructus etiam non

---

[1] Tintinnabulum magnum ponderis 4000. et amplius librarum Saecllani Ecclesiae Lauretanae e stipe undecumque collecta conficiendum curarunt An. 1475. (Annal. Recanat. et Cingul.)

levi dispendio fons olim S. Joannis dictus, qui nunc, teste Bonjoannio, *delle bellezze* nuncupatur, quamvis opera invidorum quorumdam, quibus volupe est Recanatensium extinguere quoquo modo possunt gloriam, amota fuerint insignia Civitatis marmori insculpta, quibus memoriae et grati animi causa fons ille ornatus fuerat [1].

Sumptus praeterea quammaximos faciebat Respublica Recanatensis advenientibus ad visitandam Aediculam Lauretanam viris foeminisque principibus. Hi enim omnes excipiebantur honorifice: tractabantur aevi illius more lautissime. Adveniebant autem frequentissimi. Itaque Summus Pontifex ne tanto oneri succumberent, privilegium indulsit Recanatensibus, ut milites apud eos neque hibernarent, neque hospitarentur.

CLXX. Obiit mense Junio An. 1473. *Petrus Georgii Praepositus Ecclesiae S. Emidii de Teramo*, qui viginti et amplius annis Ecclesiam Lauretanam, domumque sive familiam Ecclesiae magna cum pietatis ac probitatis laude gubernaverat. Hic paucis ante mortem mensibus *Relationem* conscripsit *miraculosi adventus Ecclesiae Lauretanae*, quae typis mox edita tum latino, tum vernaculo sermone prodigii famam quaquaversus diffudit. Eadem in plerasque Europae linguas traducta jussu, ut ferunt, Gregorii XIII P. M. parietibus Templi appensa fuit, hodieque ibi legitur. Claves Thesauri Lauretani, quas Petrus habuerat, Magistratus adservandas tradidit uni ex Canonicis Recanatensibus, qui Laureti habitare, et peregrinis Thesaurum ostendere jussus est.

Pestilentiae morbus Recanatenses affligebat An. 1476., isque adeo atrociter saeviebat, ut nullibi fugitivis asylum praeberetur. Hisce in angustiis cum essent constituti, quaedam Matronae Virginis Lauretanae, cujus misericordiam toties Civitas nostra experta fuerat, opem implorandam censuere, eumque in finem circumcursantes per domos et compita nummos colligebant, e quibus coronam Virgini offerendam fieri curarent. Probavit pium inventum Senatus Populusque, et coronam aere publico conflari jusserunt. Paulo post effigiem addidere Civitatis ipsius ex argento affabre elaboratam; quae utraque ex voto Ecclesiae Lauretanae oblatae fuerunt. (die 9. et 26, Junii Annal.)

---

[1] Domus in Villa Lauretana amplas extruxerant ex Optimatibus non pauci. An. 1370. Laureti habitabant Nobiles de Cimis de Staffulo; initio saeculi sequenti domos ibi possidebant Sanguinii, Constantinii, Leopardii, Antici, aliique permulti, ut ex actis illorum temporum comperimus. Anno 1467. Sodalitium S. Luciae *magnam domum pro hospitio* in Villa S. M. de L. aedificavit, cujus exemplum secuta sunt alia quaedam Sodalitia Recanatensia.

Ejusmodi effigies civitates Ferraria, et Firmum, postque eas Oppida, et Urbes quamplurimae Virgini donaverunt; quo scilicet dono se, et sua Virgini se debere, et dicare profitebantur.

CLXXI. Quod ad reliqua acta Ecclesiae Recanatensis sub Andrea Episcopo adtinet, interciderunt ea pleraque. Anno 1472. prima Decembr. Episcopus Antonio Pauli Praeposito Altaristarum Ecclesiae S. Flaviani, qui Laureti semper habitabat, in eaque Ecclesia *Sacellani*, et eodem tempore *Rectoris Cappellae S. Joa. Baptistae de Portu* munera obibat, praecepit, ut relicto Laureto Recanatum abiret, Altaristis suis praeesset, chorique munia ut recte obirentur pro officii sui ratione curaret. (Ser Jacob. M. Petrutii). Is igitur alium sibi substituere debuit, qui *Cappellam Portus officiaret, Parochianos confiteretur, et Sacramenta Ecclesiastica eis exhiberet.* Litem postea Canonicis et Altaristis Ecclesiae Cathedralis fuisse comperio cum Praeposito S. Viti. Constitutum fuit hac occasione a Canonicis, ut ea quae tractarentur deinceps in Capitulo sub poena perjurii nemini revelare fas esset. (Ser Jacob. M. Petrut. 1473. 9. Jun. in bast.)

De cetero cum non tantum Antonius Pauli suprascriptus, atque Antonius Spene Canonicus, sed et plures alii Canonici, atque Altaristae in domibus Ecclesiae Lauretanae compluribus annis morati fuissent, sacraque ibi fecissent, cui eam ob rem Nicolaus Astius Villam Morlongi aliosque fundos donaverat, ut ex iis, dum viverent, alerentur, reluctatos eos fuisse existimo Andreae Episcopo ad residentiam Recanati faciendam eos revocanti. Quare Apostolica auctoritate (in Bulla data 1473. 6. April.) donationes illas confirmari curavit idem ille Antonius Altaristarum Praepositus [1], ne ab Episcopo e Lauretana Ecclesia ejici possent.

CLXXII. Senatus Recanatensis et ipse decori Domus Dei providit, vetans, ne quis deinceps Ecclesia Castri Montis Florum tanquam domo, aut apotheca uteretur; jubensque, ut pavimentum in ea fieret. (Annal. Recan. 1474. 19. Junii).

Idem amplissimus Ordo An. 1475. legem tulit sumtuariam, qua inter cetera prohibita fuerunt . . . . . *scolla feminarum ultra os pectoris in pede colli; et ludi tabularum.*

Anno sequenti cum fama increbuisset vitam agi inhonestam a nonnullis, qui in almis domibus commorabantur, neque a culpa immunes esse, qui illis domibus tum praeerant, a quibus redditus etiam impenderentur male, administrarentur pessime, rogaverunt Recanatenses Episcopum, ut remedium his malis afferret, substituendo Gubernatori alium meliorem,

[1] Extat Bulla in Bullario Almae Domus Lauretanae.

ejiciendo feminas infamatas etc.: quo monito non levem offensionem Alberti Pilii, qui filius fratris Episcopi erat, ac Domum Lauretanam gubernabat, susceperunt.

CLXXIII. Verum Episcopus haud diu post cum Romam peteret, Fulginei ineunte mense Octobri An. 1476. e vivis excessit. Moriturus Beneficium Laureti constituit, cui *SS. Andreae et Hieronymi* titulum fecit, ejusque Patronos esse voluit nepotes suos Albertum, et Ugolinum D. Johannis, atque Ugolinum Ludovici de Piliis, eorumque posteros. Primus Beneficiarius ab ipsomet designatus fuit Trajanus Petrelli de Ajello Salernitanus.

Vicarius Episcopatus a Capitulo electus fuit D. Franciscus Nicolai e Collegarum numero, ac Deputati duo, qui bonorum et rerum Episcopatus indiculum conficerent, aliique, qui idem praestarent circa res et bona Ecclesiae Lauretanae, quique pecunias aedificationi illius destinatas ab Alberto Pilio repeterent. Porro die 10. Octobris Canonici nostri Episcopum sibi dari postularunt *pro honore*, ut ajebant, *gloria et laude Ecclesiae Recanatensis*, *et Ecclesiae gloriosissimae Virginis Mariae de Laureto Jesu Christi piae Matris*, Antonium Jacobum de Veneriis civem Recanatensem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem [1], de quo ejusque Familia paucis hic loci agere opportunum existimamus.

CLXXIV. Familia *Veneria* ex ultima stirpe Recanatensis Civitatis orta fuisse videtur. In charta enim An. 1211. Monasterii S Firmani, quae in Tabulario Canonicorum Montelupponensium adservatur, mentio fit *Filiorum Venerii de Recanato;* An. 1234. filiorum Bernardi Venerii (Archiv. Episc. Auxim.) At sub finem praecipuo Saeculi XIV. inclaruere Venerii cum divitiis, tum dignitatibus: *Antonius* nimirum, *Flavianus, Matthaeus*, et *Jacobus* filii *Colutii Ciccolini Vannis*. Jacobus Decretorum Doctor anno jam 1420. Aulam sequebatur Romanam. An. 1428. dissidia quaedam Firmanos inter et Anconitanos componere jussus est a Senatu Anconae, ubi civitatem gens Veneria consecuta erat. Scriptorem tunc gerebat Poenitentiariae Apostolicae. Adhibitus fuit An. 1434. ab Eugenio IV ad obtinendam a Romanis libertatem Francisci Condulmarii Cardinalis ac nepotis Pontificis, quem isti captum detinebant. An. 1440. creatus est Archiepiscopus Ragusinus. Odoricus Raynaldus Bullam refert Nicolai V datam An. 1453. 4. Kal. Maji, qua idem Jacobus Legatus Apostolicae Sedis cum potestate Legati a latere, et Classis Christianae Praeses *tamquam bonus fidei propugnator, prudentia quippe et doctrina praeditus, atque in Romanae Ecclesiae pluribus negotiis laudabiliter versatus, et ab Altissimo quam-*

[1] E protoc. Ser Jacobi M. Petrutii

plurimarum virtutum aliarum dono insignitus destinabatur ad liberandam a Turcarum obsidione Constantinopolim, quae expeditio successu felici caruit (Raynald. Annal. Ecc. 1453.) Monumentum sepulcrale erexit Jacobus Flaviano, et Matthaeo Fratribus in Ecclesia S. Mariae Castri Novi, ubi avitum gentis sepulcrum, et sacellum erant, idque monumentum etiam nunc extat. Obiit Jacobus An. 1461.

Ex *Antonio* fratre Jacobi natu majore, et *Chryseide Condulmaria* nati sunt *Lucianus*, unde Venerii Anconitani, quorum stirps defecit, *Colutius* (ad quem Venerii, qui hodieque florent, Recanatenses referunt originem) *Antonius Jacobus, et Petrus Paulus*. Antonius Jacobus natus anno circiter 1422. juvenis admodum a Jacobo Condulmario Avunculo Senecae Camerti, viro tunc temporis inter bonarum artium magistros celeberrimo, instituendus traditus fuit; deinde in Aulam Romanam introductus, Ludovico Scarampio Patriarchae Aquilejensi, cujus maxima tunc erat auctoritas, inprimis carus extitit. Itaque mature admodum Praepositus Ecclesiae Cathedralis Faventinae creatus est, cui dignitati mense Martio 1438. renuntiavit. Scriptor fuit Litterarum Apostolicarum, teste Cl. Marinio in Libro de Archiatris Pontificiis T. II. p. 159., sub Eugenio IV; Secretarius Apostolicus sub Callisto, et Pio. Missus in Picenum ad habendos delectus, eo munere ita perfunctus est, ut mira cum celeritate tum prudentia nutantes populorum animos confirmaverit, auctisque copiis, adhibitisque praesidiis opportunis infidos, ne desciscerent, coercuerit. Creatus est non multo post Camerae Clericus, et Collector decimarum in Hispania, ubi etiam plures legationes de maximis rebus felici cum successu obiit, Callisto, Pio, et Paulo II regnantibus. Post haec Orator fuit Pontificis ad Ducem Mediolani Galeatium. Electus est *Syracusanus* Episcopus An. 1461. 11. Januarii; *Legionensis* dein, ac demum *Conchensis* An. 1472., quo tempore aedes in Patria extruxit magnificas publicis etiam opibus adjutus. Quare grati animi contestandi causa pollicitus est apertas eas semper fore Viris Principibus, quos Respublica Recanatensis hac transeuntes hospitio tunc excipere solebat. Cardinalibus demum adscriptus fuit An. 1473. mense Majo, ac praepositus Titulo primum SS. Viti et Modesti, deinde S. Clementis; vulgo tamen audiebat Cardinalis Conchensis [1].

Tantum Civem, defuncto Andrea Pilio, Episcopum sibi dari postularunt Capitulum, et Senatus Recanatensis. At voti, ut dicemus, neutiquam potiti

---

[1] Exceptus est in Patria, cum non ita multo post eo advenisset, cum maximis honoribus pro more aetatis, scilicet cum *processionibus*, *mazzeriis*, *pueris*, *et palmis*, *pulsatione campanarum*, *ignibus festivis*, *saltationibus*, *pecuniae projectione etc.* (Annal.)

sunt. Decessit e vita Cardinalis Venerius Recanati 3. Non. Sextiles 1479., sepultus vero est in Ecclesia S. Clementis Romae, ubi hodieque monumentum conspicitur ei positum a Sixto IV P. M. cum insigni elogio, quod exscripsimus e Calcagnio p. 197; et Gallettii Inscript. Picenis. quae Romae extant p. 31.

Antonio Jacobo Venerio Rachanaten
Tit. S. Clementis Presbitero Cardinali
Episcopo Conchen. magnanimitatis, constantiae
severitatis, fidei integritatis exemplo, cunctis
in Romana Curia honoribus, ac in omnibus
pene Occidentis oris mira gratia felicissimo
successu legatione perfuncto, in Cardinalem
ob merita totius Senatus suffragiis assumpto
Xistus IIII Pont. Max. B. P. annum
agens LVII. III. non. Aug. An. Sal.
M. CCCC. LXXIX. in Patria decessit.

Nescio equidem quo pacto acciderit, ut bona Cardinalis, eo defuncto, uti et bona Luciani fratris, et Joan. Baptistae nepotis Camera sibi vendicaverit. Testamentum tamen fecerat Cardinalis, quod habes apud Calcagnium, qui diligenter persequitur res Familiae Veneriae. Spolium ejus ascendisse ad summam Scutorum 120000. tradit Ciaconius; at Garimbertus ad summam scutorum viginti millium tantum. Palatium Camera vendidit Joanni Venerio Archiepiscopo Ragusino. Ecclesiae Lauretanae, ut scribit Tursellinius, dono dederat Cardinalis *Pluviale* praeclarum, atque ad usum *Sacerdotis ac Ministrorum solemni cerimonia sacrificantium vestes aureas ingentibus floribus auro crispo et opere phrygio insignes.*

De *Flaviano* Jacobi Archiepiscopi Ragusaei altero fratre, qui et ipse An. 1453. Scriptor fuit Sacrae Poenitentiariae, nati sunt *Venerius*[1], *Matthaeus* Decretorum Doctor, et Sacrae Poenitentiariae Scriptor, et *Joannes,* qui An. 1470. electus est Archiepiscopus Ragusinus, consecratusque in Patria die 2. Novembris ab Episcopis Anconitano, Parentino, atque Aesino. Hic An. 1485. Prolegatus fuit Provinciae Picenae. Obiit Fani die 12. Augusti 1490. (Annales). E *Colutio* tertio Jacobi fratre nati sunt *Joannes Baptista* parens familiae Veneriae nunc florentis, et *Franciscus.*

---

[1] Hujus filius *Jacobus* fuit, qui An. 1519. ampli sui patrimonii haeredem scripsit Fraternitatem S. Jacobi. Palatium Cardinalis Venerii ex haereditate illa acceptum Fraternitas nuper vendidit. E fundis Virgines alit Capuccinas.

CLXXV. Joanni Venerio in Archiepiscopatu Ragusino successit *Joannes Saccus* de Sirolo Civis Anconitanus et Recanatensis, Plebanus Montis S. Viti, qui An. 1476. Vicarius Generalis fuit Thomae Isilerii Episcopi Aesini— An. 1490. electus est Archiepiscopus Ragusinus — 1492. Datarius erat Innocentii VIII. — Episcopus Anconitanus An. 1502. Mortuus est An. 1505.

Coaevus huic fuit *Petrus* sive *Petrutius* filius *Matthaei Petrutii Marci Ritii*[1], et *Joannae* filiae *Bartholomaei D. Thomae de Putiis olim de Florentia*. Hic saeculari primum equestri gradu insignis fuit, dimissa dein Commenda, quam obtinebat, Monasterii S. Andreae de Carnano Ordinis S. Benedicti in dioecesi Tudertina, electus fuit Episcopus S. Agathae de Gothis anno 1469. die 17. April. (Ita Cl. Marinus loc. cit. e Regest. Vatic. T. VIII. pag. 131. Ughellium erroris redarguens, qui scripserat die 15. Maji Cathedram illam obtinuisse Petrutium) De eo Jacobus Petrutii Curiae Episcopalis Recanatensis Scriba An. 1470. 8. Octob. verba faciens . . . *D. Petrutius Matthaei*, inquit, *nunc Episcopus S. Agathae*. Hunc Calcagnius pag. 192. et Ughellius *Petrum Matthaeum de Paganata* vocat, pro *Petro Matthaei de Racanato*, ut vocare eum oportebat.

Ad Juvenacensem Episcopatum translatus est An. 1471. Patriam revisit An. 1481. mense Septembri, cum ad Camertes a Rege Neapolitano missus fuisset Legatus. Fratrem habuit Petrus *Bartholomaeum* Regum Alphonsi, et Ferdinandi a Consiliis, et Secretis, virum eruditum, cujus extat liber Moralium (inter Codices MSS. Bibliothecae Vaticanae N. 5150.) Inter Philelphi epistolas una est ad Bartholomaeum, quem Recinium vocat, scripta An. 1457.

Bartholomaeus pater fuit *Alfonsi* Advocati Consistorialis, qui jussu Pontificis Patriam invisit An. 1487. mense Januario, negotia quaedam confecturus. (Annal.) Ex Alphonso Bartholomaei filio et Bernardina Capoferrea natus est *Hieronymus* dictus *Capoferreus*, qui pluribus pro Apostolica Sede legationibus perfunctus, Thesaurarius Apostolicus creatus est, deinde Episcopus Niciensis, ac demum An. 1545. S. R. E. Cardinalis, cui S. P. Q. Recanatensis memores originis ex antiqua civium progenie, missis ad eum Oratoribus de augmento honoris publice gratulati sunt. Obiit An. 1559. Kal. Octobr. Videantur de eo Ciacconius, Cardella, Calcagnius pag. 206. et seqq.

---

[1] Petri Episcopi Pater in charta Anni 1447. 6. Maji, quae extat in Archivo Sodalitii S. Mariae Mercatorum dicitur *Matthaeus Petrutii Angelutii*. In Protocollo ser Jacobi M. Petrutii idem Petrus ad An. 1468. mense Junio . . . . vocatur *Magnificus miles D. Petrutius Matthaei Petrutii Aromatarii*. *Sanguine clarum* fuisse testatur inscriptio antiqua Palatii Episcopalis Juvenacensis apud Calcagnium p. 205.

XX. HIERONYMUS CARD. ROBOREUS

CLXXVI. Vacantis Ecclesiae curam post mortem Pilii assumpserat, jubente Sixto P. M. Georgius de Ruvere Episcopus Oropitanus, cujus non pauca extant instrumenta ad Mensam Episcopalem, atque ad Ecclesiam Lauretanam spectantia.

Ut fabrica Templi Lauretani urgeretur acrius, ac perficeretur celerius, sex viros Georgius constituit, qui ei praeessent, videlicet duos e Patribus Observantibus, Guardianum scilicet Conventus S. Mariae de Varano cum Socio, quem sibi ipse adscivisset, Canonicos duos, totidemque Cives Recanatenses, quibus addidit *Gubernatorem domus Episcopalis.*

CLXXVII. Tandem Episcopum Sixtus IV nobis praefecit *Hieronymum Balbi* nepotem suum e sorore, Albizolae ortum in dioecesi Sagonensi, quem e Canonico Sagonensi Episcopum creaverat Albigaunensem An. 1472., atque in familiam Roboream adoptaverat. Possessionem is iniit Episcopatus nostri die 2. Decembr. 1476. Bullas Pontificias exhibente Petro de Pissia Sixti IV a Cubiculo, cui mox Episcopus vices suas commisit ad recipiendas, et in aedificationem expendendas oblationes Lauretanas, aliaque obeunda munia. Personabant omnia faustis vocibus, quod Praesulem se accepisse laetarentur Recanatenses, qui et optimus esset, et sibi atque Ecclesiae, quod Pontifici Summo sanguine conjunctus esset, egregie profuturum animo concepissent: cum ecce die 8. Decembris Senatui exhibita fuit Bulla data 28. Novembris, qua Ecclesiam Lauretanam, ejusque Ministros Sixtus IV P. M. eximebat a jurisdictione, ac potestate Episcopi Recanatensis, immediate eam subjiciens S. Romanae Sedi; Vicarium deputabat, qui in iis, quae ad cultum divinum spectabant, ei praeesset, *Marcum Colae* Canonicum Maceratensem, Cappellanos octo, qui Ecclesiae quotidie inservirent, et confitentibus peccata aures praeberent; denique et Gubernatorem, cui domus, reddituum, ac Ministrorum cura incumberet, *Albertum Pilium Fanensem,* eum ipsum nempe, quem amoveri ab officio adeo enixe, ut vidimus, Senatus postulaverat. Hic nunc Bullam attulerat, ac Senatui tradiderat publice legendam. Idem Recanatenses insimulasse ferebatur apud Sixtum expoliatae Ecclesiae Lauretanae. Cujus criminationis tamen in ipsa Bulla non meminit Pontifex, sed exemtionis unam rationem adfert devotionem, quam se habere testabatur adversus Virginem Deiparam. Quantus dolor, quanta indignatio Recanatensium omnium animos tunc invaserit, aestimari, quam dici facilius potest. Urebat pectora ignominia, sic enim interpretabantur, illata Episcopatui, et Ecclesiae, cui Deus ipse Aedis Sanctissimae dominium tradidisse videbatur. Urebat detrimentum, quod passuros se

praevidebant in temporalibus aeque ac spiritualibus; urebat calumnia, et rapinae nota; urebat triumphans Pilius, qui toto eo tempore, quo patruus Ecclesiae praefuit nostrae, id egerat, ut Recanatensibus quam aegerrime faceret, bona et silvas invaderet, devastaret, jura imminueret, vectigalia defraudaret; ceterum moliminum suorum sociis, quos Servos Virginis vocabant, infanda omnia permittens. (Ex Annal. Recanaten.)

CLXXVIII. Oratores itaque geminos Romam senatus ablegat, interque eos Magistrum *Berardum Bonjoannis*, virum, qui summa apud omnes gratia florebat, ac ob medicae artis peritiam, et medendi felicitatem alter quasi Aesculapius habebatur: irent, supplices ad genua Domini procidereut, obsecrarent restitui sibi decus suum atque praesidium; conquererentur de calumniis impactis, conatus exponerent Reipublicae Recanatensis, quorum causa benemeriti videri possent de loco sancto, cujus devotionem nuper ob scelera *Praesidentium* multum imminutam foverant ipsi, auxerant, propagaverant; tum vero fidem commemorarent erga Statum Ecclesiae, qua subditos ipsius omnes praeire Recanatenses hactenus existimabantur; obtestarentur denique, ne pessimam sibi mercedem ob unius hominis nequitiam rependi pateretur Pontifex.

Interim Bullam Pilius exequitur: claves Cippi, et arcarum Guardiano Patrum Observantium, aliisque, pecunias vero pro fabrica ab Episcopo Oropitano acceptas depositario tradit. Animalia quae Laureti e silvis Episcopatus nutriebantur vendere, atque Ecclesiam Recanatensem, ut Lauretana Aede, cui possessiones praeter eas, quas Nicolaus Astius aere suo coemptas donaverat, vix ullae erant, sic amplissimis illis praediis Lauretano Templo vicinis, quae suis, aliorumque Ministrorum rationibus apprime conductura intelligebat, spoliare molitur.

Sed iniquissimo huic auso obstitit Capitulum Recanatense, et Petrus de Pissia Episcopi Agens in rebus, qui ostenderunt spectare animalia illa ac fundos ad Episcopum, cui praeter Ecclesiam Lauretanam Bulla ipsa nihil abstulerat.

CLXXIX. Agnovit hominis perfidiam Sixtus ipse P. M., et intellexit aequa esse, quae Legati a nostris missi postulabant. Itaque Bullam illam infaustam irritam decernit, ac nulla quae in ea decreverat, praeter indulgentias, aliaque privilegia spiritualia Ecclesiae Lauretanae concessa, restituitque illam [1] die 8. Februarii 1477. Episcopo, et custodiam Thesauri

---

[1] Ecclesiam inquam Lauretanam, non Dioecesin, ut erronee alios secutus scripsit Cl. Cardella in Comment. de vitis Cardinalium S. R. E. in vita Hieronymi Roborei. Villa enim tunc erat Lauretum, neque Dioecesin', neque territorium unquam habuerat.

Recanatensibus. quibus Nicolaus Astius eam curam demandaverat, *evidentissimis rationibus*, verba sunt ipsius Pontificis, *informati praemissa a Nobis concessa et statuta non solum in enormem laesionem Recanatensis Ecclesiae cedere, sed etiam prosperi regiminis fructum dictae Ecclesiae Beatae Mariae non eo, quo putabamus, modo succedere.*

CLXXX. Amoto igitur Pilio Petrus de Piscia Episcopi Commissarius, ejusque vice Marcus Colae Canonicus Maceratensis fabricae praefuerunt, quae tunc demum strenue urgeri coepta est, praesertim ubi paulo post (mense Majo) cura illius perficiendae, et Ecclesiae gubernandae concredita fuit Antonio Pauli de Tolomaeis Praeposito Recanatensi [1], cujus patruus Petrus Georgii Praepositus Teramanus tot annis, tantaque cum laude, atque Ecclesiae incremento ei praefuerat. quemque Pilius artibus suis sub specioso, ut vidimus, praetextu expulerat.

Post Antonium, qui obiit mense Sept. An. 1481., quoad vixit Hieronymus Roboreus, res Ecclesiae Lauretanae administravit *Bernardinus de Cuppis* de Montefalconis, cujus industria aedificium Templi demum perfectum est.

CLXXXI. Hieronymus Episcopus altero Praesulatus sui anno (10. Decemb. 1477.) creatus est a Pontifice avunculo suo Cardinalis Tituli S. Balbinae, a quo An. 1479. ad Titulum S. Chrysogoni, ac dein ad Titulum S. Ceciliae pertransiit. Commendata ei fuit An. 1482. Ecclesia Eugubina, cui decennio post renunciavit, teste Sartio in Commentario de istius Ecclesiae Praesulibus. Anno 1492. 31. Augusti Praenestinus, et An. 1503. 29. Nov. Sabinorum renuntiatus est Episcopus; ceterum ad finem usque vitae ab Ecclesia, cui praeerat dum Purpuram assumpsit, more illius aetatis *Cardinalis* vulgo appellabatur *Recanatensis*.

CLXXXII. Ecclesiam suam absens gubernavit triginta et amplius annis ita ut nunquam deesse pateretur paterni, quo ejus prosperitati invigilabat, animi signa. Vir fuit a probitate, candore, ac innocentia morum, summaque in Deum pietate inprimis commendatus: liberalis praeterea, ac munificus maxime erga viros literatos, ac bene moratos, quos pro viribus juvabat, licet modicis redditibus Ecclesiasticis, et exiguo gauderet patrimonio. (Cardella T. III. p. 203.). Adeo insignia sunt, quae in Basilicam Lauretanam contulit, beneficia, ut pater ejus ac praecipuus benefactor jure merito dici posse videatur. Fabricam enim a Nicolao Astio coeptam, a Mauroceno, et Pilio continuatam ipse ad culmen perduxit, ut praeter acta publica testan-

---

[1] Ita tunc vocabatur Praepositus Ecclesiae S. Flaviani, quem nunc Archidiaconum vocant.

tur insignia ipsius muris Ecclesiae variis in locis inserta. Ecclesiam deinde Cappellis, et Altaribus, suppellectilibusque sacris, tum vero, quod caput rei est, Ministris, Cantoribus, et Sacerdotibus, iisque optimis instruxit. Cellae Marianae pavimentum opere scutulato marmoreo stravit. Cisternam jubente Marino de Tocco Episcopo olim nostro effossam in atrio Templi ipse, ne Laureto unquam deesset aqua, ampliavit. Quae narrat Maraccius in Purpura Mariana p. 200. et seqq.

CLXXXIII. Anno 1477. ob Turcarum metum custodiae adhibendae fuerunt Portui Recanatensi, et Villae Lauretanae. Itaque communibus Cardinalis et Reipublicae Recanatensis expensis viginti stipendiarii continuo ibi morari jussi sunt, ut praesidio illi adversus barbaros essent. Anno autem 1480. cum Apuliam Turcae invasissent, decretum fuit quaternos Laureti incolas diu noctuque in *Turri Ecclesiae* excubias agere, ac murum illius per gyrum porticu cingi, e qua defendi contra aggressores posset [1]. Thesaurus Lauretanus tunc Recanatum translatus, atque in turri Palatii repositus fuit, ubi conpluribus annis permansit.

Anno 1485. die 12. Octobris, sparsis denuo rumoribus de Turcarum adventu, vicenos iterum pedites auxilio miserunt Recanatenses, qui hoc ipso anno primum moniti fuere, ut Lauretum propugnaculis munirent.

Mense Novembri 1488. Cardinalis Fratres Carmelitas Congregationis Mantuanae Clientes suos, adnitente maxime *Baptista Spagnolo Mantuano* eorum Praeposito, ac Poeta id temporis longe celeberrimo, Laureti constituit, ut qui Loca Sancta Palestinae ex indulto Pontificum, antequam e regione illa Christiani expellerentur, tenuissent, Cubiculo Nazarethano, ita ajebant, ad nos delato iidemmet praeessent. divina ibi celebrarent, advenas et incolas juxta exemplo ac doctrina ad meliorem vitam informarent, atque religioso ritu expiatos amicitiae Divini Numinis restituerent [2]. Quod quidem illi egregie praestiterunt, adversantibus licet non paucis e Clericorum ordine, qui perfecerunt clamoribus suis, ut paucis post mensibus Cardinalis removere Carmelitas vellet. Verum intercesserunt Senatus Populusque Recanatensis, qui et majorem in modum .... *de gloriosa ipsorum vita* eos commendarunt, et conservari eos enixe petierunt *pro devotione*, inquiebant, *nostra et totius Civitatis*. Hisce precibus annuit Cardinalis, permisitque, Religiosos illos viros Laureti perstare ad annum usque 1498., ut scribit Tursellinus, qui dilapsos fuisse testatur ob aeris gravitatem, ac pestem.

---

[1] Hinc Templum Lauretanum in Annal. Recanat. An. 1489. *Arx munitissima* dicitur.

[2] Bapt. Mantuani Operum T. IV. edit. 1576. p. 220.

quam labente Saeculo XV. atrocissime saeviisse Laureti comperi ex actis publicis Recanatensium.

Anno 1489. inchoata fuit extructio fornicum, quibus Ecclesia Lauretana contegitur; quibus absolutis anno demum 1499. 19. Sept. pacta inita sunt cum *Juliano Sangallo* Architecto Florentino, ut solutis sibi mille aureis admirabilem illam extrueret fornicem, quae Sacello Sanctissimo imminet. Verum cum triennio post rimas illa ageret, ac ruinae proxima esse videretur, reliquis annis, quibus supervixit Cardinalis id agendum fuit, ut firmitati fornicis consuleretur, in quam rem uti et in aedificationem universam ingentes pecuniarum summae expensae fuerunt[1]; illae nimirum omnes quae colligebantur a peregrinis Lauretum advenientibus pietatis causa ob Jubilaeum, sive Indulgentiam Plenariam quorumvis criminum admissorum, quam a Pontificibus Summis quotannis impetrabant Ministri Domus, et incolae Lauretani, et Recanatenses [2], donec eamdem perpetuam esse voluere pro sua erga Aedem Lauretanam devotione Supremi Ecclesiae Antistites.

Itaque post quadraginta annorum labores splendida, quam admiramur, Lauretana Aedes Hieronymi potissimum Roborei Cardinalis cura perfecta fuit.

CLXXXIV. At neque Recanatensium pietas et munificentia quidquam a se desiderari passa est ad Templi illius fabricam, cultumque Lauretanae Virginis promovendum. Ut enim nil dicam de fundis quamplurimis, quos Deiparae Recanatenses donarunt, nil de infinitis pene legatis pro fabrica Ecclesiae factis, nil de excubiis, quas Laureti contra Turcas plurimorum annorum spatio egerunt, adhibito etiam saepius milite mercenario, cui stipendia persolvenda fuerunt, immensa insumta fuit coquendis lateribus *materies e silvis nostris*, quae a Villa Laureti ad Portum usque et Aspiae fluminis ostia pertingebant [3]. *Concessae apothecae*, in quibus lapides saecarentur; edita *decreta* tum ad decorem Villae, tum ad removenda, quae pietati advenarum offendiculo esse potuissent. Itaque An. 1482. cautum est,

[1] Anno 1479. 25. Maji Sixtus IV amplissimam Nepoti facultatem concessit alienandi possessiones tum utriusque Episcopatus, tum Ecclesiae S. Mariae de Laureto. Neque desunt chartae, e quibus fundos nonnullos venditos fuisse apparet . . . *pro fabrica dictae Ecclesiae*. (Archiv. Hospital. S. Luciae ad An. 1480. 25. Sept).

[2] Decretum prodiit Senatus Recanat. An. 1504., quo jubebantur illi quoque, qui ceram vendebant, partem exolvere 600. floren. quos pro singulis Bullis Jubilaei, ut vocabantur, exigebant ii, qui pro RR. PP. id genus Bullas conscribere soliti erant.

[3] Sic anno 1506. cum ruitura videretur fornix templi Lauretani recens extructa periclitareturque pluribus in locis aedificium, statutum fuit . . . . si opus esset ad reparationem ruinae esse in arbitrio signare *lignamina omnia silvae communis*: quamvis anno jam 1492. eas pene deletas fabricae illius causa fuisse in Annalibus legatur.

ne currus per Villam trahi fas esset, cujus *viae* lateribus stratae fuerunt: 1485. Sodales S. Jacobi *Hospitale* extruere coeperunt in Villa, ubi nunc Hospitale est majus juxta Portam marinam. 1489. prohibitum fuit, ne *in Villa ejusque vicinia* ad tabulas, aleis, chartisve depictis luderetur [1]: Sublata caupona in Palatio Villae instituta quamvis *lucrosa*, quod in dedecus Civitatis vergere videretur. Cauponam aliam, quam Ministri Almae Domus fecerant, apud Cardinalem saepius institerunt, ut tolleretur: (1481. 1485.)[2]: refectus anno 1490. *Fons S. Joannis:* Hebraeis interdictum, ne umquam Laureti conversarentur.

Decreverat An. 1496. Civitas Recanatensis Virgini Lauretanae coronam auream donare, quae centum ducatos auri pretio aequaret, ut pestem denuo saevientem ab urbe averteret. Huic coronae matronae nostrates ornamentum adjecere lapillos praetiosos complures, ac inprimis gemmam eximiam ejus generis, quod *balassios* vocant, cujus valor aestimatus fuit scutorum quatuordecim millium. Ad Cardinalem porro Episcopum scripsit Senatus, votum esse civium, quod . . . . . *corona illa permaneat in capite Virginis Mariae* PERPETUIS FUTURIS TEMPORIBUS, *ac Pontificio praecepto caveatur, ne unquam alienari, aut amoveri posset . . . . et quolibet anno in die S. Mariae de mense Martii in memoriam et devotionem corona ipsa levetur, et per commune processionaliter reportata in capite imaginis recollocetur.* Annuit Cardinalis, atque coronam a capite S. Statuae nunquam amovendam esse decrevit, idque Episcopi decretum Julio II et aliis, qui secuti sunt, Pontificibus annuentibus servatum est [3]. Ordo autem ac Solemnitatis ratio Processioni praestituta Senatusconsulto continetur quod prodiit die 24. Martii An. 1498. - - « Cum processio facienda ad « S. Mariam de Laureto cum corona aurea in forma devota et solemni « facienda sit, fuit conclusum, quod requirantur Religiosi, et Fraternitates « omnes, et cum affectu veniant in processione ordinatim prout vadunt « in aliis processionibus civitatis: et sic fiat movendo se cum Dominis « Prioribus *et corona pretiosa ad Ecclesiam Episcopatus, et pergendo* « *continuare ad S. Mariam de Loreto*, et cum omni devotione et de« monstratione. *Et pro residuo populi conducendo* una cum praedictis « ordinatio *fiat per Dominos Priores, et provisio tam de bannimen*« *tis, Mazeriis, et aliis, quam de portis claudendis.* Ita consequatur

[1] 1495. 28. Martii vetitus fuit ludus *casei* vel *carotolarum* in Villa ejusque vicinia; et 1495. ac 1496. ludi *morrae*, ac *pilae cum banchettis* per totum annum, ludus vero *triumphorum* diebus tantum festivis, et quadragesimalibus.

[2] Sublata reipsa fuit An. 1485. sed instituta rursus An. 1492.

[3] Calcagnius p. 79., ex Angelita, Tursellinio, Seraglio etc.

« populus processionem praedictam, et ponatur corona in Capite Vir-
« ginis . . . . . » —

Anno 1497. 17. Maji Fraternitati Sclavonorum, quae Laureti instituta fuerat, ac dicata *Deiparae Lauretanae*, Dominicus Sebastolus Vicarius Generalis concessit Sacellum S. Hieronymi, in quo sacra fieri, et mortuos sepeliri curarent. Sacellum id situm erat in Templo Lauretano . . . . . *prope lumacam a parte sinistra Ecclesiae existentem, per quam itur in Domum dictae Ecclesiae solitae habitationis Presbyterorum, et aliorum commorantium ad servitia dictae Ecclesiae versus Montem Anconitanum.* (Ser Hieronym. Nicol.)

Reductae An. 1504. fuerunt nundinae ad tempus, quo celebrabantur antiquitus, ad mensem inquam Septembris, ne diminueretur devotio, et frequentia peregrinorum die festo Nativitatis Virginis Mariae de Laureto, a qua nundinas praedictas, et omnia bona, et gratias procedere Majores nostri tunc profitebantur.

CLXXXV. Ceterum prae reliquis rebus adnitebantur maxime, ut Ministris uteretur Alma Domus quam probissimis. Hinc ne querelas refricem adversus Carolum de Thomassinis, Albertum de Pilis, aliosque, rogarunt An. 1484. Cardinalem Roboreum, ut expelleret Laureto Joannem Florentinum *Factorem*, sive Oeconomum; hunc enim hominem esse pessimum e viris omni exceptione majoribus, qui tunc Romae agebant, scilicet e Joanne Episcopo Ragusino, Pino de Astis, Matthaeo Venerio, Eugenio Condulmario comperire ipsi proclive fore. Petierunt praeterea castigari *servos* quosdam *Mariae*, idest: famulos et colonos Almae Domus voto solemni servitio ejus obstrictos, ob vitam eorum inhonestam, ausus que nefarios et delicta, quae admiserant erga Vicarium Episcopi, protegente eos Ser Joanne Florentino, ac ob malitiam, qua damna silvis bonisque Recanatensium inferebant continuo, fingebantque, ac vociferabantur ab istis inferri Almae Domui. Eosdem An. 1495. scandalorum, homicidiorum etc. accusarunt. Fratribus Carmelitanis, quibus Ecclesiam Lauretanam Cardinalis commiserat, locum, ubi aestivo tempore habitarent, ultro concesserunt ad S. Viti Ecclesiam. Cumque peste saeviente Sacramenta aegris Lauretanis minime administrarentur, socordiam Ministrorum ad Cardinalem detulerunt, qui rem tam necessariam ab iis minime negligi curaret.

Anno 1502. gravissima lege foeminas male viventes e Villa expelli, aut poenis coerceri jusserunt. 1507. Fratres quosdam, nescio cujus sectae, falsos quaestores eleemosynarum Ecclesiae Lauretanae carceribus mancipari, ubicumque deprehenderentur, praecepit D. Dominicus de Sebastolis Gubernator. Atque hactenus quidem eas commemoravimus, quae Hieronymi Episcopi tempore contigerunt, res Lauretanas.

CLXXXVI. Sequitur, ut prosequamur illa, quae ad Recanatensem Ecclesiam propius pertinent.

Anno itaque 1478. cum pestilentia ingentes Recanati strages ederet, averruncandi mali causa S. Rochum Patronum sibi Cives delegerunt, festumque ipsius solemni ritu agi instituerunt, statuamque poni in Aede S. Mariae de Platea juxta Aram S. Sebastiani alterius contra pestem tutelaris Divi, cujus reliquias quasdam anno proximo Sixtus IV Civitati donavit.

Eodem anno Parocho Castri Montis Florum stata alimenta constituta fuerunt. Scolis litterariis praefectus est *Antonius* Magistri Petri filius *Bonfinius* Patrignonensis, vir ea aetate inprimis celebris ob insignem humaniorum litterarum peritiam. Is octo annis docuit Recanati [1]. Adservatur adhuc inter Codices MSS. Illñi Viri Comitis Aloysii Carradorii volumen Orationum, quas Bonfinius Recanati habuit, aut a discipulis habendas curavit. Has inter una est in laudem Recanatensis civitatis recitata ab auctore . . . . *cum primum huc venit litteras docturus*, (pag. 152. citati codicis) e qua excerpsimus, quae sequuntur, verba notatu sane digna [2]. . . . *Proinde vere*, inquit, *de hac fausta Urbe exclamare licet, quod de S. civitate per Apocalypsim Joannes exclamat:* ECCE TABERNACULUM DEI CUM HOMINIBUS, *et habitabit cum eis, et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus erit eorum Deus, et absterget Deus omnem lacrimam ex oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* BEATISSIMA ENIM VIRGO UNICA SALUTIS NOSTRAE PROPUGNATRIX PROPHANA DALMATORUM SCELERA ABOMINATA EX ILLYRICO SINU FUGIENS IN HOC SANCTISSIMO VESTRO AGRO CONSEDIT, UT INTER SANCTOS SANCTA VERSARETUR, *ac suis, quos delegerat, amicis prae ceteris benignum numen offerret . . . . Haec igitur*, pergit, *vinea est electa, ut Hieronymus cecinit, quam plantavit Deus, in qua omne verum semen seminavit: haec est terra promissionis, ubi lac et mel affluit. Haec in terris est verum Dei tabernaculum, haec est Domus Dei et porta coeli, ubi per stantes Scalas Angeli descendunt, et remeant:* HAEC EST SACRATISSIMA TELLUS, PER QUAM PEJERARE NON LICET, NEC ALIQUO SCELERE FUNESTARI . . . . [3]

---

[1] Electus enim fuit ludi nostri litterarii Magister 2. Octobr. 1478. eique praefuit ad mensem usque Sept. 1486., quo in Hungariam abiit quinque volumina a se conscripta Regi oblaturus. Inde reversus est mense Januario Anni 1488., ac juventutem nostram rursus instituendam suscepit, brevi quidem mora; rediit enim ad Hungaros, apud quos diem clausit extremum. (V. Bibl. Picen).

[2] Ex iis enim intelligimus Bonfinium primum esse alicujus nominis auctorem, qui de translatione Aedis Lauretanae aperte verba fecerit.

[3] Aliae quoque Bonfinii orationes Recanatensium praeconiis plenae sunt pleraeque omnes, *ob hospitium inprimis Divae Virginis*, sed quae habitae fuisse videntur, quando is secunda vice Recanati docuit.

CLXXXVII. Anno 1481. cum miraculis inclaresceret Fr. Bartholomaeus Apostolinus, de quo fusius egimus supra N.° 85., in acta publica ea referri jussit Franciscus Rubeus de Cassia Vicarius Generalis per Joannem Franciscum Ser Thomae de Percivallis Notarium Recanatensem, quorum actorum exemplar authenticum in Conventu PP. Minorum Conventualium Maceratensi extitisse olim, delatum eo ab Horatio Civallo, qui circa annum 1592. Ordinis illius in Provincia Picena Minister Generalis fuit, auctor est Calcagnius. De eo processu vide quae Civallius ipse narrat in Opusculo: *Visita triennale*, quod T. XXV. Antiqq. Picenar. inseruit Josephus Colutius p. 99. [1]

Hujus igitur Beati Viri Corpus in marmorea Urna recondendum decrevit Senatus noster die 28. Januarii.

Eodem anno die 7. Octobr. condita fuere statuta Capituli Altaristarum Ecclesiae Cathedralis circa ea, quae spectabant *ad divinum officium dicendum, et fiendum in 48. diebus Dominicis totius anni pro anima D. Corradoze,* e cujus pia dispositione Sacrum illud Collegium primitus coaluerat. Altaristae siquidem 16., quos participantes dicunt, jubentur interesse diebus Sabbati, Vigiliis, diebus autem Dominicis Missae mortuorum cantandae [2], et absolutioni ad tumulum. Decernitur, singulos eorum sacra facere pro fundatrice oportere, siquidem expertes esse nollent distributionum illius diei. — Iisdem statutis, quae in Appendice referimus, continetur distributio inter Altaristas praebendarum, idest, domorum, ac fundorum quorumdam, in quas senioribus Altaristis per optionem, ut ajunt, succedendi jus concessum fuit.

Anno 1482. 12. Maji latum est decretum de circumferenda in solemni processione die festo Inventionis S. Crucis Sancta Spina (quae in Ecclesia S. Francisci adservatur in capsa tribus clavibus obserata. quarum duo penes Senatum erant). Constitutum fuit portandam esse primum in Ecclesiam Cathedralem, ac deinde per compita urbis ad Ecclesiam S. Francisci reducendam.

Extrusi fuerunt hoc anno ab Ecclesia S. Mariae de Platea, jubente Senatu, Patres Silvestrini, reducti vero triennio post rogatu Cardinalis Sabellii.

Anno 1486. mense Decembri Sanctimoniales Franciscanae Tertii Ordinis, quas Recanatum venisse vidimus An. 1432. auspice Blancina Leopardia matrona praeclarissima, facultatem a Senatu petierunt extruendi

[1] Apographum processus possident haeredes familiae Centoflorentiae. Aliud extat penes adm. R. D. Petrum Pintuccium Basilicae nostrae Mansionarium.

[2] Missa haec jussu Cardinalis Joannis Dominici de Cupis in diem Lunae translata fuit Anno 1542. mense Sept.

Monasterium ad Ecclesiam S. Stephani. Sed pium hoc earum desiderium nonnisi plures post annos impletum fuit. Anno enim 1502. Senatus decrevit quidem Monasterium pro Monialibus Observantiae S. Francisci extruendum esse, collatis ad id operis ex aere publico flor. 500., sed anno demum 1507. Fr. Laurentius Concionator ex Ordine Observantium, cujus arbitrio id commissum fuerat, locum Monasterio delegit Ecclesiam S. Stephani, concessaque fuit pro expensis fabricae dimidia pars mulctarum.

CLXXXVIII. Anno 1488. mense Julio Ecclesia Recanatensis suum tandem Pastorem conspexit, qui triumphantis in morem urbem ingressus est honoribus quam maximis exceptus. Pulcherrimum tunc initum est certamen amoris Cardinalem inter et Recanatenses suos. His moenia tunc reficere meditantibus, quae a porta murata ad portam Castrinovi protenderentur, 600. aureos donavit Cardinalis. Cives dein omnes lauto et opiparo convivio excepit; eumdem postea honorem habiturus Matronis, sed Patres benevolentiae testificatione contenti impensam remiserunt. Die 25. Augusti concordia, urgente Episcopo, Clerum inter et Senatum, inter quos pluribus jam annis circa vectigalia quaedam et pascua disceptatio fuerat, conciliata est eo pacto, ut, donec viveret Episcopus, immunes essent. Sacerdotes a vectigalibus pendendis ex iis rebus, quae victui ipsorum necessariae forent (instrum. in Archiv. Secr. Civitatis) de ceteris vero bonis ac redditibus iisdem subjacerent oneribus, quibus subjacebant cives laici.

Donatus est civitate Bernardinus de Cupis agens in rebus Cardinalis nostri, ipsique inter paucos carus, ac de Recanatensium Republica benemeritus.

Ejecti demum fuerunt Hebraei e synagoga, quod cantibus suis inconditis, Ecclesiae enim Cathedrali vix non adhaerebat, mysteriis nostris sacrationibus obstreperent, remotique a Christi Domini sacris Christianae fidei hostes capitales [1]. His anno sequenti Senatus interdixit, ne imagines sacras, aut cereas, quae *Agnus Dei* vocantur, venderent, pignorive acciperent.

Anno 1492. Cardinalis noster instaurandum maximo impendio curavit Palatium Episcopale, illud nimirum, quod nunc antiquum dicitur, ex quo tempore Rutilius Benzonius novum aedificavit. Ecclesiae quoque Cathedrali reficiendae, ac ad meliorem elegantioremque formam reducendae manus admovisset, si, ut postularat, privati domos illas, quae Montem Vulpinum versus Templo contiguae sunt, vendere in animum induxissent. Eo enim loco portam majorem Ecclesiae aedificare cogitabat, ubi ingressus et

[1] Superest in Museo Anticiano penes Illmos. Comites Carradorios titulus Synagogae novae hoc anno a Judaeis extructae, ut indicant verba tituli hebraica : *Sanctum Domino anno* 5250. (idest: Christi an. 1490.)

commodior fuisset, et non parum elegantior. Navem tamen mediam fornicibus contexisse traditur.

Hoc anno actum est cum D. Francisco de Cassia Vic. Generali, cui Ecclesia S. Joannis in Pertica commendata erat, ut Apostolinis, qui tum maxime vitae optimae et pietatis opinione florebant, Ecclesia illa decederet, recepturus pro compensatione fundos quosdam aere publico coemendos, translato in Ecclesiam Cathedralem titulo, sive Beneficio S. Joannis in Pertica. Consensisse Franciscum inde arguo, quod eo ipso anno habitum comperio apud Ecclesiam illam Capitulum generale Apostolinorum; quodque iidem paulo post ampliare illam coeperunt, ut ex Annalibus anni 1506. intelligimus.

Lombardi etiam quidam eodemmet anno Fraternitatem S. Rochi in Ecclesia Cathedrali fecerunt.

Anno 1495. 12. Octob. Dompnus Laurentius Dominici Beneficiarius ad S. Vitum testamento legavit Praesbyteris S. Viti ducatos 200., eos obligans ad dicendas horas Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, et Vesperas secundum constitutionem Ecclesiae Episcopatus, ita quod de fructibus eorum nemo possit haberi, nisi qui praesentes forent dictis officiis. (Ser Marcus Sanctis).

CLXXXIX. Anno 1499. mense Febr. hortatu Fr. Guilelmi Savelli Ord. Observantium Concionatoris celeberrimi, qui postea Episcopus fuit Sagonensis. Collegium in Civitate Recanatensi institutum est promovendae venerationi *S. Mariae Lauretanae et S. Josephi.* Extant adhuc leges praestitutae huic Collegio, et approbatae a Cardinali de Cuppis Episcopo nostro. Coaluit Collegium istud An. 1623. cum Sodalitio *S Annae*, suosque conventus agit in Ecclesia S. Angeli de Platea, quae nunc *S. Annae* dicitur.

Anno 1505. alia Sodalitia institui a piis hominibus consensit Senatus, alterum nimirum die 28. Martii *Corporis Christi*, et alterum die 24. Junii *S. Petri Martyris* cultus dicatum, ac a Sclavonis olim institutum confirmavit.

Itaque licet ob absentiam Episcopi relaxata fuerit aliquantum disciplina Cleri, licet agitata fuerit Civitas nostra diuturnis seditionibus ac dissensionibus, quas fuse describit Calcagnius, non tamen refrixit religionis pietatisve fervor apud Recanatenses, imo nova, ut vidimus, ipsi in dies accesserunt incrementa, adsistente eis, ut existimare fas est, quam tanto cum affectu venerabantur, Beatissima Virgine Lauretana.

Ceterum Cardinalis noster Clero etiam Maceratensi vitae ac disciplinae regulas praescripsit, quas Ughellius aetate sua adhuc viguisse testatur.

Vicariis usus est Hieronymus Cardinalis Roboreus in regenda Ecclesia Recanatensi :

Anno 1476. D. Francisco Nicolai de Fano, Canonico hujus Ecclesiae.
1478. D. Dominico . . . . . Episcopo Sagonensi.
1478.
1481. } D. Francisco de Rubeis de Cassia.
1481. D. Sanctoro de Sandris de Ameria.
1484. D. Dominico Joannis de Sebastolis de Anguillaria.
1485. D. Sanctoro iterum.
1490. D. Francisco de Rubeis iterum; ac dein praedicto Dominico de Sebastolis Praeposito S. Viti, et Ecclesiae Lauretanae Gubernatore, donec vixit Cardinalis.

Ordines sacros Recanati contulerunt statis temporibus Joannes Venerius Archiepiscopus Ragusinus, eoque defuncto Paris Episcopus Auximanus, dein Fr. Guilelmus Episcopus Sagonensis.

CXC. Obiit Cardinalis Fabricae, quod Castellum est dioecesis Castellanae die 1. Sept. 1507., sepultusque est Romae in Ecclesia S. Mariae de Populo, ubi Julius II affinis magnificum ei extruxit mausoleum, opus celeberrimi artificis Andreae Sansovini, qui statuis excellentis operis illud exornavit. Has inter icon est Cardinalis Pontificiis induti vestimentis, ac supra sarcophagum jacentis.

Epigraphe addita est sequens relata ab Ughellio in Episcopis Sabinensibus:

Hieronymo Basso Savonensi
Sixti IV. P. M. Sororis filio
Episcopo Sabinensi Cardinali Recanatensi
in omni vita constanti, integro,
religioso, Julius Secundus P. M.
Amitino suo B. M. posuit M. D. VII.

Cathedrali nostrae Ecclesiae ad sui memoriam reliquisse perhibetur casulam, ac tunicellas duo virides panni damasceni.

CXCI. Hieronymi Roborei aetate floruit *Magister Berardus Ser Bonjoannis filius, Berardi nepos, Bonjoannius*, antiqua et illustri apud Recanatenses familia ortus, nobilis medicus, et Alexandri VI P. M. archiater. Hic mortua Bartholomaea Anticia uxore Ecclesiae se mancipavit, ac die 21. Junii 1501. ad Episcopatum promotus est Venusinum. Fuit etiam Abbas Commendatarius Abbatiae S. Victoris de Arciono in agro Cingulano. Obiit anno 1509., quo anno die 16. Novemb. successorem nactus

est Lambertum Arbaudum Episcopum Venciensem Cingulanae urbis Plebanum. De Berardi laudibus vide Pamphilum de Nobilitate Piceni p. 52., Cajetanum Marinium de Archiatris Pontificiis, aliosque.

Non degeneres a Patre filii, *Antonius Jacobus*, qui Canonicus primum Recanatensis, deinde Praepositus An. 1499. S. Mariae Castrinovi fuerat, et Plebanus Cinguli, ac Anno 1509. Camertibus datus est Episcopus: *Baptista* antea Scriptor Apostolicus (1508. 25. Octob. Ser Antonius Angelelli) et Parochus S. Mariae in Posterula, et S. Andreae Romae, Venciensi dioecesi An. 1510. praefectus fuit Antistes: *Thomas* Abbatiam S. Victoris de Arciono Cingulanae dioecesis consecutus est: *Matthaeus*, ducta uxore Livia Cosciari Nobili Romana stirpem propagavit, quae Romae diu claruit. Matthaei filius *Berardus* vir eruditissimus [1], ac legationibus pro Sede Apostolica perfunctus ab anno 1537. ad 1574. post obitum patrui Camerinensem Cathedram ornavit *Franciscus* Bonjoannius Cathedram Ragusaeam obtinuit. (Caleagnius p. 218.) *Bernardinus* alter Matthaei filius *Mutium* genuit; qui Archiepiscopus An. 1585. creatus est Surentinus, et *Horatium*. Hic pater fuit *Augustini*, avus *Horatii*, proavus *Ferdinandi*, et *Annae Mariae*. Ferdinandus maritus fuit *Imperiae Carandinae:* Anna Maria Ferdinandi soror *Marchioni Serlupio de Crescentiis* nupsit. In his Berardi Bonjoannii posteritas defecit, eodem fere tempore, quo cognominis familiae Bonjoanniae propagines Recanati exaruerunt. Recanatensibus accenseri etiam potest, inter Cives enim nostros adscriptus fuerat [2], *Paris Montemannus* Episcopus Auximanus ortus e Castro Ficcardi, Puccepti filius, ut ex Archivi nostri monumentis intelleximus [3]. Vitam ejus copiose enarravit Rñus Compagnonius ipsius in Auximana Sede successor Commentarii de rebus istius Ecclesiae T. IV.

Paris Montemanus Canonicus primum fuit Camerinensis; An. 1454. die 10. Sept. adiit possessionem Beneficii S. Hieronymi in Ecclesia Auximana, quod Nicolaus V P. M. ei concesserat. Haec adnotavimus, quod ignota fuerint Rño Compagnonio.

---

[1] Edidit anno 1564. Venetiis *brevem summam in compendium totius Summae Theologicae Divi Thomae Aquinatis*, aliaque nonnulla ad defensionem fidei Catholicae spectantia, dum apud Regem Poloniae Nuntii Apostolici munus obiret. Vide de eo Octavium Turchium de Ecclesia Camerinensi.

[2] Annal. 1493.

[3] Progenitores Paridis patroni fuerunt Ecclesiae SS. Stephani, Peregrini, et Victoris, quae est in Castroficardi Ecclesia princeps, dicta olim Plebis, hodie Canonicorum Collegio decorata. Plebanum designarunt anno 1373. nobiles viri Rolandus Lippi, a quo gens Ciattonia Recanatensis ortum habuit, et *Mannutius Puccepti:* An. 1463. *Liveraltus Manni*, et Permathaeus Ciattonus: An. 1489. *D. Paris Episcopus, et Persimon Perfrancisci* ejus nepos una cum supradicto Permathaeo Ciattoni.

Scriptor deinde fuit Poenitentiariae Apostolicae. Haeres Paridis fuit Persimon Perfrancisci ipsius nepos; hujus vero anno 1602. defuncti haeredes filiae Liverotti Manni extiterunt, et Ser Marinus Marci. Illarum jura pertransierunt in familias Benaducciam Tolentinatem, Thomassiniam de Castroficardi, et Dionysiam Auximanam. Lydia filia Caroli Ser Marini Marci Horatio Leopardio Patricio Recanatensi nupsit, ac juspatronatus tum in Plebem Castrificcardi, tum in Ecclesiam S. Mariae de Apparitione a Paride Episcopo in haereditate acceptum in posteros transfudit.

XXI. THESEUS DE CUPPIS

CXCII. *Theseus de Cuppis* [1] Joannis filius e Montefalco Umbriae oppido Canonicus Spoletinus [2], Vir juris utriusque consultissimus Recana-

---

[1] Insignia gentis in campo, ut ajunt, argenteo capricornum exhibent cyaneum in pedes erectum (non cervum, aut vulpem, ut Rev.mus Compagnonius existimavit Tom. IV. Comment. de Ecclesia Auxim. p. 41.) Supersunt sigillorum typi impressi epistolis Thesei, et Joannis Dominici, ac Pauli de Cuppis Episcoporum Recanatensium, ita ut dubio locus non supersit. Praefixa etiam sunt insignia illa libro, cui titulus: *Thesaurus animae in Dominicam precationem*, quem auctor Laurentius Davidicus Sacerdos et Praedicator Apostolicus Jo. Dominico de Cuppis Episcopo Ostiensi dedicavit.

Antiqua est prosapia Cuppiorum.

Nobilis vir *D. Joannes de Cuppis* de Montefalco anno 1308. Judicem, et Vicarium gessit in Oppido S. Genesii.

Nobilis et egregius miles et LL. Doctor *D. Bonifacius Massi* de Cuppis de Montefalco creatus Comes Palatii a Wenceslao Rege Romanorum 19. Julii anno 1385.

D. Euryalus de Cuppis de Montefalcone Judex Recanati anno 1378.

Anno 1484. *D. Bonifacius* de Cuppis Locumtenens Thesaurarii generalis in Marchia Anconitana.

Galeatius de Cuppis 1485. Vicarius Generalis fuit Episcopi Auximani. Idem anno 1490. Judex appellationum, ac demum Judex super Spiritualibus in Provincia Marchiae Anconitanae Generalis extitit.

Bernardinus de Cuppis a Secretis fuit Hieronymi Cardinalis Recanatensis, Scriptor Apostolicus et bonorum Ecclesiae Lauretanae ab anno 1482. ad 1507., ac anno. 1507. etiam Praeceptoriae S. Philippi de Auximo Gobernator. Hic Recanatenses quamvis ipso Lauretanas res administrante Templum illud insigne, quod orbis miratur, cum ingenti Civitatis nostrae dispendio erectum fuerit, semper sibi amicos habuit per 25. et quod excedit annos, adeo ut anno 1488. cum universa familia civitate donatus fuerit, et Senatus Populusque Recanatensis suscipere voluerint e baptismatis fonte primam, quae ipsi nascitura foret, prolem masculam. Quo factum est, ut mortuo Cardinali Hieronymo nihil antiquius haberent nostri quam ut Theseum Bernardini fratrem Antistitem sibi exposcerent, filiumque mox Joannem Dominicum, ac nepotem Paulum maxima omnium gratulatione et laetitia acceperint.

Bernardini opera usus fuit Julius II in re praesertim annonaria procuranda, teste Thoma Baldassinio in Historia Aesina pag. 99.

[2] Patriam profitetur Theseus ipse in epistolis suis, quarum nonnullae supersunt. Errat itaque Ughellius, qui Romanum fuisse scribit.

tensibus anno 1507. die 20. Octobris [1] a Julio II concessus est Episcopus [2].

CXCIII. Postridie illius diei (21. Octob. 1507.) Julius II suprema usus potestate amplissimum edidit pro Lauretana Ecclesia diploma, quo confirmavit primum Bullas, scilicet Pauli II datam 25. Januarii An. 1471., et Sixti IV alteram datam 8. Februarii 1477., quibus Plenaria Indulgentia concedebatur, et facultas a quibusvis peccatis absolvendi, et vota commutandi eorum, qui invisuri erant Ecclesiam Lauretanam in festo Nativitatis Beatae Mariae Virginis, atque septem diebus sequentibus, singulis item diebus Dominicis ab initio Quadragesimae ad Solemnitatem usque Corporis Christi, singulisque diebus Hebdomadae Majoris, feriisque secunda et tertia post Pascha et Pentecosten, festisque Ascensionis Domini et Corporis Domini nostri Jesu Christi, et per octavam ejusdem: deinde relatis iis, quae sub Avunculo ipsius Sixto IV contigerant circa exemptionem Ecclesiae Lauretanae a jurisdictione Episcoporum Renanatensium, et secutam paulo post novam subjectionem, ipse auctoritate Pontificia et motu proprio Ecclesiam Lauretanam, ejusque bona, et Ministros denuo Sanctae Romanae Ecclesiae immediate subjecit, omnemque potestatem in eam Episcopis nostris ademit, recipiens eam *in Cappellam Apostolicae Sedis* — « *attendentes*, inquit, *quod non solum in praedicta Ecclesia de Laureto imago* « *ipsius Beatae Mariae Virginis, sed etiam, ut pie creditur, et fama est,* « *camera sive thalamus, ubi ipsa Beatissima Virgo concepta, ubi educata.* « *ubi ab Angelo salutata Salvatorem Salvatorum verbo concepit, ubi ipsum* « *suum primogenitum suis castissimis uberibus lacte de coelo plenis la-* « *ctavit, et educavit, ubi quando de hoc saeculo nequam ad sublimia* « *assumpta extitit, orando quiescebat, quamque Apostoli Sancti primam* « *Ecclesiam in honorem Dei, et ejusdem B. Virginis consecraverunt,* « *ubi prima Missa celebrata extitit; ex Bethlehem Angelicis manibus ad* « *partes Sclavoniae et locum Flumen nuncupatum primo portata, et* « *inde per eosdem Angelos ad nemus Lauretae mulieris ipsius B. M.*

---

[1] E Bulla autheotica, quae extat in Archivo Secreto Civitatis Recanateosis.

[2] E familia Cuppia practer superius nominatos oovimos *Ascanium* de Cuppis, qui Praetor fuit Urbis nostrae aooo 1510.; *Franciscum* Thesei Episcopi nepotem 1508. 1515. *Ser Federicum Agatoni de Cuppis* Notarium An. 1510., et *D. Nicolaum* de Cuppis a Secretis Cardinalis Joaunis Domioici, Praepositum Ecclesiae S. Mariae Castrinovi. An. 1527., *Bernardinum* de Cuppis 1528. 18. Octob. (Ser Petrus Paulus Ser Gasparis) Abbatem S. Nioi Ao. 1541., *D. Gregorium* de Cuppis, et *Dominicum* ejus filium, quos memorat Joannes Franciscus Tarantellus p. 255., aono 1562., *D. Iheronymum* de Cuppis ec., qui omoes orti fuisse dicuntur io chartis oostris ex Oppido Montisfalchi. Cetera de gente Cuppia reqoire apud Compagnooium de Ecclesia Auximana, ubi de Episcopo Bernardino.

« *Virginis devotissimae, et successive ex dicto nemore propter homici-*
« *dia et alia facinora, quae inibi perpetrabantur, in collem duorum*
« *Fratrum, et postremo ob rixas et contentiones inter eos exortas in*
« *vicum publicum Territorii Recanatensis translata* EXTITIT, et cupientes
« ipsam Ecclesiam, *ad quam non minorem devotionis affectum gerimus,*
« *quam Paulus, et qui secundum carnem avunculus noster, erat Sixtus,*
« *Praedecessores praefati gesserunt,* tam in spiritualibus et temporalibus,
« quam circa illius ministros, ac res et bona, necnon ad illam devotionis
« causa accedentes salubriter regi, dirigi, et gubernari.

Enimvero decebat, ut locus prae ceteris omnibus sanctus et augustus subesset Praesuli, quo augustior nullus esset; cumque huc populi universi orbis devotionis causa confluerent, res ipsa postulare videbatur, ut regeretur ab eo, qui populis omnibus imperat.

Ceterum Julius in eo quoque honori Ecclesiae Lauretanae consuluit, quod in festo Annunciationis Mariae easdem indulgentias fidelibus Ecclesiam nostram visitaturis concessit, easdem facultates Confessariis in illam diem impertitus est, quas pro festo Nativitatis, ac pro Jubilaeo Quadragesimali antiquiores Pontifices indulserant.

Praeterea Gubernatorem unum Templo, ejusque bonis et rebus praefecit, ejusque jurisdictioni non Ministros tantum, colonos, et servos Almae Domus, sed hospites quoque, peregrinos, et vectigalia deferentes subjecit, gubernandos ab eodem jure meri ac mixti imperii, et cum potestate censuris quoque, ubi opus esset, in jurium et mandatorum suorum violatores animadvertendi.

Inservientes Ecclesiae Lauretanae omnes et singulos e familiarum et commensalium suorum numero esse, eorumque praerogativis gaudere voluit; uti et absque vectigalium solutione merces ad victum pertinentes Lauretum undecumque afferri posse.

Denique facultatem concessit Gubernatori bona Ecclesiae vendendi, permutandi, in enphiteusim concedendi, si valorem 50. ducatorum non excederent, habita prius desuper matura deliberatione cum Praesbyteris et Clericis Ecclesiae de Laureto. Item facultatem dedit incidi faciendi ubique locorum, et in quorumvis civitatum, et castrorum silvis ligna et lapides pro usu Ecclesiae Lauretanae, eaque Lauretum deferendi absque ullius gabellae et pedagii solutione.

Statuta etiam, sive leges quasdam condiderat a Secretario suo subscriptas, anuloque piscatoris munitas, quibus Ecclesiam hanc cum in sacris, tum in civilibus negotiis regi, atque administrari praecepit [1].

---

[1] Desumsimus haec e Bulla Julii, quae extat in Bullario Lauretano. Primus Ecclesiae Lauretanae in spiritualibus et temporalibus Gubernator constitutus fuit

CXCIV. Eadem porro die terras omnes ac fundos ad mensam Ecclesiae Recanatensis pertinentes pro suprema, qua gaudebat, potestate Ecclesiae Lauretanae locavit, ut conjicio, *in perpetuum* (neque enim umquam Episcopis restituti fuerunt), ita ut pro eorum fructibus Episcopo persolvendi essent annui ducati 150., extantque chirographa Thesei Episcopi annorum 1508. 1509 etc. quibus hanc summam sibi numeratam fuisse fatetur [1].

CXCV. Intentionis porro suae esse denuntiaverat Julius II in Bulla superius citata . . . . *ut bona dictae Ecclesiae tam temporalia, quam spiritualia, et praesertim oblationes, quae in eadem Ecclesia devotionis causa fient, fideliter colligantur, et in opus et utilitatem Ecclesiae de Laureto, et illius fabricae dispensentur.*

Itaque hoc ipso anno comperimus D. Thomae Canonico Recanatensi Depositario Fabricae traditas fuisse a Nicolao Calcaneo Aerarii Piceni Praefecto florenos 800.

CXCVI. Perculerunt haec a Julio Pontifice acta Recanatensium animos quam vehementissime, non ob ignominiam tantum, et injuriam, ut existimabant, Civitati, et Ecclesiae suae illatas, sed vel maxime ob dolorem de amisso Thesauro, quem a Deo ipso sibi concessum fuisse gloriabantur, cui similem orbis non possideret. Itaque oratorem destinant ad Pontificem Bartholomaeum Francisci filium, Ser Antonii nepotem de Mencionibus, cui in mandatis dederunt, ut provolutus ad pedes Julii lacrimas ad eum deferret fidelissimi Recanatensis Populi, et incommoda ac damna exponeret, quae e Bulla ista accipiebant Cives nostri, repeteret jurisditiones et vectigalia tanto tempore possessa, quibus ut privarentur, nequaquam commeruissent: non profuturas novitates istas Almae Domui, sed hospitibus tantum, aliisque alienae rei lucroque injusto inhiantibus: confidere se fore, ut Sanctitas sua spiritualibus honoribus ac privilegiis Sanctam Domum exornet, augeatque: commoda temporalia ejusdem ipsi promoturos se pollicebantur.

De jactura, quam fecerat Ecclesia Recanatensis, forte ne Julii animus ad iram facilior exasperaretur, mentionem facere in mandatis suis noluerunt Patres Conscripti suas potissimam res, ut fit, curantes.

Missi fuerunt alii Oratores post Bartholomaeum mense Julio. Tandem An. 1509. 27. Aprilis impetratum est Breve, quo agnovit Pontifex, ea, quae statuerat ipse pro augmentatione fabricae Templi Lauretani, et pro pe-

---

D. Dominicus de Sebastolis de Anguillaria Decretorum Doctor, Praepositus S. Viti de Recanato; Depositarius vero *D. Thomas Ser Antonii de Bollontibus Recanatensis, Praepositus Ecclesiae S. Flaviani, sive Archidiaconus.*

[1] Anno 1518. 16. April. Aloysius Tassius Episcopus Procuratorem constituit ad recipiendos 150. flor. sibi debitos juxta capitula Almae Domus etc.

regrinis, cessisse potius in lucrum cauponum et hospitantium, hominum maleficorum, quam in honorem Dei, ut ipse speraverat, ac Virginis Deiparae: vectigalia igitur, ac inprimis gabellam vini, et jurisdictionem Recanatensibus restituit, ita tamen ut Ministri Ecclesiae, et coloni bonorum ipsius ab ea jurisdictione liberi esse pergerent, uti et peregrini in causis tantum, quas haberent cum Ecclesia ejusque Ministris: quis in causis dubiis legitimus foret judex. constituendi potestas esset penes Gubernatorem: hospites, et tabernarii pro iis, quae necessaria erant ad sustentationem peregrinorum, non tenerentur solvere *gabellam bladi, agnorum, pullorum, piscium, caseorum etc., vinorum* autem medietatem ejus, quod ante Bullam solvebant. Ceteroqui hospites, ac tabernarii habitantes Laureti, omnes Magistratibus subessent Recanatensibus, excepta domo hospitii peregrinorum, quae erat Ecclesiae.

In puniendis excessibus gravibus, qui Laureti committerentur, praeventioni esset locus inter Gubernatorem et Communitatem, nimirum si delicta admissa fuissent a personis Recantensium jurisdictioni subjectis.

Breve hoc licet desiderio suo neutiquam satisfaceret, immo concesso praeventionis jure novum vulnus inflixisset, acceptavit tandem Senatus noster (adjunctis exceptionibus et conditionibus quibusdam.) die 2. Novemb. An. 1509. Nihilominus executionem illius moram e mora nectens Gubernator tamdiu distulit, donec die 7. Sept. 1510. absolute acceptatum fuit. Nec miretur quispiam, adeo aegre tulisse Recanatenses Julii Bullam, ac tamdiu ei fuisse reluctatos. Evertebantur nempe ab ea fortunae multorum, obstruebantur fontes prosperitatis publicae et privatae. Vix enim dici potest, quae commoda, quae divitiae e Lauretanae Villae dominio ad Recanatenses profluxerint. Ut enim omittam nundinas olim celeberrimas, quae a concursu peregrinorum ad istam Ecclesiam non quidem originem, sed incrementum acceperunt immensum, decreverat Senatus, nisi civibus Recanatensibus nemini licere apothecas in Villa habere: panis Recanati coquendus erat: vinum, aliaque victui necessaria a solis Recanatensibus Lauretum deferri poterant. Vectigalia ii exigebant pro frumento, vino, carnibus, piscibus, pullis, ovis etc. e quibus sane confici debebat pecuniae vis maxima pro continuo infinitorum pene advenarum concursu. Hospitia, domus Villae Lauretanae atque agri Recanatensium fuerant omnia. Hinc peregrinorum querelas, hinc existimo natam fuisse Pontificibus Romanis necessitatem quamdam eas Lauretânis concedendi exemtiones, ea privilegia, quae eis concessisse diximus. Neque tamen dissimulandum est expensarum quoque maximarum onus incubuisse Reipublicae nostrae ob Ecclesiam Lauretanam. Recipiebantur enim sumtibus publicis viri principes, qui Lauretum adventabant: adven-

tabant autem plurimi cum magno comitatu plerumque, ut mos ferebat [1]. Custodienda erat Villa contra Turcas, sternendae viae, reficiendi pontes etc. ut contigit hoc ipso anno 1509., quo centum et quinquaginta pedites Lauretum pro custodia ejus mittendi fuerunt: restaurandum palatium Communis in Villa ad excipiendum in eo Pontificem, qui propediem adventurus erat, quem praecessit receptus cum pompa maxima Sigismundus Gonzaga Legatus.

CXCVII. Episcopus Theseus Recanatum accesserat mense Julio 1508. monitus, ut priscorum Episcoporum more hanc Ecclesiam, utpote antiquiorem et digniorem prius quam Maceratensem inviseret. Receptus est, ut decessores ejus, in Ecclesia S. Mariae de Varano, inde solemniter Urbem sub umbella ingressus porta Montis Morelli perductus fuerat ad Cathedralem Ecclesiam, concrepante campanarum sonitu, comitantibus Magistratibus, Clero, Sodalitiis, civibus, pueris cum palmis etc., ut factum fuisse scripsimus sub Nicolao Astio Episcopo.

Anno 1510. mense Junii Antonius Peregrini Florentinus formam ligneam confecit, sive simulacrum Sacelli Lauretani, et Palatii Apostolici juxta delineationes Magistri Bramantis Architecti [2]. Exornandum enim illud marmoribus, hoc vero aedificandum erat e fundamentis, procurante opus *D. Antonio de Monte* Auditore Camerae Apostolicae [3].

CXCVIII. Eodem anno 1510. die 8. Septembris postquam *pridie ejus diei* Recanatenses Breve exemtionis admisissent, advenit in hanc Civitatem Julius ipse P. M., sacrumque eo mane in Sacello celebravit Lauretano [4].

Die sequenti prosecutus est Pontifex iter Bononiam versus, bellum illaturus Ferrariae Duci.

Haec ex Annalibus nostris, et ex chronico Asculano inedito, quod possidet Ill. vir Comes Gregorius Ugolinus Monteulmensis.

Cum anno proximo redux Recanato transiret Julius, receptusque fuisset qua maxima fieri poterat pompa et letitia populi, remisissetque tertiam

---

[1] Adventantibus Joanna seniore, et Joanna juniore Arragoniae Reginis Anno 1514. mense Junii parandi fuerunt lecti 160.

[2] E schedula in Archivo domestico Illmi. D. Comitis Aloysii Carradorii.

[3] Antonius de Monte a S. Lavino Etruscus, Auditor Camerae Apostolicae, dein Archiepiscopus Sipontinus Cardinalibus adlectus fuit, tituloque S. Vitalis adscriptus An. 1511. mense Martio. Auctor hic fuit capitulorum, sive statutorum Ecclesiae Lauretanae, conditorum An. 1507. *primusque* ipsius *Protector*.

[4] Inter cetera honoris ac venerationis signa exultabundi ob ejus adventum populi annotatum reperi, recitatam fuisse a juvenibus coram eo Comaediam quamdam Plauti impensa ad hoc eis concessa 12. florenorum, quos persolvere jussi fuerunt Hebraei. Praeterea donarunt Pontifici Recanatenses esculenta, bellaria etc. valoris 350. et amplius florenorum.

tributorum partem, ut Portus, quem post visitatum *voti et devotionis causa* Templum Virginis Lauretanae ipse adierat, ex ea summa reficeretur, Senatus consultum factum fuit 16. Junii 1511. in eam sententiam; *Portui Recanatensi, quod ad laudem vergat Almae Virginis Lauretanae Protectricis suae, ad salutem peregrinorum, ad honorem munificentissimi Principis Julii P. M., nomen dehinc esto* Portus Julii. Sed usus supremus rerum arbiter decreto huic intercessit.

CXCIX. Aucta est Ecclesia Lauretana mense Junio An. 1512. bonis Abbatiae S. Laurentii de Castro Ficardo, quam Perantonius Perottus Castroficardensis, postquam Congregationis Silvestrinae summus Praefectus fuisset creatus, Almae Domui donavit.

Idem uno post mense designatus fuit Gubernator Ecclesiae Lauretanae, ac demum An. 1519. Saloneusis Ecclesiae Episcopus.

Vix dum admisso a Recanatensibus Brevi Julii II conquerendum eis rursum fuit de petulantia Ministrorum Ecclesiae Lauretanae [1], qui susque deque habita voluntate Pontificis variis modis illud transgrederentur, silvas Civitatis contra jus fasque exciderent, atque ab extraneis etiam excidendas procurarent, mittendusque fuit hac de re Orator Bononiam; sed Protector Ecclesiae Antonius Card. Sipontinus se interposuit, ne ad aures Julii perferrentur querelae, acribusque litteris Gubernatorem increpuit.

Recrudere odia et querelae male sopitae gubernante Perotto.

Itaque ut primum auditum fuit, excessisse e vivis Julium, suffectumque ei fuisse Leonem, statim Episcopus conjungi iterum Episcopatui suo Ecclesiam Lauretanam, restituique bona mensae postulavit, et Senatus Populusque jura amissa repetenda sibi existimarunt.

CC. Referimus hic summatim capita eorum, quae a Leone X petere jussi a Senatu fuerunt Oratores duo ejus rei causa Romam destinati.

Inprimis quidem confirmari statuta et privilegia.

2. Remitti tributorum partem, ut Portus exaedificari posset.

3. Siquidem cum bona Pontificis gratia id fieri posset, reddi Ecclesiam Lauretanam Episcopo Recanatensi.

---

[1] Ne quis hic nobis succenseat, existimetque, in odium cujusquam nos haec scribere abreptos partium studio, monendos hic loci lectores duximus, nos actis publicis inhaerere; ceterum veritati studere quammaxime, cum livoris causas e neutra, amoris vero ex utraque parte juxta habeamus. Ceterum infinita sunt loca actorum Senatus Recanatensis, ubi de damnis agitur, quae Lauretanae Ecclesiae homines silvis inferebant, neque cessatum fuit, donec nil superesset, quod exscinderetur. Vide 1516. 1517. Januar., 1518. Decemb. etc. Fuit haec sequela crescentis Laureti incolarum multitudinis, et promotae rei agrariae. Neque aliter actum fuit cum silvis et paludibus per universum, qua late patet, Picenum.

4. Sin hoc molestum fore persentiscerent, rogarent saltem aut restitui fundos mensae Episcopo ablatos, aut pensionem de iis persolvi majorem, magisque congruam ac illa erat, quam solvi constituerat Julius II; non sufficere 150. illos florenos nequidem sustentando Antistiti, tantum abesse, ut responderent redditibus copiosae hujusce mensae: ex quo tempore ii fuissent ablati, Recanati subsistere potuisse neque Episcopum, neque Vicarium in dedecus Ecclesiae, ac detrimentum animarum immensum.

5. Restitui Reipublicae Recanatensi jurisdictiones, et jura antiqua in Lauretanam Villam, aut reformari saltem Breve Julii, exceptionibus, dubiis, ac limitationibus ita perplexum, ut difficillima evaserit executio ipsius.

6. Restitui maxime *jurisdictionem criminalem*, quum infinita delicta, et homicidia Laureti commissa fuerint, postquam Gubernator in exercitio justitiae impediendi, aut praeveniendi Magistratus nostros jus accepit: nuper admodum occisum fuisse quemdam impune ab ipsius Gubernatoris nepote.

7. Prohiberi Ministris Almae Domus, ne silvas nostras exscindere pergant, cum Ecclesia Lauretana nobilissimas silvas habeat arboribus proceris fruticibusque refertas: scelus esse aliena disperdere, cum suppetant propria.

8. Tolli immunitatem Hebraeorum.

9. Obviari fraudibus Ecclesiasticorum, qui gabellas pascuorum nolunt solvere, ac vinum in minutum vendunt in fraudem gabellae spinae.

10. Obviari extorsionibus judicum, auditorum, et marescallorum Curiae, qui cum officia emerint, justitiam vendunt, ac pecunias extorquent.

11. Beneficia nostra nostris non exteris conferri.

12. Curari, ut Veneti usuras solvant, e quibus Altaristae nostri S. Flaviani vivunt, cum triennio integro non fuerint solutae.

Haec sunt gravamina, quae ad Leonis X thronum ut deferrent, in mandatis habuere Oratores Recanatenses. Levi brachio tangebant vulnera Ecclesiae inflicta, dum recuperarent jurisdictionem et vectigalia. Quo factum est, ut nec sua reciperent, et Ecclesia Recanatensis bona ad mensam pertinentia omnino amiserit.

Beatissima nimirum Lauretana Virgo, quae, ut fertur, ob avaritiam duorum fratrum e colle ipsorum migravit, Domum suam e potestate illorum. qui cupiditate. atque utilitatis propriae studio potius, quam justitiae amore ducti ejus dominium ambiisse videntur, subductura discessum parabat.

CCI. Accepti fuere Oratores nostri humanissime a Pontifice Leone, retuleruntque litteras Apostolicas, quibus privilegia Civitatis confirmabantur, amplissimas, datas mense Majo.

Sed et Almam Domum Lauretanam decessorum pietatem imitatus, imo superans, privilegiis gratiisque auxit Leo X. Etenim 18. Aprilis Guber-

natoris arbitrio permisit, ut Poenitentiariis facultatem daret absolvendi etiam homicidas. Die 14. Junii, cum Fr. Alphonsus de Lanzano Ordinis Observantium e capsa eleemosynarum, cerae etc. Ecclesiae Lauretanae extraxisset ducatos 4791., ex his 2000. in fabrica expendi jussit [1].

Die 8. Julii indemnitati Ecclesiae Lauretanae, ne quid e privilegiis Recanatensibus nuper concessis damni caperet, consuluit.

Die 16. Augusti id juris concessit Gubernatori, ut in quavis silva cujusvis Communitatis lignatum mittere nullo soluto pretio ei fas esset.

Mense Decembri querelas abscissurus Recanatensium, declaravit quid juris cuique esset in Villa Laureti, ac silvis vicinis. Acceptatae fuerunt litterae Apostolicae super his confectae in publico Magistratuum Recanatensium conventu.

CCII. Anno 1514. 17. April., cum durante Jubilaeo pro fabrica Templi Vaticani indicto suspensae fuissent indulgentiae reliquae omnes, declaravit Leo, Lauretanas a se suspensas non fuisse, neque unquam suspendendas.

Demum die 10. Decembris Ecclesiam Lauretanam in Collegiatam erexit, constituitque in ea Canonicos XII., quorum singuli e redditibus Ecclesiae perciperent annuos ducatos 50., salmas 6. grani, 10. vini, 6. lorae, et metrum olei; Mansionarios item, XII., Clericos VI. Bullam Leonis in Appendicem retulimus. (Append. N. CXV).

Die 20. Decemb. Beneficia, quae tunc possidebant Canonici et Clerici Ecclesiae Lauretanae ubivis terrarum consentientibus patronis, si qui forent, laicis, Capitulo deinceps in perpetuum unita fore decrevit, ut ex iis redditus conficerentur, quos Canonicis ceterisque Ecclesiae Ministris constituerat: quod confirmavit litteris datis anno proximo die 3. Maji, dispensans eos a residentia in aliis Ecclesiis facienda.

Ubi primum Gubernator Ecclesiae Lauretanae de instituendo in Ecclesia Lauretana Canonicorum Collegio certiores fecit Recanatenses, qui inde a discessu Carmelitarum in Ecclesia ista Viros Religiosos collocari

---

[1] Enimvero hoc anno allaboratum est strenue, ut perficerentur sculpturae illae, quibus extrinsecus Alma Domus ornatur . . . « *Andrea di Niccolò dal Monte a S. Savino* « (Architetto della S. Casa) pagò a Carrara 126. carrate di marmo a ragione di « due ducati d'oro, e facevano pezzi di marmo 156. Jacopo de Casa Pulci e il « belo tolseno a fare li dieci quadri, che hanno a servire per le istorie a ragione « di 12. ducati d'oro l'uno. (Due già erano fatti nel Febbraro 1514.) Andrea sud- « detto condusse due cavatori per otto altri mesi a ragione di cinque ducati l'uno « al mese. . . . (Ex notula illius temporis penes Ill. Dnum. Aloysium Carradorium).

Pavimento quoque Ecclesia Lauretana tunc sternebatur, in quod circa finem anni 1515. insumpti sunt lateres 50000., lapides quadrati e petra rubea 200. etc. (ibid.)

petierant ex iis institutis, in quibus tunc magis florerent pietas ac doctrina sacra, laetati ii mirum in modum decrevere, gratias publice agendas Pontifici, ac rogandum esse, ut cives Recanatenses quamplurimos ei Collegio adsciscerct.

Anno 1515. 18. Januarii confirmavit Pontifex indulgentias Ecclesiae Lauretanae concessas a Paulo II, Sixto IV, et Julio II, extendens illas, quae concessae fuerant in festo Nativitatis B. M. V. ad dies duos festos sequentes.

Eodem anno Kalendis Februarii delecti fuerunt novi Canonici Lauretani, actumque mox a Canonicis et Clero Recanatensi cum Antonio Card. S. Vitalis Protectore Almae Domus, ne Capitulo Lauretano locus major in processionibus etc. deferretur.

Canonicos vero primos Capituli Lauretani hos fuisse reperio.

1. D. Joa. Maria Blondus Sangenesinus Decretorum Doctor *Archipresbyter.*
2. D. Thomas Ser Antonii de Ballantibus Praepositus Ecclesiae S. Flaviani, et Ecclesiae S. Mariae Castrinovi, Parochus ad S. Luciae, et *Almae Domus Depositarius.*
3. D. Bartholomaeus de Montealto.
4. D. Laurentius Bellutius Auximas, Canonicus auximanus.
5. D. Angelus Peri Jacobi de Donatis de Monte Lupone electus in *Depositarium Capituli.*
6. D. Andreas Camers.
7. D. Bernardinus Antonii de Campo Rotundo Dioecesis Camerinensis Plebanus S. Mariae de Campo Rotundo, Rector Altarium S. Catharinae, S. Stephani, S. Joannis, S. Juliani, et S. Mariae Annunciatae in eadem Ecclesia S. M., *Custos Cappellae Lauretanae.*
8. D. Baptista Baptistae Maceratensis, Canonicus Maceratensis.
9. D. Petrus Nicolai Maruscae Ungarus, Rector Beneficii S. Hieronymi.
10. D. Fabritius Petri Baptistae de Robertis de S. Justo *Thesaurarius Almae Ecclesiae Lauretanae*, et Sacri Palatii Lateranensis Comes Palatinus.
11. Magister Georgius Cascianus de Monte S. Mariae in Cassiano Notarius.
12. D. Lactantius Carregius de Monte Elparo.

Die 26. Martii concessa est oppidanis Castri Ficardi facultas res victui necessarias Lauretum deferendi sine ulla vectigalium solutione. Iidem a Perotto Gubernatore cive suo adhibebantur ad custodiam Lauretanae Villae. Quorum utrumque cum Recanatensibus maximopere displiceret, annisi sunt hi, ut litterae Apostolicae, quibus immunitas data istis fuerat a gabellis, revocarentur; Recanatenses essent oppidi sui custodes, arcerentur a Musone, qui intra fines agri Recanatensis fluebat, oppidani Ficardenses.

Die 18. Junii aliis litteris immunes declarantur peregrini ubivis locorum.

Die 1. Julii administrationi, et regimini Almae Domus cum amplissima potestate praefectus fuit Bernardus Divitius de Bibienna Cardinalis.

Die 1. Octobris jus tribuitur Gubernatori legata facta Ecclesiae Lauretanae ubivis exigendi.

Hoc anno construxerunt Recanatenses pontem Musonis ligneum. Formam operis designaverat M. Andreas Sansavinus Architectus celeberrimus.

Sodales vero S. Jacobi in via, qua Anconam pergitur, fontem aedificaverunt sive reparaverunt quem nunc *Fonte delle bellezze* vocant.

CCIII. Haec de rebus Lauretanis dicenda habuimus in quibus recensendis post institutum Canonicorum Collegium, disjunctamque a Recanatensis Episcopi potestate Ecclesiam parcioribus deinceps esse licebit.

Non pauca sub Theseo Episcopo apud Recanatenses instituta fuerunt, quibus cultus divinus augeretur, ac ceremoniis divinis decus et majestas accederet.

Anno 1510. 10. Martii decrevit Senatus colendum fore solemniter festum Conceptionis Beatae Mariae Virginis.

Ineunte saeculo pii quidam homines instituerant sacra celebrari a Fr. Victore Ordinis *de Sacco* (idest Clarenorum cum Franciscanis nuper conjunctorum) *ad picturam SS. Crucifixi*, quae dicebatur *Castrificardi*, eo quod in via posita esset, qua e Civitate nostra ad Oppidum illud pergitur. Cum igitur devotio fidelium erga eum locum magis magisque increvisset, Sodales S. Jacobi Cappellam seu Ecclesiam ibi construxere, in qua Missa celebrata, mortui sepulti etc. per aliquot annos fuerunt, inscio equidem Episcopo. Anno demum 1510. mense Augusto sublato interdicto, cui Ecclesiam subjecerat, Theseus Episcopus loci religionem probavit.

Anno 1511. mense Aprili institutum fuit, imo restauratum *Collegium Altaristarum S. Mariae Castrinovi*, fundatis distributionibus a locuplete cive Antonio Angeli de Jontis, ita ut earum participes esse nequirent, qui Altaristae simul forent alterius cujusdam Ecclesiae.

Anno 1513. ordo praestitutus fuit processionibus publicis, decretumque inter alia, mares et feminas binos incedere opportere. Eodem anno *Sacellum* delectum est in *Templo Lauretano*, illud quod organo atque Altari magno Chori, in quo decantantur horae canonicae, proximum est, ubi pro salute Reipublicae Recanatensis quotidiana sacra fieri debere constituerunt Septemviri. (Annal. 1513. p. 64.).

Senatusconsulto porro die 4. Septembris statutum fuit deligendum quotannis Capitaneum cum vicenis non quidem militibus, sed civibus ex honestiorum numero, qui scipionibus solummodo armati ad fores Aediculae Marianae custodiae causa adessent, cum festum Nativitatis Virginis cele-

bratur. His pro victu panem, vinum, carnem, et caseum aere publico praebenda esse.

Anno 1514. *Fraternitas S. Venerae* instituta, atque probata est.

Anno 1515. 26. Novemb. institutum fuit assentiente Senatu *Sodalitium Lombardorum* in Ecclesia S. Viti sub titulo S. Mariae Misericordiae.

CCIV. Annis porro 1514. et 1515. Theseus Episcopus Lateranensi Concilio interfuit.

Idem vero anno 1516. die 16. Januarii (juxta Calcagnium die 7.) assentiente Leone X Episcopatu suo Recanatensi se abdicavit, qui concessus fuit Aloysio de Tassis Bergomati Episcopo Parentino eo pacto, ut mortuo Aloysio Theseus ad Ecclesiam Recanatensem regressum haberet; mortuo Theseo Aloysius in Maceratensis etiam Ecclesiae gubernatione succederet. Cujus generis pacta cum maximo Ecclesiarum damno id temporis in usum abiverant. Episcopi hac ratione creati ob pensiones decessori reservatas ad gradum dejecti erant mercenariorum; sed rei turpitudinem titulus tegebat honoris. Quare morem illum perniciosum, quo redditibus retentis oves pascendae aliis tradebantur, SS. Tridentina Synodus cum aliis abusibus abolevit, maculamque hanc Ecclesiae sanctae Dei abstersit.

Quando, et ubi obierit Thaeseus juxta incertum mihi est. Maceratensi Ecclesiae a Recinensi disjunctae ipsum praefuisse existimo ad annum usque 1519., quo anno die 13. Maji successorem accepit Aloysium Tassium ex pacto.

CCV. Vicarii Generales, quibus in gubernanda Ecclesia nostra adjutoribus usus est Theseus, fuerunt:

Anno 1509. Petrus Paulus Ser Gasparis de Calcaneis Canonicus Recanatensis.

1511. D. Bartholomaeus Caffarini de Monte Florum U. I. D.

1512. D. Christophorus Constantinus Canonicus Recanatensis.

1513-1516. D. Thomas Ser Antonii Ser Thomae de Ballantibus, Canonicus inde ab anno 1491. Recanatensis; An. 1508. electus Praepositus Altaristarum Templi S. Flaviani, ac An. 1510. Praepositus Ecclesiae S. M. Castrinovi. Idem Parochus fuit ad S. Luciae, ac An. 1514. 16. Februarii Abbatiam S. Angeli de Camiliano Ordinis S. Benedicti [1] sibi a D. Hieronymo Pascuino resignatam obtinuit. Eodem anno parum aberat, quin Episcopatu Recanatensi ei decederet Theseus Episcopus, probante, litterisque et per legatos ei favente Senatu Civitatis nostrae. Vir enim erat mirae dexteritatis, et prudentiae. Tandem anno 1526., quo obiit, Lauretani quoque Capituli Archidiaconus creatus fuerat, postquam triginta annis summa cum fide negotia istius Ecclesiae gessisset.

1516. D. Jacobus Milionus Fanensis.

[1] In agro Oppidi Roccae contradae.

XXII. ALOYSIUS DE TASSIS BERGOMAS

CCVI. Gubernaculis itaque Ecclesiae Recanatensis admotus fuit die 16. Januarii 1516. *Aloysius Tassius* Augustini filius Bergomas, Juris utriusque Doctor,[1] Episcopus inde ab anno 1500. Parentinus. Is familia ortus erat nobili equidem, sed quae majorem splendorem accepit ab Aloysio et nepotibus, quam ab avis. Avunculus enim fuit Aloysius Bernardi Tassi viri ob eloquentiam nativique sermonis elegantiam clarissimi, cujus extant epistolae et poemata. Hic Torquatum genuit immortalis nominis Poetam, saeculi sui atque Italiae ornamentum maximum. Fratres Aloysii Petrus Andreas, et Dominicus Eques, qui anno 1517. Praetor Recanatensium fuit.

CCVII. Recanatum adiit Aloysius die 18. Maji, exceptusque fuit cum iis honoribus, qui haberi solent Episcopis cum primum Ecclesias suas invisunt. Actae fuerunt praeterea in ejus honorem comediae, erecti passim arcus iique laureati, quibus appensa erant insignia Pontificis Summi, Episcopi Tassii, Civitatis nostrae, et Reipublicae Florentinae (quod honori datum est procul dubio Leonis X.) Nec defuere munera more prisco novo Antistiti oblata; scyphus argenteus valoris 50. florenorum. Inusitatum hoc, quod lignis a centum bestiis ad Palatium Episcopale delatis, coquinam Episcopi instruxere boni illi Recanatenses, forte ne, amissis silvis, Pastori ignis deficeret.

Devincire sibi subditorum animos in ipso officii sui exordio studuerat Aloysius, impetratis aere proprio Brevibus duobus, quorum altero, quod de pascuis agebat, de Republica benemeritus est; altero, quo indulgentias festo Corporis Christi lucrandas obtinuerat, de Ecclesia. Expensi pro utroque centeni plus minus ducati [2].

Animum deinde applicuit ad condendas leges, quibus Cleri populique mores in melius reformarentur, Ecclesiisque decor restitueretur, quem amiserant tum ob bella, et morbos, tum maxime quod a quadraginta et

---

[1] Causae maximi momenti a Pontificibus Romanis commissae fuerunt, ut deciderentur, aequitati et prudentiae Aloysii; qualis fuit An. 1516. causa expulsionis Sanctimonialium quarumdam Ofidae, ac immissionis in earum locum Patrum Observantium Franciscanorum. Aliis quoque muneribus insignioribus pro Apostolica Sede functus est. Quare ipsius potissimum fidei Cremam urbem a Gallis tradi voluit Pontifex, ut Venetis eam deinde restitueret. (*Calvi effemeridi nel Settembre* p. 8., qui de gentis Tassiae nobilitate librum citat gallico idiomate conscriptum: *les marques d'honneur de la maison de Tassis.*)

[2] Die 29. Decemb. *Dominus Episcopus donavit Palatio DD. Priorum unum par capifocorum* oricalceorum. (Annales).

amplius annis Ecclesia haec a Sponsis suis procul agentibus destituta squalorem contraxerat.

Constituit itaque, ut Clerici omnes *incedere deberent in habitu et tonsura, capillis incisis, ita ut pars auriculae conspici posset; vestes et caputeum deferrent ad talos usque protensa, diploidem seu giupponem ecollatum* [1], *et vestem ligatam a capite: Canonici vero Amutiam in choro et Processionibus; extra Ecclesiam vero caputeum in spatulis:* Ne cui ultra dimidiam horam in foro, aut tabernis et apothecis morari fas esset, nisi necessitas quaedam urgeret: Ut exhiberent omnes infra 15. dies Beneficiorum titulos, bonorumque indiculos sive inventaria: Interdixit Clericis omnibus quemvis ludum publicum, gestationem armorum, habitationem cum mulieribus suspectis etc.: Decrevit, ut notarentur accurate ii. qui abessent ab officiis, Altaristae, et qui muneri suo non satisfacerent etc.

Mortuos domo efferri vetuit, nisi praesentibus Parochis.

In funeribus ad sepulturam deducendis constituit eum servandum esse ordinem, ut Clerus uterque, siquidem Processioni adfuturus esset Clerus Ecclesiae Cathedralis, in hac ipsa Ecclesia cum Crucibus suis conveniret. Cui quidem legi Regulares obedire noluerunt, partes eorum tutante Archipresbytero Lauretano, qui protectorem se privilegiorum monasticorum gerens in medium prodierat. Sed jura sua Episcopus intrepide tueri perrexit.

Denique postulatu Aloysii Senatus feminas, quarum venalis est pudicitia, coercuit poenis propositis, ne dum haberentur supplicationes ad fenestras vel ostia in conspectum prodirent, aut virilia indutae vestimenta ullo unquam tempore incederent, praeterquam nundinarum a 15. Augusti ad 15. Novembris (tunc enim liberius eas habendas esse, contra ac Episcopus petierat, censuit).

CCVIII. Quam necessariae fuerint hae leges, patet vel maxime ex actis Visitationis susceptae ab Aloysio die 14. Julii An. 1516., quae utinam integra ad nostram pervenissent aetatem; ex iis enim discere poteramus plurima, quae scire utile esset ac volupe. Miser sane iis temporibus fuit Ecclesiarum nostrarum status, si eum eo conferas, qui nunc est. Plurimos abusus Sacrosanctum Concilium Tridentinum sustulit. Ceteris tollendis ad hanc usque diem Antistites nostri insudarunt. Quantum eis debeamus, e Tassi actis grata agnoscat posteritas. Nulla tunc Seminaria; residentia Beneficiatorum rara: nulla fere verbi divini praedicatio: Catechismi nulli: crassa apud cujuscumque conditionis homines rerum divinarum ignorantia:

---

[1] Forsan *accollatum*, collo adstrictum.

nullus Ecclesiarum cultus [1], ita ut in aliquibus conventus publici agerentur, merces venum exponerentur, habitationes essent hominum, quin et stabula bestiarum. Mores Cleri et populorum qui fuerint, ex his, quae diximus, facile est conjicere. Inter libidines tamen publicas, inter civiles discordias, ambitiosorumque furores, atque sicariorum gladios non defecerat omnino apud nos, Deo miserante, pietas, fidesque, charitas erga pauperes, cultusque divini studium, ut ex decursu narrationis nostrae intelligi potuit.

Etenim Nicolaus Astius id effecerat, ut Beneficiarii Ecclesiarum S. Flaviani, S. Viti, S. Mariae Castrinovi in Collegia coirent, quae officiis divinis fungebantur. Eodem promovente erecta fuerant Hospitalia, aut ditata, S. Antonii, S. Luciae duo, et S. Mariae Lauretanae; fundatum Coenobium Patrum Observantium, restituta Apostolinorum, et S. Benedicti Asceteria. Cumque Beneficia civibus fere conferrentur, proclive erat eos ad residendum cogere. At vero aetate Tassii, ut de Beneficiariis taceam, ne unus quidem inter Parochos Recanati aderat. Anno 1542. e Canonicis duodecim octo absentes erant. Resque absque dubio in pejus abiturae erant, nisi Tridentini Patres ac Episcoporum nostrorum zelus reduxisset vigorem disciplinae.

CCIX. Multa, si licuisset, emendaturus erat Aloysius Tassius; verum altero mox Episcopatus anno cae calamitates Civitatem nostram oppresserunt, ut vix non eis succubuerit. Cum enim Franciscus Maria Urbini Dux Picenum invasisset, Aesium expilasset, ac pejora nostris comminaretur, coacti fuerunt solutis ipsi sex ducatorum millibus a vexationibus se redimere, quae summa, consentiente Episcopo et Clero, a cujusvis conditionis hominibus pro singulorum facultatibus exacta fuit.

Episcopus millenos ea in necessitate aureos commodavit. Eo tempore Puellae Recanatenses Almae Virgini Lauretanae, si ope ipsius salva esset Patria, imaginem se Civitatis argenteam suspensuras esse voverunt.

Beneficiarii Ecclesiae Cathedralis 500. aureos, quos ipsis debebat Thomas de Ballantibus Templi Praepositus, Episcopo donarunt, expendendos . . . *in adornamento fabricae Episcopatus* [2].

---

[1] Exemplum hic adferemus e Visitatione peracta anno 1500. 8. Octobr. in Ecclesia vicinae Dioeceseos, cujus nomen referre nihil adtinet. *Commissarius D. Episcopi* (ita legitur in actis) *conduxit se in Ecclesiam Plebis . . . . subtus campanile, ubi est quaedam fenestra in muro clausa, sed non clavata, in qua erat una cassetta etiam sine clavi in qua certi vasculi cum olea sancta, et nonnullas Reliquias, et S. eucalistia sine Corpore Christi, et invenit lampada non accensa, et battismus non clavatus. Catinus autem battismi erat inter aliae masaritias Domni Cristofori, quae mater ipsius utitur in cocina etc.*

Similia complura edidit in actis Visitationum anni 1462. Rmus. Compagnonius T. V. Comment. de Eccl. Auximana.

[2] Ser Callistus Constantini die 24. Febr. 1517.

Francisci Mariae Urbinatium Ducis invasionem secutae sunt discordiae civiles inde ortae, quod Senatores urbis nostrae, qui ducenti olim ex praescripto legum patriae extiterant, at anno 1514. ad 144. redacti fuerant, legitimo numero restituendos esse acerrime contenderent multi, repugnantibus pertinacissime aliis. Tandem per Senatusconsultum factum ea de re Kalendis Augusti 1517. rescissa fuerunt acta, quae diximus, anni 1514. Quod vero Senatusconsultum die 23. ejusdem mensis ut vi extortum delevit Petrus Flores Castellimaris Episcopus Picenae Provinciae Legati Locumtenens, qui die 7. Octobris constitutiones quasdam edidit, ut restitueretur Reipublicae Recanatensi pax et quies, quam, inquiebat. . . . . *multi perditae juventutis homines rabie quadam temerariae ambitionis, et dominandi libidine incensi, quique voluptatem e calamitatibus aliorum accipiebant, quorum perniciem felicitatem rerum suarum arbitrabantur, et cum propter ignaviam ad extremam vivendi miseriam essent redacti, ex iis ditescere appetebant, turbare, ac florentissimam et religiosissimam supra ceteras, quod sine invidia dictum sit, Civitatem patriam suam opprimere, et crudelissime dilaniare attentarant.* Ita depingit Florius vir rationum publicarum consultissimus novatores id genus politicos.

Rebus utcumque compositis defervescere paulatim coepit inter cives discordia, operam egregiam ad conciliandos animos navante Aloysio Episcopo. Hujus itaque arbitrio commissum fuit, ut Joannem Franciscum Percivallium, et Amadeum Mencionium exules in patriam revocaret. Quibus peractis ad res etiam sacras componendas, Templique inprimis Cathedralis cultum restituendum animum admovit Episcopus. Ac primum quidem effecit, ut massa conflaretur communis pro Capitulo Canonicorum et pro Mansionariis sive Altaristis, e qua distributiones solverentur iis, qui officiis divinis interessent [1].

Paulo post (die 18. Januarii 1518. an. 1519.) egregias leges edidit pro Canonicis et Altaristis Ecclesiae Cathedralis per Bernardinum de Mentionibus Vicarium Generalem, (Videatur Ser Callistus Constantinus 1518. 21. Januarii) quibus statuta a Nicolao de Astis f. m. olim condita declarat, augetque consentientibus Canonicis omnibus atque Altaristis. Archidiaconatum restituit: Canonicis partem distributionum, Mansionariis gradum, habitumque proprium attribuit: singulis agenda praescripsit. Constitutionem ipsam, mancam licet a capite, descripsi e codice Joannis Francisci Tarantelli Notarii, et Appendici monumentorum inserui.

---

[1] Ad masssam illam administrandam quolibet trimestri a Capitulo Canonicorum, et a Mansionariis eligebantur Syndici. Electionum acta extant apud Callistum Constantinum Notarium Anno 1517. 25. Octobris, anno 1520. 25. Julii, et posteriorum temporum apud alios.

(n. CXVI). Cum ergo res Recanatensium cum sacrae tum profanae jam satis recte se habere viderentur, discessit Recanato Episcopus mense Aprili 1518. Neutiquam vero absens Ecclesiae suae curam gerere destitit. Etenim 22. Julii Senatum monuit de supplicationibus publicis ordinate peragendis: 29. Martii vero anni 1519. Magistratibus auctor fuit, ut cum Clero concordiam inirent, a quo ob vectigalium solutionem dissidebant. Vicarius porro et Capitulum Recanatense resciverunt, Tassium die 13. Maji 1519. electum fuisse in Episcopum Maceratensem, mortuo procul dubio circa id temporis Theseo de Cuppis [1].

CCX. Combustus fuerat Portus Recanatensis a Turcis mense Junio 1518., metuebaturque Laureto. Quadraginta igitur armati praesidio Lauretanis missi, iterumque mense Septembris pedites centum. Sed cum parum fiduciae esset in horum virtute, aut meticulosi nimium essent Ministri Almae Domus, mandata venerunt a Pontifice, ut foveis, ac propugnaculis Villa Lauretana muniretur, missique statim Romandiolenses multi, qui manum operi admoverent. Actum quoque fuit de Lauretana Villa dominio Recanatensium subtrahenda; repetita donaria argentea hactenus in turri Palatii Urbis adservata: coercitae nundinae, quae bimestres fuerant, intra unius mensis spatium. Quae calamitates cum una omnes ingruerent, Cives nostros ad desperationem fere adduxerunt: quare, quod unicum malis erat remedium, Oratoribus missis subjici petierunt Protectori Lauretano, atque in unum veluti corpus cum Villa, quam a se abstrahi nullo pacto ferre poterant, coagmentari, ita ut eidem Gubernatori Civitas Recanatensis et Laureti Villa parerent. Precibus annuit Leo X die 28. Maji 1519., cui quippe nil aliud cordi erat, quam ut Templi decori et Ministrorum ejus, ac peregrinorum commodis consuleretur, quibus hactenus Reipublicae Recanatensis rationes saepe nimis oppositae visae fuerant. Itaque decreta unione, quam petierant fieri Recanatenses, et nundinas rursus probavit, dominiumque Civitatis in Villam, Protectori nimirum subordinatum, denuo confirmavit, et vectigalia absque diminutione restituit. Felices esse poterant Recanatenses, si quietis esse licuisset per seditiosos Cives. Sed his videbatur libertatem se amisisse, quod Cardinali Lauretanae Domus Protectori Patria subesset. Quare comitia cogenda curarunt 28. Novembris, ut deliberaretur, num placeret populo Provinciae Legato subdi potius quam Protectori: sed cum praesenti fortuna contentos se esse major

[1] Ex literis in Archivo Ecclesiae Cathedralis Recanatensis « Annuntio vobis gaudium magnum, cioè: che Monsign. nostro R.^{mo} Venardì, che forno li 13. del « presente, in consistorio de Cardinali publico fo assumpto al Vescovato de Ma- « cerata.

pars civium affirmasset, occisus fuit eadem nocte Joannes Baptista Joannis Francisci filius Confalonerius Vir primarius ab Amadeo Mentionio homine animi quidem celsi bonisque artibus exculto, sed projectae ad quidvis audendum audaciae, qui hoc perpetrato crimine statim ex urbe egressus est exul spontaneus, pauloque post Castrum Montis Florum armata manu occupavit. Quod cum recuperare vellent nostri, militesque profecti fuissent, ut eum inde ejicerent, elapsus alia via Amadeus vacua urbe cum sociis potitus est, statimque coacto Senatu, ut amnestia sibi decerneretur, effecit [1].

Tumultuatum est rursus die 6. Januari 1520., ejectique cives ultra quadraginta, qui Laureti asylum nacti sunt. Tandem res compositae fuerunt die 11. Februarii, annitente inprimis Nicolao Bonafide Episcopo Clusino Marchiae Prolegato, qui praesens aderat, in has leges: I.° ut penes ducentos Cives, ut olim fuerat, esset rerum summa. II.° Praetoris eligendi jus Senatui restitueretur. III.° gestorum rationes a quinquennio citra exigerentur. IV.° in Senatu, qui haberi non posset nisi interfuerint octaginta saltem Senatores, ea sententia obtineret, quae placuisset duabus tertiis Senatorum partibus.

CCXI. Die 13. Septembris 1520. nuntius ad Senatum allatus fuit de nece Aloysio Episcopo nostro illata a grassatoribus quibusdam haud procul Bergomo. Adscribo ex Ughellio Epitaphium ei positum in Ecclesia S. Spiritus apud Canonicos Regulares suae patriae.

Aloysio Tassio Parentii primum
deinde Recanati
Macerataeque Pontifici, quem postquam
Bergomum urbem revisisset
a latronibus vita et fortunis privatum
tam universa deflevit patrem civitas
quam Dei manifesta
ulta fuit cito ira, Dominicus Eques
splendidus
et Petrus Andreas fratres pientissimi

[1] Suspendio periit Amadeus Romae die 21. Aprilis 1520., ut narrat Jovius in vita Leonis. Filio Sebastiano caput amputatum fuit mense Februario 1528. jussu Clementis P. M. Bernardinus filius alter Canonicus Recanatensis, Juris utriusque Doctor, Commendatarius Ecclesiae S. Mariae de Platea beneficiis Ecclesiasticis privatus anno 1521. interiit e Patria profugus. Vide de Amadei et filiorum ejus molitionibus Didacum Calcagninum p. 86. et seqq.

et sacer Canonicorum Regularium
Ordo benemerentissimo [1]
poss.
Anno a partu Virg. M. D. XXIIII. [2]
Vix ann. LI. menses XI.
Dies XIX.

Ughell. in Macerat.

Pro Tassio Episcopo singulis mensibus sacrificium Missae offerunt Altaristae Basilicae nostrae, quibus centum florenos testamento reliquerat.

Vicarios habuit in administrando Episcopatu Recanatensi:

Anno 1516. et 17. et 18. D. Christophorum Constantini.

1518. *D. Laurentium Tassium.*

1519. D. Bernardinum de Mentionibus Canonicum Recanatensem.

1520. D. Christophorum Constantini iterum.

Mense Novembris ejusdem anni, quo Tassius, ad meliorem vitam transiit *Bernardus Divitius de Bibiena* Cardinalis S. Mariae in Porticu Protector Almae Domus et Gubernator Civitatis Recanatensis perpetuus, qui Leoni X discipulo nimirum et alumno carissimus fuerat, vir ob dexteritatem in rebus agendis, fidem, eandorem animi ac doctrinam inter paucos suspiciendus. Sepultus fuit Romae ad S. Mariam de Aracoeli, quamvis testamento jussisset corpus ad Ecclesiam suam Lauretanam deferri, in quam egregia sane extant ejus merita [3]. Vitam hujus viri edidit Liburni anno 1758. Angelus Maria Bandinius.

Circa id tempus mortem obiit *Antonius Recanatensis* [4] Camaldulen-

---

[1] Anno 1520. mense Martii annuente Summo Pontifice Ecclesiam quamdam sibi commendatam Canonicis Lateranensibus resignaverat. (Calvi in ephemerid. Bergom.)

[2] Annales Recanatenses. Occisus fuit Tassius die 2. Septembris, testibus Clar. Petrantonio Serassi in vita Torquati Tassii impressa Romae 1785. lib. 1. pag. 12. et Donato Calvi *effemeridi sacroprofane di Bergamo.* Volume 3. p. 8. Anno 1520. 16. Octobris Cappellam in Ecclesia S. Aegidii Plebis de Staffulo vacantem per mortem D. Aloysii de Tassis de Bergamo Episcopi Recanatensis confert Fabius Ottonus Matelicas Abbas SS. Ruffinae et Vitalis Joanni nepoti (Ser Joannes Baptista Peregrini Archiv. Matelic.)

[3] Monumentum ejus superest Campana maxima Templi Lauretani ponderis 20000. librarum aeris inscripta nomine *Divitii.*

[4] Recanatensem fuisse dicunt Lucas Hispanus in historia Romualdina, et post eum Scriptores omnes de rebus Camaldulensium, Modestus Benvenutus, et Calcagnius. Res extra controversiam foret, siquidem Antonius Recanatensis, ad quem scribit Petrus Delphinus, esset idem ille Antonius, qui Massatii postea vitam solitariam egit, de quo hic agimus. Sed de hoc dubitari posse fatemur. Ille enim

sis Monachus, de quo vide Annales Ordinis a Mittarellio et Costadonio elaboratos T. VII. p. 398. et T. VIII. p. 24. et Didacum Calcagnium p. 170.

Vir fuit doctus, magisterii honore ornatus, qni cum jam grandaevus ob persecutiones nescio quas deserta religiosa societate, cui a plurimis retro annis se addixerat, ad severius institutum transire meditaretur, a Petro Delphino Camaldulensium Praefecto litteras accepit datas 1494. 8. Junii, quibus hominem is a proposito absterrere conabatur. Nihilosecius Antonius relicto sui Ordinis Asceterio ad eremum se contulit Massaciensem anno 1509., ibique vitam egit sanctissimam ac durissimam. Deinde amplexus institutum Camaldulensium post annos aliquot in eo transactos ad superos e vita hac transiisse existimatur anno circiter 1522.

Ubi primum de morte Episcopi Tassii constitit, elaborandum omni ope decreverunt Magistratus Recanatensium ut Episcopatus, ac Lauretana Domus sub eodem Praesule conjungerentur, hortantes Clerum Ecclesiae S. Flaviani, ut redditus suos Venetos in medium proferret, haberetque locum in Ecclesia Lauretana in Cathedralem Dioecesis Recanatensis erigenda. Rogandum quoque censuerunt Pontificem Maximum, ut, ne Bulla unionis sub Protectore Lauretano infringeretur, jura sua in Villam Civitati manerent, et revocaretur Bulla Anconitanis concessa de nundinis in ea urbe habendis.

De reliquo gratulatorias scripserunt litteras ad Joannem Dominicum de Cuppis Cardinalem Tranensem, qui succedebat Episcopo defuncto, ejusque spolia a Pontifice obtinuerat [1].

Anno 1518. mense Decembris regimen spiritualium rerum *Neritinae*, sive Neritonensis Dioecesis jubente Leone X suscepit *Nicolaus Melchiorius* Recanatensis ex Ordine Praedicatorum S. Theologiae Magister egregius,

---

vir doctus fuit, Magisterii honore in Ordine suo decoratus, quiqne, teste ipso Petro Delphino, insigni cum laude et eloqnentia in concionibus de rebus divinis ac vita recte instituenda verba facere esset solitus. Antonius vero ille *Massatiensis* laicus foit, qui habitu saeculari indutns ad eremum incolendam accessit. Qui an Recanatensis fuerit, dubium est. Etenim Antonius in regesto Thomae de Urbanis Notarii Massatiensis anoi 1518. ad diem 9. Februarii *Anconitanus* dicitur. B. vero Paulus Justinianus, qui cum eo diu convixit, dubie loquitur. *Frater Antonius*, inquit *de Recanata sive de Ancona*. Sed Anconitanum fuisse demonstrat subscriptio autographa oomiuis, qua Antonios ipse et patriam et familiam perspicue iodicat. *Ego Frater Antonius Stefani de Lumeriis de Ancona* — Ita habet instrumentum superins citatum, cujus notitiam debemus eruditissimo viro Petro Panlo Torellio Massatiensi. *Lumeriorum* porro nobilis familia fuit, quae XIV. saeculo dominata est *Oppido Montis Sancti*. Quae anno 1376. inde ejecta utrum Ancooam migraverit, aut in numero Civium Recanatensium aliquando fuerit, aliis inquirendum relioquo.

[1] Vigore Brevis 16. Septembris 1520. in Archivo Ecclesiae Cathedralis Recanatensis.

Cyrenensis Episcopus, vir generis nobilitate aeque ac eruditione clarus. Verum elapsis sex fere mensibus, regimine istius Ecclesiae dimisso, Romam reversus est, ibique gravissimis Ecclesiae universalis negotiis gerendis adhibitus obiit An. 1535. Ita Polidorius T. I. Italiae sacrae Ughellianae a Coleto auctae T. I. col. 1052.

XXIII. JOANNES DOMINICUS DE CUPPIS

CARDINALIS TRANENSIS

CCXII. Aloysio Tassio successit *Joannes Dominicus de Cuppis* Bernardini filius, de cujus majoribus et Familia superius, ubi de Theseo Episcopo egimus, nonnulla a nobis prolata fuerunt. Faventem hic sibi habuit ad extremum usque vitae fortunam, quae in eo vel maxime laborasse videtur, ut singulis fere annis novis eum honoribus augeret, aliisque post alia ditaret sacerdotiis.

Canonicus primum fuit Vaticanus, et Julii II a Secretis, teste Clar. Viro Cajetano Marinio de Archiatris Pontificiis T. II. p. 254. Archiepiscopum Tranensem anno 1517. creavit Leo X, qui eodem anno Kalendis Julii Purpuratis eum Patribus adlegit, tituloque adscripsit S. Joannis ante Portam Latinam, quae Ecclesia tituli Cardinalitii honorem tum primum adepta est: jus accessus et regressus ad Recanatensem Ecclesiam obtinuit An. 1519., quae vacavit demum. ut diximus, An. 1520. mense Septembri, possessionem adiit 23. Octobris per Camillum Cardellum procuratorem [1].

CCXIII. Prima cura Cardinalis fuit, ut discordiam sopiret, quae statim a morte decessoris sui inter Canonicos atque Altaristas Ecclesiae Cathedralis enata fuerat. Cum enim Tassius, ut honori Capituli et Ecclesiae consuleret, edita Constitutione decrevisset. Canonicos Ecclesiae Recanatensis, ut decebat, in Ecclesia Cathedrali horas canonicas decantare, et Sacra facere debere, ac proinde participes esse distributionum simul cum Altaristis, quos Mansionarios vocari idem constituerat, cumque huic Constitutioni consensum omnes praebuissent, nihilominus An. 1521. die 12. Sept. *Venerabile Collegium, Capitulum nuncupatum Canonicorum* [2] *et Altaristarum Cathedralis Ecclesiae S. Flaviani jussu D. Thomae Praepositi* [3]

---

[1] Ser Callistus Constantini Not. Recanaten. in Protocollis.

[2] Aderant quinque solum Canonici, ii nempe qui *Altaristae* erant *S. Flaviani* Ecclesiae.

[3] D. Thomas Praepositus fuerat Ecclesiae S. Flaviani, sed post Constitutionem Tassii non Praepositus sed Archidiaconus vocandus erat.

congregatum advertens, quantum discordiarum fuerit inter Clerum ex eo, quod abrogatis constitutionibus fel. rec. Nicolai de Astis per tot annis servatis, novus ordo fuit institutus per Rev. Aloysium Tassum Episcopum, statuit duos oratores Romam mittere ad Reverendissim. Cardinalem Episcopum ad insistendum omni conatu, ut abrogarentur Constitutiones Tassianae, neque expensis parcendum, etsi oporteret facultates et bona Capituli penitus exponere[1].

Dolebant nimirum Altaristae aucto participantium numero distributiones sibi imminutas, quippe dividendas in partes longe plures ac antea, ideoque Canonicos, qui non essent Altaristae in Ecclesia S. Flaviani, ab iis excludere conabantur, licet Ecclesiae ipsius Dominos, atque Chori et Majoris Altaris servitio adscriptos. Verum intercessit Episcopi Vicarius, vetuitque, ne Altaristae expensum ullum facerent inconsulto Praeposito S. Viti, cujus utpote in primo post Episcopum dignitatis gradu constituti erant partes Capitula convocare, ac deliberationes instituere, declarans illegitimum fuisse conventiculum illud, cujus auctor extitisset Thomas Archidiaconus[2]. Appellarunt ab hoc praecepto Altaristae.

Supersunt litterae Cardinalis Joannis Dominici, scriptae 17. Octobris Canonicis et Capitulo et Collegio Altaristarum, quibus examinare se velle affirmat Episcopi Nicolai Decreta super distributionibus. — *et poi farremo* (inquit) *cosa justa et laudabile, et ordinaremo dicta distributione et il grado delli Canonici, et le mucce degli Altaristi . . . . . ve exhortamo al quieto et pacifico vivere, et lassate li odii che sono tra voi, siate uniti et vivete da fratelli come apartene a boni religiosi.*

Quem exitum habuerit ista contentio non invenimus. Viguisse perdiu (usque ad a. 1622.) Constitutionem Tassianam documenta demonstrant. Retentam enim fuisse et agnitam ab Altaristis Archidiaconatus dignitatem a Tassio restitutam docent tum electio Archidiaconi An. 1526. die 17. Decemb. (e protocoll. Ser Petri Pauli Laurentii) juxta Constitutionem Tassianam a Canonicis omnibus atque ab Altaristis viginti duobus peracta, tum bullae a Cardinali concessae D. Lucae de Julianis An. 1527. atque admissae a Capitulo Altaristarum (Ser Petr. Paul. Laurentii). Anno 1537. die 7. Junii D. Franciscus Fantutius *Archidiaconus* secundam in choro sedem obtinuit. (Ser Antonius D. Andreae). Eodem anno die 18. April. electus fuit Sacrista a 20. Altaristis, e quorum numero *Canonici*, qui tum residebant, adfuere novem praeter Dignitates.

[1] Ser Joan. Franc. Tarantelli Not. in Protoc. maj.
[2] Tarantell. Not. loco cit.

Quam vehementer cordi fuerint Cardinali nostro Capituli splendor et decus Ecclesiae, indicio sunt Dignitates duae ab ipso erectae, Archipresbyteratus An. 1522., et Decanatus An. 1527. die 25. Januarii, ut ex bulla patet in Appendicem relata, cui consensum praestitit Capitulum Canonicorum die 1. Febr. ejusdem anni. (Ser Petrus Paulus Laurentii) Dotem priori constituit Marinus de Crucianis de pecunia sua; posteriori Franciscus Massutius e redditibus Beneficii S. Stephani in Ecclesia S. Viti, uterque retento, aut reservato Familiae suae jure patronatus.

CCXIV. Sede Romana post mortem Leonis vacante Collegium Cardinalium Gubernatorem Ecclesiae Lauretanae ac Civitatis Recanatensis constituit Joannem Dominicum [1] de Cuppis.

Sed Julianus Rodulphius, quem Leo Ecclesiae ac Civitati praefecerat, et Raynaldus Cancellarius Episcopus S. Angeli Lombardorum, Ecclesiae Lauretanae Gubernator, obstiterunt quominus reciperetur Cardinalis, munieruntque Lauretum praesidio Hispanico, parati vim, si inferretur, vi repellere; Oppidum dictitantes potestati et custodiae suae commissum a Pontifice se defensuros. donec soluti forent sacramento a Pontifice successore. Acquieverunt nostri . . . . . *ne sanguine pollueretur Locus sanctissimus.* (Ann. 1523. 21. Januarii). Itaque Cardinalis Civitati quidem Recanatensi, non tamen Oppido Lauretano praefuit ad adventum usque Adriani VI, qui amotis et Juliano Rodulphio, et Cardinali nostro, suffecit eis Petrum Flores Episcopum Castelli Maris [2].

Quo tempore Gubernatorem Civitatis gessit Cardinalis noster, effecit, ut in amicitiam redirent familiae Mencionia et Confaloneria, quarum discordia, seditiones, caedes etc. in urbem invexerat. Sed recruduit odium illa ipsa die (16. Octob.) qua Petrus Flores Recanatum adiit.

CCXV. Mense Majo Capitulum sive Conventum Recanati celebrarunt Fratres Ordinis Minorum Observantium, sumptus suppeditante Petrostephano Petrifrancisci de Leopardis. Polliciti tunc fuerunt Capituli istius Ordinisque Primates, assumpturos se curam Monasterii S. Stephani recens fundati, cum redditus habiturum illud esset sufficientes alendis 25.

---

[1] E litteris Cardinalis datis Romae die 20. Febr. An. 1522. in Archivo Ecclesiae Cathedralis.

[2] Die 9. Octob. 1522. supplicaverant Recanatenses Adriano, ut redderetur Episcopo Ecclesia Lauretana, sublatoque ex illa Canonicorum Collegio collocarentur Fratres Observantes ad ejus curam; conquesti etiam fuerant de ablato sibi dominio Lauretani Oppidi a Majoribus in agro suo conditi, de ereptis vectigalibus, de usurpatis pascuis. Adrianus respondit, a Leonis X decretis, quae ad Ecclesiam pertinerent, se nequaquam discessurum. De reliquo ut Laureti Oppidum a Recanatensibus gubernaretur, consensit.

Sanctimonialibus. Huic Monasterio An. 1528. bona sua omnia donavit Fraternitas S. Jacobi [1].

Anno 1523. 29. Decembris Antonius Jacobus Ser Antonii filius Mencionius Patribus Praedicatoribus fundum testamento reliquit, e quo Concionator aleretur, qui per totum annum diebus festivis ad populum de rebus divinis in Ecclesia ipsorum verba faceret: sed pia haec fundatio diminutis redditibus, assentiente Romano Pontifice, restricta fuit postmodum ad quatuor illas dierum hebdomades, quae festum Nati Servatoris antecedunt.

Anno 1524. Mense Januario Clemens VII Oppidum Lauretanum a Leone decessore moenibus instructum Recanatensium potestati subtraxit. Idem pensionem auxit, quae Episcopo debebatur juxta decreta Julii II propter redditus bonorum Mensae, quos percipiebat Alma Domus.

Secunda Julii confirmavit Cardinalis Statuta [2] Sodalitii S. Mariae Lauretanae, quod fundatum fuerat An. 1499. hortatu Guilelmi Savelli Concionatoris Ordinis Min. Observantiae, qui Episcopus postea fuit Sagonensis: nuper vero huic Sodalitio adjuncta fuerat Societas S. Josepho dicata.

Joannes Andreas Constantinus Canonicus Recanatensis consentiente Episcopo Ecclesiam S. Angeli de Platea Societati praedictae donavit, in qua conventus suos agerent. Sodales itaque S. Mariae Lauretanae, et S. Josephi An. 1526. eam e fundamentis aedificandam curarunt [3].

Reformationem Monasterii S. Benedicti anno 1526. tentatam a Magistratibus urbis an omnino perfectam, quod utrum contigerit, nescimus, indicasse sufficiat.

CCXVI. Eodem anno 1526. mense Decembri Cardinalis de Cuppis a Titulo *S. Joannis ante Portam Latinam* ad Titulum *S. Appollinaris* transitum fecit. Qui dein Anno 1531. 22. Septemb. creatus fuit *Albanensis;* An. 1532. 16. Novemb. *Sabinensis*, An. 1535. 26. Febr. *Portuensis*, et An. 1537. 28. Novemb. *Ostiensis* Episcopus.

Ceterum ut hic loci omnes complectar honores ac munera Joanni Dominico Episcopo nostro tributos, praeter titulos, quos diximus, Cardi-

---

[1] Ser Joan. Franciscus Taranteltus in Protoc.

[2] Extat Codex in Archivo Ecclesiae Cathedralis.

[3] Ecclesia haec, quae antiquato vero titulo nunc *S. Annae* dicitur, dum haec scribimus, restaurata, atque magnificentius exornata fuit e piis benefactorum, Sodaliumque elargitionibus, sumptus quoque praebentibus Illmo. et Rmo. D. Petro de Comitibus Leopardiis nostrae Cathedralis Basilicae Decano, ejusdem Sodalitatis Primicerio, dictaeque Ecclesiae S. Angeli Beneficiario, ac Episcopo Acouensi, necnon Rmo. D. Thoma Anticio, qui privatam, quam deposita purpura curisque saeculi agere maluit, vitam pietatis et misericordiae operibus illustrare non desinit.

nales, ac praeter *Tranensem*, et *Recanatensem* atque *Maceratensem* Episcopatus, administrationi ejus commissae etiam fuerunt An. 1528. — Ecclesia *Adriensis*, pro qua annis 1541. 1544. 1546. per Vicarium multa edidit decreta synodalia — Item An. 1532. Ecclesiae *Montispilosi et Neritonensis* — An. 1535. 27. Julii Camerinensis, quam biennio post (1537. 5. Martii) reservato sibi regressu Bernardo Bonjoannio resignavit. Praeterea Orator missus est ad Carolum V cum in Italiam is venisset. Marchiam Anconitanam Legatus rexit ab Octobri Anni 1536. ad Aprilem usque An. 1538. Dein Tiburtinam civitatem gubernavit. Regni Franciae Protector extitit. Ecclesiae denique S. Joannis in Laterano Archipresbyter, quo nomine An. 1550. Portam Sanctam aperuit, et clausit.

Atque haec obiter. Ad institutum redeamus.

CCXVII. Anno 1527. 19. Sept. Collegium Altaristarum Ecclesiae S. Mariae Castrinovi summam quamdam collato aere confecit, e cujus redditibus distributiones quotidianae persolverentur. Huic instituto tam pio, quod olim coeptum diu intermissum fuerat, decessorum more Praepositus Ecclesiae 60. florenos annuos conferre promisit [1]. Res adeo feliciter et pacate peracta fuit, ut anno sequenti die 11. Maji Constitutiones edi potuerint, quas in Appendice edimus, quibus Altaristae illi diutissime usi sunt. Confirmarunt enim eas novo decreto die 23. Junii 1553. (Ser Leonardus Constantini). (Append. N. CXIX. et CXX).

Organum musicum An. 1528. in Ecclesia Cathedrali confectum est per Corradum de Colonia pretio 32. ducatorum (Ser Petr. Laurentii).

Mense Octobris ejusdem anni adfuit tandem Recanati Cardinalis Episcopus, qui, ut e codicibus Notariorum intelligimus, accuratissimo examini Ecclesiarum et Clericorum jura subjecit. Sed acta visitationis interciderunt.[2]

Anno 1531. 19. Septembris Historiam Ecclesiae Lauretanae a se conscriptam Hieronymus Angelita Reipublicae Recanatensis Scriba Clementi VII obtulit, ut e nota autographa auctoris didici, qua expensas itineris ea de causa Romam suscepti annotavit [3]. Typis deinde editus fuit

---

[1] E bastardello sive breviario protocollorum Ser Philipputii Fortunati Notarii Recanatensis f. 131.

[2] Equidem capite plexus fuerat hoc anno Sebastianus Amadei de Meocionibus qui turbarum auctor putabatur, caputque ad exemplum conspectui omnium expositum per menses aliquot fuit in fastigio turris, quae palatio imminet. Attamen discordiarum civilium necdum finis. Rapuerat An. 1529. mense Octobr. Angelinam Antonii Angeli Jontae locupletis viri filiam unicam, et Antonii Francisci Confalonerii sponsam Carolus Lunsrius; quam injuriam caeso Petro Antonio Caroli patre ultus est An. 1530. Hieronymus Confalonerius Antonii Francisci germanus. Pax inita inter discordes An. 1532. mense Octobri.

[3] In codice MS. apud R. D. Petrum Pintuccium.

iste liber, quin tamen indicaretur locus, aut annus, quo prodiit. Cum primus hic fuerit, qui res Lauretanas justo libello prosecutus est, ceterisque facem praetulerit, qui eamdem rem egerunt, rem non inutilem nos facturos existimavimus, si indicaremus bibliophilis atque historiarum curiosis, quo tempore conscriptum fuerit supradictum Angelitae opus.

Denuo Ecclesiam suam Recanatensem invisit Cardinalis de Cuppis An. 1532. mense Septembri, coactoque statim Presbyterorum cunctorum coetu ordinem praescripsit, quo divina in Ecclesia S. Mariae Castrinovi obeunda forent, ita ut Missae in ea ab aurora ad meridiem usque statis horis celebrarentur. Deinde Massam pro distributionibus quotidianis in Ecclesia S. Viti conflari jussit, modumque edocuit, quo id commode fieri oporteret. (Ser Petr. Paul. Laurentii).

Mense sequenti dum Maceratae ageret, Canonicum Ecclesiae nostrae Cathedralis creavit D. Joannem de Albona, eo pacto. ut bona ejus post obitum massae ipsius Capituli extincto Canonicatu uniri deberent augendis distributionibus (In Archiv. DD. Altaristarum).

Anno 1533. die 24. Junii vacationes a Chori muniis in Ecclesia Cathedrali primum esse coeperunt a Kal. Maji ad Kal. Sept., ita ut denis quibusque diebus quinque Altaristis abesse liceret. Ita decretum Capituli, cui scribendo adfuerunt Canonici decem, Altaristae tres. (Ser Petr. Paul. Laurentii in Protoc. hujus anni). Simile decretum condidit *Capitulum DD. Canonicorum et Altaristarum Episcopatus* die 27. Junii 1542. (Ser Renatus Constantini).

Anno 1533. 10. Julii probante Episcopo Sodalitium S. Mariae Mercatorum, quod certo loco antea non conveniebat, domum quamdam aedificavit in Quarterio S. Angeli campanili ornatam, ubi adunari possent Sodales, sacraque fieri. (Archiv. Fratern. Mercatorum).

Eodem anno Senatus noster potestate usus, quam sibi ob jus fortasse patronatus competere existimabat, in Monasterio S. Benedicti puellas decrevit non esse recipiendas, nisi in Capitulo Sanctimonialium a duabus tertiis Sororum partibus forent admissae, dotemque adferrent 100. florenorum. Visitari praeterea Monasterium prohibuit nisi a solo *Ministro Generali* Ordinis S. Francisci.

Anno 1535. die 29. Januarii Cardinalis noster Maceratensi Ecclesia servato sibi jure regressus cessit *Joanni Clerico Gallo* [1].

---

[1] Expungendus igitur est ex albo Antistitum Recanatensium *Joannes* ille *Clericus*, quem Ughellius An. 1555. renuntiatum fuisse Ecclesiae nostrae Praesidem asseruit. Etenim, ut recte monuit Lucentius, Maceratensi praefuit, non Recanatensi Ecclesiae. Extat apud nos exemplum conventionis a Joanne initae de Episcopatu

Introductae fuerunt die 26. Julii An. 1535. Sanctimoniales Ordinis S. Clarae in Monasterium S. Stephani pro ipsis aere publico exaedificatum comitantibus Sodalitiis, Clero, Civiumque turba maxima. His Senatus in sexennium annuos 12. florenos, et 6. salmas frumenti promisit.

CCXVIII. Anno 1536. ad finem vergente cum Cardinalis Marchiam Anconitanam Legatus gubernaret, fuit haec occasio ei Ecclesiam suam denuo invisendi.

Anno 1537. 24. Maji approbatae fuerunt leges, quas sibi constituerat Juventus Recanatensis, ut secundum eas viveret, eaque propter coierat in Sodalitium *S. Vito* devotum.

Anno 1539. 26. Septembris summo mane Paulus III P. M. Recanatum venit, mox Lauretanam Cellam invisit, eademque die in Urbem nostram reversus est.

Anno demum 1540. varia decreta facta sunt ad Capitulum Canonicorum, et Collegium Altaristarum recte constituenda. In primis cum deligendi Canonicos jus sive ex concessione Pontificum, sive vi consuetudinis auctoritatisve ad Cardinalem devenisset, rogandum eum fore enixissime censuerunt Canonici, ne alios quam dignos et benemeritos ad Canonicatus proveheret.

Dein placuit, Canonicos supernumerarios neque almutia uti debere, neque tantum recipere, dum officiis exequiisque interessent, quantum Canonicis dabatur *(in ceris et pecuniarum solutionibus)* [1], sed pares eos

---

Maceratensi cum Joanne Dominico Cardinali de Cuppis, e quo intelligitur, fuisse *Joannem* istum *Clericum* sive *le Clerc* oriundum e Dioecesi Macloviensi in Britannia minori, Thesaurarium Majorem Ecclesiae Redonensis, Archidiaconum Pagi Castelli in Ecclesia Trecorensi, Priorem de Basogiis et de Bedech Ordinis S. Augustini, et S. Angeli de Monterel Ord. S. Benedicti Macloviensis et Redonensis Dioecesium, Sacrae Rotae Romanae insuper Decanum clericali solum tonsura insignitum: concessisse cum Cardinali fructus Thesaurariae Redonensis etc. reservato tamen sibi regressu, officio Rotae, pensionibus, gratiis expectativis, et mandatis de providendo cum derogatione idiomatis et Concilii Lateranensis; Cardinalem vero de Cuppis dum conferri curavit Joanni Cathedram Maceratensem, reservasse sibi regressum, et collationem Beneficiorum.

Cum obiisset Clericus An. 1546. mense, si recte conjicio, Januario, recepit Cardinalis Ecclesiae Maceratensis administrationem.

[1] D. Joannes de Albona Canonicus An. 1540. distributiones inter Clericos, qui ad exequias suas ituri essent, hoc modo fieri voluit: Vicario Generali solvi bolonenos 8., Archidiacono et Archipresbytero singulis bolonenos 6., Canonicis et Cantori 4., aliis Presbyteris et Sacristae 2., singulisque Clericis, qui octo erant. 1., pro portando cadavere bolon. 24. Haec quamvis a proposito aliena adjunximus, quod disciplinam illius temporis illustrare credidimus. (E protocollo S. Antonii Ser Andreae) Intelligimus enim ex iis Canonicis persolvi consuevisse, ut ajunt, honorarium duplum ejus, quod solvebatur Altaristis.

fore ceteris Presbyteris et quoad vestitum, et quoad solutiones, donec intra numerum Capituli legitimum admitterentur [1].

Trigesima Maji confectus fuit liber novus distributionum [2]. Hunc Cardinalis probavit die 18. Augusti litteris ad Capitulum datis, in quibus « *habbiamo veduto*, inquit, *il libro vecchio* che ci avete mandato et il ca- « pitolo fatto da voi intorno alla distribuzione de denari di Venetia, li « quali sono stati giustamante distribuiti, et per questo imponemo perpetuo « silenzio a questa diferenza, et confermamo il capitolo fatto da voi [3].

Die 9. Augusti opposuit se Capitulum decretis quibusdam Senatus factis super pompis funeralibus, quippe quae credebat contraria esse immunitati Ecclesiasticae; deinde abolendas decrevit Supplicationes per Urbem novas, faciendas vero esse antiquas more prisco, ut per compita eadem, per quae olim, incederetur.

CCXIX. Eodem anno die 9. Maji *in Concilio Magnificorum Dominorum Priorum, Antianorum, et ducentorum Communis et Populi, ac Fraternitatum, imo totius Populi, praesente Locumtenente, Vicario Generali, et Canonicis Ecclesiae Cathedralis*, audita Missa de Spiritu Sancto solemni ritu decantata *in Cappella S. Mariae de Laureto in pariete S. Angeli in Platea* decrevit Senatus Populusque Recanatensis conflanda Hospitalia tria Urbis, quae fere deserta erant, in Hospitale unum, nimirum in illud, quod Sodalitium S. Luciae juxta Ecclesiam S. Viti olim construxerat, loco prae ceteris opportuniori situm, nuncupandumque esse *S. Mariae de Misericordia;* liberas deinceps fore a cura Hospitalis novi Fraternitates, modo sumptus conferrent, quos possent maximos pauperibus et aegrotis excipiendis. De cetero curam Hospitalis in se recepit ipse Senatus.

His constitutis in Ecclesia Cathedrali solemni supplicatione indicta itum est ad Hospitale S. Luciae — *anteambula cuncta Sacerdotum Majestate,*

---

[1] Anno 1540. 20. April. *in Capitulo Canonicorum*. Eadem die habitum fuit Capitulum aliud *Altaristarum*, idest Canonicorum et Praesbyterorum Ecclesiae S. Flaviani. Noverant enim utrique jura sua eo tempore; conveniebant, cum de muniis *in Ecclesia Cathedrali* obeundis agendum esset; *separatos* vero *conventus faciebant Canonici*, ubi negotia tractabant exclusive, ut ajunt, ad ipsos pertinentia. Quae si non ignorata fuissent a successoribus, expensarum maximarum ipsi, et Episcopi laborum et molestiarum ingens fecissent compendium.

[2] (Ser Antonius Ser Andreae) Redditus Altaristarum, e quibus distributiones tunc fiebant, deductis expensis erant 600. florenorum e pensionibus domorum, e fundis tum Recanatensibus, tum Lauretanis, deinde e pecuniis, quas deposuerant in montibus Anconae, Recanati, et Venetiarum. Colliguntur haec ex actis Capituli 30. Novemb. 1542. apud eumdem Notarium.

[3] Archiv. Ecclesiae Cathedralis.

multis civibus sequentibus, *atque utriusque sexus comite turba* — ibi Priores Sodalium S. Luciae Magistratibus hospitale suum, *factis in eo benedictionibus .... cum incensis, aromatibus*, *et aqua benedicta*, tradiderunt, pollicentes insuper se quotannis 25. florenos, 12. salmas grani, duo metra olei hospitali collaturos, ea tamen lege, ut libera et immunia essent reliqua Sodalitii bona, et Respublica in se susciperet solvenda ac adimplenda, quaecumque Nicolaus de Astis, aliique benefactores ob donatos Sodalitio fundos pro hospitali pauperibus solvi aut adimpleri jussissent.

Sodalitium, quod Mercatorum dicitur, domos suas omnes donavit eum hospitali, quod erat in declivitate montis Castrum novum versus. Fraternitas S. Jacobi obtulit domunculam, et hospitale extra Portam maris oppidi Lauretani. Fraternitates S. Antonii, et S. Mariae, illa florenos 6., haec salmas grani quatuor singulis annis per triennium conferre promiserunt [1].

Electi fuere statim cives duo in Praefectos Hospitalis; constituti Confessarius, et Magister domus, sive Prior. Sicque Nosocomii nostri insignis fundamenta jacta sunt, quamvis expectationi non responderit eventus, ut infra videbimus [2].

Anno 1542. mense Januario instituta fuit Recanati Oratio 40. dierum in Ecclesiis S. Flaviani, S. Mariae Castrinovi, et S. Viti, exhortante Concionatore quodam *Scapuccino*.

Eodem anno mense Decembri visitatae fuerunt Ecclesiae Civitatis nostrae vice Cardinalis Episcopi a Joanne Baptista de Sinibaldis Episcopo Auximano, cujus visitationis acta supersunt. Mox jubente Cardinali sublatus est abusus, qui irrepserat, distribuendi inter Beneficiarios pecunias testamentis legatas, ut ex earum fructibus anniversaria pro defunctis sacra celebrarentur. Periculum enim erat, ne dissipatis pecuniis pia Testatorum voluntas frustraretur, et animae defunctorum speratis carerent auxiliis.

Anno 1542. 27. Junii Missam Mortuorum, quae diebus Dominicis ab Altaristis Ecclesiae Cathedralis ex instituto Corradinae cantari solebat, cantandam esse decernitur die lunae .... *sine praejudicio alterius Missae, quae cantatur ordinariae in comuni pro mortuis, adeo quod duae cantentur Missae etc.*

Anno 1543. 10. Augusti Hortante Cardinali de Cuppis *pro honore Cathedralis* statuitur, canendam deinceps fore *diebus festivis Missam paratam.*

---

[1] Ex Annalibus. Pacta haec confirmata fuerunt a Paulo III P. M. decimo Kal. Septem. anno 1546.

[2] In actis enim Visitationis Anni 1542. Priorissa declaravit — bisogna andamo « mendicando tutte quelle chose de che havemo bisogno .... ad ussio ad ussio —

Anno 1543. *Sodalitas SS. Rosarii* instituitur.

Anno 1544. Decreto Senatus cautum fuit ne feminae, quae non essent Recanatensium civium filiae in Monasterio S. Stephani Sanctimonialium numero adscriberentur, quod nimirum *pro civibus* aere publico conditum fuisset Asceterium illud, non pro extrancis.

CCXX. Anno 1546. 27. Januarii Cardinalis de Cuppis Episcopatu Maceratensi decessit Philippo Ricabellae civi nostro, ac Praeposito S. Viti, reservato tamen sibi ad Cathedram, si quid sinistri accideret, regressu: paulo post, postquam Dioecesin visitari curasset per Ascanium Ferrarium Protonotarium Apostolicum, abdicavit se Recanatensis quoque Ecclesiae Praesulatu, cumque transferendum curavit in Paulum de Cuppis, salvo sibi ad eum regrediendi jure. [1]

Vicarii, qui pro Cardinali Joanne Dominico de Cuppis huic Ecclesiae praefuerunt, reperiuntur sequentes.

Anno 1520. D. Dominicus de Sebastolis Praepositus Recanatensis.

1521. D. Bernardinus de Piperno.

1522. D. Franciscus Baldi de Fantutiis Matelicas Canon. Recan. Vicar. in spiritualibus et temporalibus.

1525. D. Petrus Nanneus de Camplo —

1526-27. D. Franciscus Anselmi Vignatus Canonicus Recanatensis.

1528. D. Benedictus de Calcaneis Florentinus.

1528-29-30. D. Lucas Franc. de Julianis Archidiaconus Recanatensis.

1533-34-35. D. Joannes Christophorus Zampinus Jurisconsultus Recanatensis.

1535-40. D. Franciscus Massutius Decanus Recanatensis.

1542. D. Robertus Bonvicinus de Saxoferrato.

1543-1547. D. Franciscus Massutius Recanaten. Decanus, Decretorum Doctor, eoque mortuo

1547. D. Joannes Baptista Constantinus Canonicus Recanatensis.

Rediit ad gubernacula Ecclesiae nostrae Cardinalis de Cuppis Anno 1552. quippe nepoti superstes.

XXIV. PAULUS DE CUPPIS

CCXXI. Consentiente, ut diximus superius, Joanne Dominico Cardinali, translatus fuit die 24. Februarii 1548. a Cathedra Montis Pelusii ad Recanatensem *Paulus de Cuppis* Joannis Dominici, ut ex Annalium nostrorum libris colligimus, *Fratris filius*.

---

[1] An. 1551. Cardinalis *Tranensi* etiam Ecclesiae nuntium remisit.

Reservaverat tamen sibi Patruus cum regressu collationem Beneficiorum, et pensionem scutorum 800., quam Clemens VII ipsi ex redditibus Ecclesiae Lauretanae solvi jusserat, eoquod fundis Mensae Recanatensis Ecclesia illa perfrueretur, id est: reservaverat sibi redditus Ecclesiae Recanatensis omnes. Paulus vero facultatem sibi pactus erat recipiendi Canonicatum S. Joannis Lateranensis, ac retinendi Sacellaniam S. Silvestri de Lauro Firmanae Dioecesis, et pensionem scutorum 130. super mensa Montis Pilosi, aliamque scutorum 13. super Canonicatu Ecclesiae Maceratensis D. Nicolai Antonii Ferri. (Ex actis Consistorialibus, quorum exemplum extat in Archivo Ecclesiae Cathedralis Recanatensis).

Recanatum venit Paulus mense Aprili, statimque Ecclesiam ac Dioecesin visitavit, eaque gessit, propter quae maximopere apud Patruum commendatus fuit a Senatu Civitatis nostrae.

Sopivit enim dissidia inter Cives: composuit res Sodalitiorum: Hospitale S. Luciae, ut a Senatu constitutum fuerat, probavit, atque a Paulo III pacta eam ob rem inita confirmanda curavit.

Quae vectigalia a Clero de apotheeis nundinarum tempore Mercatoribus advenis locari solitis persolvenda essent, qua de re diuturna admodum lis extiterat, ipse bona et Cleri et Senatus venia constituit[1].

Nonnulla etiam decrevit ad Ecclesiam Cathedralem pertinentia: Organistam enim voluit Altaristarum numero accenseri, ac beneficio gaudere, et mercede etiam annua 10. florenorum a Capitulo solvenda, cui de pecunia sua florenos 6. adjecturum se pollicitus est. Vetuit praeterea, ne idem, qui Sacrista esset, Ceremoniarii officio perfungeretur. Minuta quidem haec; non tamen praetermittenda censui, ut origines et progressus ex iis perspiciantur disciplinae, quae apud nos obtinet, Ecclesiasticae.

Ut esset unde comparari possent, quae ad cultum divinum sunt necessaria. Paulus Episcopus a Canonicis An. 1552. postulavit, ut consentirent *fabricae* applicari medietatem reddituum unius anni cujusque Beneficii hac in Dioecesi per obitum vacaturi.

Denique Paulus Tridentinae Synodo, Lucentio teste, interfuit.

Plura parantem exequi ad Ecclesiae suae et Cleri decorem restituendum mors immatura praevenit die 9. Septembris An. 1552.[2]. Sexto post die Cardinalis Ostiensis Episcopatus nostri denuo possessionem adiit[3].

---

[1] Ser Renat. Constantini in Protoc. An. 1548. d. 20. Sept. (Append. N.° CXXVIII).
[2] E Schedula illius temporis apud D. Josephum Vincenzoni.
[3] In Actis Civilibus Cancellariae Episcopalis Recanatensis.

Vicarii Generales sub Paulo Episcopo fuerunt

Anno 1548-1550. D. Joannes Baptista Constantinus, Cononicus Recanatensis.

1551. D. Joannes Christophorus Zampinus I. U. D. Recanatensis.

D. Ascanius Prontus Recanatensis.

D. Hieronymus Petrochinus de Recanato Canonicus.

In Actis Senatus, quae ad rem Ecclesiasticam pertineant, haec tantum notavimus.

I. Anno 1548. 20. Julii probavit Articulos quosdam pro reformatione Monasterii Sancti Benedicti statutos a P. Fr. Bonaventura de Costacciaro Ministro Generali Ordinis Minorum Conventualium, ea tantum lege adjecta, ut Reipublicae nostrae salva maneret jurisdictio in istud Monasterium; etenim ex pactis An. 1529. mense Martio initis, quae scripserat Nicolaus Amicus Notarius, praeter Confessarii munus nil juris in Monasterio S. Benedicti Fratres Minores retinuerunt: reliqua jurisdictio ad Senatum transierat.

II. Senatus An. 1550. mense Decembri Cardinalem rogavit, ut mittendos huc curaret duos e Presbyteris Reformatis (Congregationis del Buon Gesù) idest *Jesuitas* habitaturos ad Ecclesiam S. Petri, quae est in regione S. Viti.

III. Legem tulit die 26. Martii 1551. . . . *extrahendum esse birretum, cum SS. Jesu nomen aut Virginis Mariae de Laureto pronuntiatur.*

XXV. JOANNES DOMINICUS DE CUPPIS

S. R. E. CARDINALIS EPISCOPUS OSTIENSIS, ECCLESIAE RECANATENSIS ADMINISTRATOR *ITERUM*

CCXXII. Sex mensibus post obitum Pauli nepotis Ecclesiae nostrae praefuit *Joannes Dominicus*, videlicet usque ad diem 6. Martii An. 1553., qua die Philippus Riccabella Episcopus Maceratensis ad hanc Ecclesiam transitum fecit.

Antequam vero Cardinalis Ecclesiae nostrae curam alteri traderet, res componere voluit Capituli. Edixit nimirum duodecim tantum esse debere Canonicos; supernumerarios posse munia Canonicorum omnia peragere, almutia se induere, locum in Choro tenere, neque tamen ad suffragium in Capitulo ferendum esse admittendos: Sigillum Capituli, Archivum, pecunias, custodienda esse in arca tribus clavibus clausa, quarum una penes Vicarium foret, altera penes Canonicos, penes primum sive seniorem ex Altaristis tertia. Neque ita multo post quam Sponsae suae Recanatensi ultimum vale dixisset, vivendi finem fecit Cardinalis. Obiit enim Romae 4.

id. Decemb. 1553., sepultusque fuit ad S. Augustini, ac translatus postmodum, ut creditur, Montem Falcum, conditusque in tumulo familiae suae.[1]

CCXXIII. Vir fuerat Joannes Dominicus, ut coaevi auctores testantur, eruditus admodum, sed juris praesertim peritissimus cum Civilis tum Pontificii, praeclarisque virtutibus illustris. Fidem faciunt tot officia, quae gessit, et tot honores, ad quos evectus fuit.[2] Absens equidem Ecclesias suas gubernavit, ita tamen ut quammaxime sollicitus esset, ut administrarentur recte. Ughellio teste Constitutiones Synodales per Vicarium edidit Adriae annis 1541. 1544. et 1546. Ornavit Neritonensem Cathedralem Ecclesiam, extruxitque magnifice Templum S. Onophrii in Janiculo. Ecclesiam vero Recanatensem vario pretiosoque pontificali indumento locupletasse, ornamentaque alia in eam contulisse auctor est idem Ughellius[3]: pauperibus utriusque Dioecesis liberalissime opem ferre solitum fuisse idem Ughellius testatur. S. Ignatii Loyolae uti ab initio adversarius, ita deinceps ad exitum usque vitae perpetuus amicus fuit atque fautor, singulisque hebdomadibus eleemosinam panis et vini Societati Jesu nascenti attribuit[4]. Ea demum fuit in Deum aliosque pietate, ea vitae integritate, ut optimum mortalium, ac Sacri Collegii speculum et decus coaevi nuncuparint[5].

Quamquam non dissimulaverim suis eum non caruisse naevis. Ingentis praecipue Beneficiorum, atque Ecclesiarum Episcopalium multitudinis, quarum redditus ipse possidebat, curam in alios translatam nemo est qui

---

[1] Vices Cardinalis, dum Ecclesiae nostrae iterum praesideret, gessit idem, qui Paulo ejus decessori vicariam operam navaverat, Joannes Cristophorus Zampinius.

[2] Refert Sfortia Pallavicinius in Hist. Concilii Tridentini, Paulum III cum diutius ac sperabatur Concilii convocationem protrahi cerneret, ipsummet constituisse eos, qui irrepserant in Ecclesiam, abusus tollere. Quare An. 1540. Cardinales duodecim designasse, quorum id munus foret. Reformationem Camerae Apostolicae, ac Tribunalium Urbis suscepit *Cuppius* noster cum Hieronymo Ghinuccio, et Paulo, ut puto, Parisio. Teste Sirleto reliquit MSS. monumenta litteraria plura de Ecclesiae Romanae juribus, quae apud diversos extabant. Ita Mandosius Centuria 6. 32.

[3] Supersunt schedae, e quibus discimus Cardinalem An. 1542. et 1544. pluviale, tunicellas, manipulos, stolas, pallium Ecclesiae Cathedrali Recanatensi donasse. Ceterum Recanatenses miro semper amore prosecutus est, ut vix alios ad gravissima quaeque negotia adhiberet. Anno 1542. ei familiariter inserviebant Philippus Riccabella, et Julius Constantinus a Secretis, et Hieronymus Cicchinus, ac Joannes Pictorti, quos et honoribus, quibus potuit, auxit, quorum primus Episcopatum, secundus Praeposituram, ceteri Canonicatum opera Cardinalis Cuppii consecuti sunt.

[4] Cum erigeretur An. 1552. Collegium Germanicum a Julio III collaturum se pollicitus est ad institutum illud Ecclesiae Catholicae insigniter proficuum annis singulis scuta centum, teste Julio Cordara in Hist. Collegii Germanici Hungarici.

[5] Cardella T. IV. 7. et Janus Vitalis in elogiis SS. Rom. Ecclesiae p. m. 14.

excusare possit. Consule de his disserentem Pompejum Compagnonium Episcopum Auximanum in Commentariis de rebus Ecclesiae suae Auximatis, quae et ipsa aliquandiu censum Joannis Dominici auxit [1].

XXVI. PHILIPPUS RICCABELLA

CCXXIV. Civis Recanatensis fuit *Philippus* antiquo genere ortus, Matthaei filius, Gasparis nepos *de Riccabellis*. Hujus tenuia admodum principia fuere; nam ab initio Notarium egit. Sed postquam militiae Ecclesiasticae nomen dedit, plurimis auctus Beneficiis primum Capituli nostri locum, scilicet Praeposituram S. Viti consecutus est. A Secretis fuit Joannis Dominici Cardinalis de Cuppis, atque inter familiares etiam Pauli III P. M. adnumeratus. Quibus cum industriam suam, fidem, ac virtutes probasset, factum est, ut in eum oculos conjicerent, cum onus Ecclesiae Maceratensis alterius humeris imponere vellet Cardinalis. Creatus est Philippus die 27. Januarii 1546. Episcopus Maceratensis; verum mortuo Paulo de Cuppis transeundum ei fuit ad Recanatensem Ecclesiam die 6. Martii An. 1553. ea lege, qua Maceratensi olim Ecclesiae praepositus fuerat, reservato nimirum Cardinali jure regressus, et collatione beneficiorum, fructibus etiam ac redditibus Mensae Recanatensis. Non liquet quid Philippo relictum fuerit unde viveret. Neque enim ei quidquam in actis consistorialibus reservatum fuisse legitur, nisi accessus ad Beneficium S. Joannis in Pertica in *certos eventus*, ac pensio 23. ducatorum super Canonicatu quodam Maceratensi. Quare postquam diu reluctatus fuisset, die demum 9. Augusti, ut duris hisce conditionibus subscriberet, animum induxit. Mortuo Cardinali de Cuppis pensionem scutorum 200. ei persolutam fuisse quotannis de fundis Mensae, qui olim Sacrae Aedi Lauretanae fuerant locati, docuerunt nos acta Senatus Recanatensis anni 1574. Dignus sane fuit Philippus, qui fortuna uteretur magis propitia. Etenim Patriae Ecclesiae ita praefuit, ut nulli pastoralis officii parti deesset. Ut primum Recanatum venit (mense Januario 1554.) visitavit Dioecesin suam ipsemet, iterumque absens per Camillum Condulmarium Vicarium Generalem An. 1563. Duas quoque celebravit Synodos, quarum acta desiderantur [2]; nihil enim Philippi habemus praeter epistolam, qua decreta Concilii Tridentini de Baptismi, et Matrimonii Sacramentis exponit.

Anno 1560. 30. Aprilis Philippus Episcopus Laureti in Altari magno, quod est ante Cappellam B. M. V. Joannem Bertrandum Tolosanum, Ti-

---

[1] Memorie della Chiesa di Osimo T. IV. p. 19. et seqq.

[2] Ex inventario scripturarum Anni 1574.

tuli S. Crysogoni Presb. Cardinalem *Senonensem* Episcopali charactere insignivit. (Ser Annibal Petrutii).

Ab Ecclesia sua numquam discessit, nisi ut Concilio Tridentino adesset: neque tamen diuturna ejus fuit absentia, paucorum nempe mensium anni 1563. [1]

CCXXV. Philippo Praesule Senatus Recanatensis accersere decrevit *Presbyteros reformatos*, qui dicebantur *del buon Gesù;* ac paulo post denuo actum fuit *de Societate Jesu* in Urbem nostram admittenda: qui tractatus, stimulos licet addente Hieronymo Lombardo sculptore insigni Patribus illis amicissimo, effectu tum quidem caruit. Haec gesta sunt Anno 1556. Anno proximo mense Junio rogati fuere PP. Capuccini, qui tunc generalem agebant conventum, ut ne diutius deesse Civitati nostrae paterentur Ordinis sui socios, qui exemplo nostris essent ad vitam sancte instituendam, et subsidio ad consequendam animi veram perpetuamque salutem. Mox annuerunt hisce precibus Capuccini missis e suorum numero aliquot Patribus. qui excepti fuerunt avidissime. Mense Novembri extra Portam Montis Morelli Cruce humi defixa a P. quodam Bonaventura istius Ordinis viro, fabricari Conventus coepit, deportatis illuc ruderibus Ecclesiae S. Maroti. Primum lapidem Philippus Episcopus in fundamento locavit. Contulere ad aedificationem aerarium Civitatis florenos 60., Societas S. Mariae Castrinovi florenos 50., ut ceteros taceam.

Anno 1565. Episcopus Ecclesiam S. Jacobi de Plancatello Sodalibus S. Joannis Baptistae, quorum Coetui a *Morte*, sive *Misericordia* cognomen est, concessit [2].

Anno 1568. die 15. Decembr. Clerus Recanatensis pactis initis cum Camera Apostolica a Spoliis quidem immunem esse deinceps fore impetravit. ita ut bona ipsius quaecumque ad haeredes libere transirent; Clerus vero annua scuta decem (undecim juliorum singula) festo die BB. Apostolorum Camerae pensitare teneretur. (Archiv. Capitul.)

Sed nulla re melius de Patria meritus fuit Philippus Episcopus, quam

---

[1] Michael Justiniani in indice Episcoporum, qui Concilio Tridentino interfuerunt. Pro expensis itineris a Paulo IV habuit scuta centum. (Ser Annibal Petrutii 1562. 28. Februarii).

Hoc anno Senatus circa funerum solemnia quaedam constituit die 19. Junii. I. ut vigiliae mortuorum in Ecclesiis, non in domibus defunctorum celebrentur. II. in muris ante Ecclesias. in catafectis ec. insignia ne depingerentur, nisi Doctorum, Equitum auratorum, aut Comitum. III. Mulieres funus non comitentur, dum ad sepulturam defertur.

[2] Hoc anno die 19. Octobris Pius IV P. M. Recanatensibus jurisdictionem omnem in castrum Laureti abstulit.

Hospitali ab eo restaurato, ac vix non fundato. Quamvis enim curam Hospitalis An. 1548. adsumpsisset Senatus, unitaque fuissent aliarum Sodalitatum hospitalia Nosocomio S. Luciae, nescio tamen quibus de causis factum est, ut nunquam in eo aegri excepti, aut male certe habiti fuerint.[1] Itaque hospitale denuo Societati S. Luciae traditum fuit An. 1568.[2], amotis inde puellis orphanis, quas 19. Novembr. 1566. in eo collocaverat Vincentius Porticus Provinciae Gubernator, iisque translatis in Hospitale Fraternitatis S. Mariae Castrinovi[3]. Sic annitente Philippo miseris aegris apertum rursus fuit asylum tamdiu clausum, atque ab eo tempore ad nostram usque aetatem apertum remansit.

Ad perennem Beneficii hujus memoriam insculpta fuit marmori, ac supra portam Nosocomii collocata inscriptio sequens:

BEATVS PATER NICOLAVS DE
HASTIS ME FECIT HOSPITALEM
QVO DEFVNCTO OB TEMPORVM
MVTATIONES XENODOCHIO
SVM. PRIVATA. SED GAVDEO
QVIA PHYLIPPVS RICCABELLA
HVIVS TEMPORIS . . . . ANTISTES
VT AD HOSPITALITATEM
RESTITVERER DILIGENTER
CVRAVIT
MDLXX

---

[1] Miseriae Hospitalis inde oriebantur, quod redditus aegrotis potissimum fovendis destinati expenderentur in dotes puellis dandas, in orphanas et projectitias alendas, in alios quoque usus minus honestos, ut in convivia etc. Multa absumebant salaria ministrorum. Cum Anno 1611. Sodalitas S. Jacobi praediorum suorum proventus alendis Virginibus Capuccinis dicasset, exolutaque adeo fuisset ab onere alendi partem projectitiorum factum est, ut vix non omnes alere debuerit Hospitale S. Luciae, maximo quidem eum incommodo. Quare necesse fuit, ut Sodalitas Mercatorum, ne miseri illi perirent, eleemosynis suis consuetis annuas salmas quatuor tritici adjiciendas decerneret.

[2] Die 22. Decembris, ut e Protocollo hujus anni Ser Annibal. Petrutii in Archivo publico.

[3] Pium istud Sodalitium puellis non domum tantum, sed et annuas salmas decem tritici ab Antonio Angelo Tuntae testamento legatas concessit. Hortator ad opus praeclarum fuit R. P. Cherubinus de Piscaria (Peschiera) Concionator Capuccinus. Idem Sadalitium totis 30. annis Sanctimonialibus S. Benedicti 4. frumenti salmas, sororibus vero ad S. Stephani ternas, utrisque vero pro indumentis 20. florenos quotannis elargiebatur. De quamplurimis aliis misericordiae operibus ab eo exerceri solitis videatur Joa. Paulus Rastellinius in volumine Camerini An. 1742. edito, cui titulum fecit — *Notizie della Ven. Compagnia di S. Maria di Castelnuovo.*—

CCXXVI. Ex hac mortali vita decessit Philippus Riccabellius die 1. Junii 1571.[1], cumque eo funeratam fuisse dicit Ughellus genuinam Riccabelliae gentis stirpem: Superfuerunt e sorore nepotes, qui gentilitium nomen assumsere, e quibus fuit Nicolaus Joannis Riccabellius Philippi Episcopi pronepos, qui An. 1615. PP. Capuccinis domum donavit sitam quo loco nunc Conventus ipsorum extat. Alius nepos Jo. Baptista Gasparis Riccabellius Rector anno 1554. fuit Ecclesiae S. Mariae Montis Morelli, dein Canonicus Maceratensis.

Vicarios Generales habuit Philippus

1553. D. Joannem Christophorum Zampinium J. U. D.

1554.
1563. } D. Camillum Condulmarium Archipresbyterum Recanatensem.

1563. ad 1571. 14. Maji D. Julium Constantinum Praepositum S. Viti.

1571. D. Franciscum Bramantem Praepositum Ecclesiae S. Mariae Castri novi, qui mortuo Episcopo Vicarius quoque Capitularis fuit, electus ab universo Recanatensi Clero. Hic enim id juris vigore decreti Sacri Concilii Tridentini secus ac par erat intellecti ad se pertinere arbitratus fuerat [2].

Philippo coaevus fuit Franciscus de Albericis Bartholomaei filius, qui ob singularem juris peritiam, et in rebus agendis dexteritatem Romae magno in pretio fuit, summosque honores adeptus est, ut ex epitaphio patet, quod ei in Ecclesia nostra Cathedrali positum est.

D. O. M.
REVERENDISSIMO DÑO FRANCISCO ALBERICO
J. V. CONSVLTISSIMO: QVI ET ABBREVIATORIS
DE MAJORI, ET REFERENDARII VTR.
SIGNATVRÆ, AC CORRECTORIÆ TITVLIS
DECORATVS ET CANCELLARIÆ APOSTOLICÆ
MIRIFICE REGENS. A PAVLO III. INTER
BONONIEN. ET FERRAR. DELEGATVS
QVIA EJVS INVICTA VIRTVS NONNISI
JVSTITIA SVPERARI POTVIT CAMERÆ
APOSTOLICÆ AVDITOR CREARI MERVIT
VIXIT ANN. LIII. MENS . . . . DIEB . . . . ALBERICVS
CVBICVL. APOST. F. ÆRE PROPRIO POSVT.

[1] Ut in actis civilibus Cancellariae Ecclesiasticae hujus anni. Testamentum ejus habetur in actis Grimaldi de Carbonibus.

[2] Franciscus noster Bramantes nuntius fuit S. Pii V ad Carolum IX Franciae Regem.

Obiit (teste Leonardo Constantinio Notario Recanatensi in Protocollo) die 19. Novemb. 1556. *cum ingenti dolore totiûs Populi Recanatensis ac damno maximo*, ac sepultus est in Cathedrali Ecclesia, ubi etiamnum effigies ejus aenea conspicitur. Hujus viri meminere Leander Alberti in Italia, et Joannes Ciampinus in Dissertatione Historica de Abbreviatoribus.

XXVII. HIERONYMUS MELCHIORIUS

CCXXVII. *Hieronymus Melchiorius* Thomae ex Antonia Alemannia filius, et ipse nobili apud Recanatenses stirpe prognatus[1], Secretarius primum fuit Apostolicus, teste Cajetano Marinio de Archiatris Pontificiis T. I. pag. 351., Sollicitator Literarum Apostolicarum, et miles S. Pauli, quae officia tum venalia erant. Clericus Camerae creatus est Anno 1551. Biennio post Ecclesiam Maceratensem, qua decesserat Philippus Riccabella, demandandam Hieronymo curavit Joannes Dominicus Cardinalis de Cuppis, reservato sibi regressu; Hieronymus vero retinebat officium Clericatus Camerae, aliaque, unde viveret, Beneficia possidebat, ut v. g. Prioratum Parochialis Ecclesiae S. Mariae Vallis Mergi.

Defuncto autem Philippo Riccabella, prout constitutum fuerat a Julio III, Hieronymus utrique Ecclesiae Recanatensi, et Maceratensi rursus conjunctis praefuit, confirmante hanc novam unionem S. Pio V idib. Octobr. 1571.

Melchiorius, dum Maceratensis esset Episcopus, Tridentino Concilio interfuit. Bononiam An. 1559. gubernavit, aliaque munera laudabiliter gessit, ita ut Civibus suis non modicam de se spem injecerit, atque expectationem; nullusque dubitarit, quin ex ipsius regimine insignis Patriae Ecclesiae tum gloria tum utilitas forent accessurae. Enimvero visitavit Ecclesiam bis, Ann. videlicet 1571. et 1573., quarum visitationum acta interierunt. Synodos coegit An. 1571. alteram, alteram 5. Septembris anni 1572.

Seminarium quoque duodecim puerorum constituit, quos solemniter ante Altare S. Flaviani An. 1571. Ecclesiae consecravit; opem ad id conficiendum a Sodalitiis obtinuerat. Sed cum tenues nimis essent eleemosynae sic collectae, instituebantur quidem Clericuli diligenter a Silvio Leali viro optimo, et postquam hic discessisset, a Dño Joa. Baptista Neapolitano Monacho Silvestrino, denique a Patribus Societatis Jesu, neque tamen unica in domo, uti oportebat ali atque educari potuere.

---

[1] *Melchior*, a quo familia nomen traxit, vivebat An. 1430. matrimonio junctus cum Diana Joannis Cisci Butoli de Carbonibus, fuitque *filius Joannis Dominici Massii D. Grimaldesci D. Marcovaldi*. Grimaldesci meminerunt chartae anni 1288.

Anno 1572. Recanatensis Ecclesiae onere se exsolvit Melchiorius, vitamque reliquam egit in Romana Curia ad annum usque 1583., quo anno fato functus est V. Kalend. Junii, cum esset Clericorum Apostolicae Camerae Decanus, Praefectus Signaturae Justitiae, utriusque autem Signaturae Referendarius. Epitaphium extat Romae ad S. Mariam supra Minervam insculptum parieti, cujus exemplum hoc est:

D O. M.
Hieronymo Melchiorio
Episcopo Maceratensi Cleric. Cam. Apost. Dec.
Concilii Tridentini uni ex Patribus
Signaturae Justitiae Praefecto
Bononiae Gubernatori
summa apud omnes ordines gratia
genere doctrina pietate illustri
Vix. an. LXIV. obiit V. Kal. Junii
MDLXXXIII.
Benedicto Hieronymi Fratri germano
J. U. C. forma doctrina virtute pari
Obiit IX. Kal. Septemb. Anno jub. MDLXXV.
aetatis suae LIII.
Marcellus Benedicti filius
Patruo et Parenti
P.

(Galletti Inscript. Picenae p. 51.)

Haereditatem scutorum amplius 75000. reliquit Marcello nepoti, cujus posteritas Romae diu floruit. Petrus frater stirpem in Patria propagavit, ad quam, nuper extincta Marcelli progenie, hereditas universa revertit.

Fuse de Hieronymo Melchiorio Didacus Calcagnius pag. 141. quem vide.

Vicariis Generalibus usus est:

Anno 1571. D. Francisco Bramantis Praeposito S. Mariae Castrinovi.
1572. D. Joanne Francisco de Antiquis Archidiacono.
1572. } D. Petro Hieronymo de Leopardis Praeposito S. Viti.
1573. }

Sede vacante Dioecesim nostram Pontificis Maximi jussu visitavit Salvator Pacinius Episcopus Clusinus, qui id muneris apud Maceratenses quoque, Camertes, Auximanos etc. obivit [1].

[1] Compagnoni Memorie della Chiesa Osimana T. IV. p. 68.

XXVIII. GALEATIUS MORONUS

CCXXVIII. Hieronymo Melchiorio suffecit Gregorius XIII *Galeatium* Antonii filium *Moronum* Mediolanensem Utriusque Signaturae Referendarium [1] die 19. Junii 1573. [2] Hic ubi primum Recanatum venit (quod contigit die 11. Octobris) Ecclesias omnes diligentissime visitavit, extantque adhuc visitationis acta, e quibus agnoscere licet, quantum Concilio Tridentino debeat, ut aliae omnes Orbis Christiani, sic nostra quoque Recanatensis Ecclesia. Etenim cum paucis ante annis dominata ubique fuisset ignorantia crassissima, Parochiis omnibus aut nemo, aut mercenarii praeessent, squalerent Templa, aliam prorsus speciem res nostrae induerant An. 1573. Rectorum tunc aberat nullus: instructa erant necessariis rebus Altaria, et Ecclesiae: exhibere debuerunt Parochi Visitatoribus *Doctrinam Christianam pro pueris, Catechismum Concilii Tridentini, Summam casuum sive Angelinam, sive Armillam, sive Silvestrinam, opera S. Antonini moralia, Manipulum Curatorum, Indicem librorum prohibitorum, Calendarium, Libros parochiales, Status animarum, baptizatorum etc. indiculos bonorum, ac supellectilis etc.*

Itaque jacta ante adventum deprehendit Galeatius Moronus ejusmodi fundamenta, quibus praeclaram inaedificare fabricam non ita difficile foret. Neque muneri suo is defuit; supersunt enim decreta non pauca, quibus pietatis opera a Fraternitatibus aliisque suscipienda, et multiplicanda curavit. Eas nimirum ad frequentandos conventus, expiandamque saepius conscientiam Anno 1573. hortatus est. Anno 1575. monuit, ut Romam anni jubilaei causa proficiscerentur, solemnes ibi pro consequenda indulgentia supplicationes acturae.

Cum iisdem Sodalitiis egit, ut Monasteriis S. Stephani, et S. Benedicti quae tunc inopia laborabant copiosas statasque annis singulis eleemosynas largirentur. His vero Monasteriis interdixit, ne inscio se ante constitutam dotem Sanctimonialibus quaepiam accenseretur.

---

[1] Nepos fuit Cardinalis Joannis Moroni, post cujus obitum commendam accepit Praeposturae SS. Petri et Pauli Montisforti Dioecesis Mediolanensis Ordinis Humiliatorum juxta Bullas Julii III. 1552. idib. Novembr., et Gregorii XIII. 4. Idus Junii 13. . . . .

[2] Cum Maceratenses omni ope contendissent, ut novus Episcopus *Maceratensis* primum, deinde Recanatensis in Bullis Pontificiis agnominaretur, restiterunt acriter nostri, ac Patriae praerogativam antiquam innixam Constitutionibus Innocentii VI et S. Pii V a probrosa novitate vindicarunt. (Annal. 1575).

CCXXIX. Denique Galeatio Praesule Collegium Recanati institutum fuit Presbyterorum Societatis Jesu, quae nuper a S. Ignatio Lojola condita tum vel maxime florebat, ac praedicationibus, scholis, catechismis, piis exercitiis fructus ubique terrarum edebat nunquam satis depraedicandos. Fundationem hanc ita contigisse accepimus — Actum fuerat saepius in Senatu Recanatensi inde ab anno 1556., quo erectum fuit Collegium Lauretanum, iterumque Anno 1563., ut Patres illi huc accerserentur, ne tantorum bonorum, quorum auctores habebantur, nos essemus expertes. Rem urgebat praeter alios Hieronymus Lombardus Sculptor celeberrimus, e cujus officina prodierunt statuae Prophetarum, quibus undique ornatur sacellum Lauretanum. Is et ob artis peritiam, et ob singularem inprimis pietatem morumque probitatem magna erat apud majores nostros auctoritate; cumque non cessaret laudibus extollere Jesuitarum vitam, doctrinam, labores, effecit, ut *Hector*, *Joannes*, et *Pernicolaus* Leopardii fratres ut nobilitate ac divitiis, sic pietate conspicui, animo conciperent propositum de Patria, fundato in ea Jesuitarum Collegio, benemerendi. Idque propositum, ut quamprimum in effectum deduceretur, fratres natu majores antequam e vita decederent contestati fuerunt fratres superstites *Horatium et Petrum Nicolaum* Sacerdotem insigni morum sanctitate praeditum, quam e disciplina et conversatione assidua cum S. Philippo Nerio hauserat. Petrus Nicolaus itaqua hortante inprimis S. Philippo, quem de pio proposito monuerat Raphael Riera Jesuita, circa annum 1574. cogitata exequi coepit. Die 3. Octobris Sodales S. Luciae annua scuta 40., S. Jacobi 15., S. Mariae Castrinovi scuta . . . promiserunt Collegio a Leopardiis instituendo; die vero 14. Octobr. Respublica Recanatensis collaturam se annua scuta centum pollicita est. Anno autem 1575. 1. Junii Jacobus Caroli de Castroficardo vir locuples Horatii Leopardii Socer *pro majori firmamento dictae fundationis* donavit eidem Collegio *duo petia terrae sita in territorio Castri Fidardi capacitatis 8. salmarum ; aliasque viginti salmas* Societati Jesu dono dedit *Philumena Jacobi supradicti soror.* Gregorius XIII P. M. An. 1577. Kal. Julii petente eodem D. Petro Nicolao Leopardio Ecclesiam S. Viti, domumque annexam a Praepositura Capituli Recanatensis separavit, titulumque in ea parochialem extinxit, transferens animarum curam, supellectilia sacra, beneficia, Sodalitates etc ad eas Ecclesias, quas designaturus esset Episcopus Recanatensis, consentientibus *Petro Hieronymo de Leopardiis Praeposito* [1], ceterisque Beneficiatis Ecclesiae S. Viti: Collegium-

---

[1] Vir fuit Hieronymus pietate doctrina, ac in rebus agendis dexteritate praestantissimus, qui et saepius ac diu Vicarii Generalis in Patria munus obivit, et postea Clemente VIII Rector Avenoniensis Comitatus constitutus fuit. Obiit anno 1608. mense Junio.

que Societatis Jesu in ea crevit, atque instituit. Ecclesiae possessionem Societatis nomine adiit Christophorus Rodriguez Collegii Lauretani Rector Anno 1577. die 19. Octobris. Postridie ejus diei Galeatius Moronus Episcopus Collegium Altaristarum, qui Templo S. Viti adscripti fuerant, eique inserviebant cum omnibus juribus, et beneficiis [1], uti et Societates S. Viti, et S. Sebastiani, ad Ecclesiam S. Mariae Montis Morelli; Praeposituram vero, atque Altare S. Stephani, cui Decanatus Capituli Canonicorum Recanatensium est annexus ad Altare majus Ecclesiae Cathedralis; Baptisterium denique, olea Sacra, et Societatem SS. Sacramenti ad Ecclesiam S. Michaelis in Ponticello transtulit, parochiali districtu Ecclesiae S. Viti ita diviso, ut qui parochiani ab Ecclesia S. Mariae Montis Morelli ad Ecclesiam usque Hospitalis, et ex parte adversa usque ad Synagogam Hebraeorum habitarent, subjecti ii essent Parocho Montis Morelli, ceteri subessent Rectori Ecclesiae S. Michaelis. Conditiones hasce probaverunt Sthephanus Bonamicius Ecclesiae Montis Morelli, et Joannes Baptista Massutius S. Michaelis in Ponticello Rectores.

Cum vero Ecclesia S. Michaelis nimis angusta esset pro parochianorum multitudine, et patroni etiam illius (familia nobilium de Bonjoannis) ampliationi districtus parochialis contradicerent, consenserunt An. 1584. 21. Junii Patres Augustiniani, ut Sacerdoti saeculari, quem Episcopus Parochum S. Viti constituturus esset, liceret in Ecclesia ipsorum in Altari *S. Mariae Succursus* parochialia munera peragere. Sed An. 1586. 14. Maji Franciscus Cantutius Episcopus Lauretanus effecit, ut Augustiniani ipsi onus Parochiae in se susciperent, per modum provisionis destinato eis salario annuo scutorum 70. solvendorum de fructibus Praepositurae. Rutilius deinde Benzonius Episcopus An. 1587. 3. Aprilis pacta illa non ad tempus, sed in perpetuum durare voluit. Quod decretum cum erectione Collegii Jesuitarum Apostolica auctoritate confirmavit Sixtus V An. 1587. 3. Kal. Octobris.

CCXXX. Omnibus provisis et paratis, R. D. Petrus Nicolaus Leopardus Presbyter Recanatensis, qui *cum diu perpendisset uberes fructus, quos in Ecclesia Dei Societas Jesu proferebat assiduis praedicationibus, sacris lectionibus, audiendis confessionibus, ac rudium in doctrina christiana instructionibus, aliisque spiritualibus ministeriis, et a multis jam annis*

---

[1] Beneficia haec fuere:
S. Antonii — S. Blasii — S. Catharinae — S. Hieronymi — S. Jacobi — S. Joannis — S. Laurentii — S. Margaritae — S. Mariae Ciccarellae — S. Martini — S. Matthaei — S. Nicolai — SS. Philippi et Christophori — S. Salvatoris, et S. Martini — S. Sebastiani — S. Severini.

Patriam suam civitatem Recanatensem similibus auxiliis juvare desiderasset, decreverat ad gloriam Dei, animarum salutem, Patriaeque utilitatem de bonis patrimonialibus sibi a Deo collatis *fundare et dotare Collegium, in quo dictae Societatis Religiosi pia illius ministeria exercere valeant*, jam tandem sublatis omnibus impedimentis An. 1578. die 11. Aprilis Societati Jesu pro Collegii dote donavit scuta 9100.[1] perpetuis futuris temporibus reinvestienda in censibus, seu stabilibus bonis *ea conditione, ut si Collegium in futurum dissolveretur*, *ipse D. Petrus Nicolaus haberet facultatem de dictis bonis ad libitum disponendi.*

Hanc donationem P. Everardus Mercurianus Societatis Jesu tunc temporis Generalis Praepositus cum omnibus et singulis in ea contentis admisit, Collegiumque crexit, in quo duae saltem haberentur Scholae, Grammaticae nimirum, et Litterarum Humaniorum. Ceterum praecepit, ut Jesuitae Collegii incolae tam ipsum D. Petrum Nicolaum fundatorem, quam ejus in fundatione successores omni spiritualis officii, et gratitudinis genere semper prosequerentur[2].

Expendit itaque domus Leopardia pro fundatione Collegii, si donationes Jacobi, et Philomenae Caroli, quorum haeres fuit Horatius Leopardius una computes, Scuta 13023. sed in fabricam aedium ac Templi elargita est scuta alia circiter 800.; donavit insuper calices 4., Planetas 19. etc.; Horatius praeterea Altare majus e gypso inaurato pecunia sua faciundum curavit, uti et iconem Crucifixi[3].

Neque his limitibus se continuit Leopardia pietas et munificentia; sed Ecclesiam S. Mariae Montis Morelli, quam ex decreto Episcopi restaurare debuissent, vix non e fundamentis extruxerunt Petrus Nicolaus[4], atque Horatius.

---

[1] Scuta ex his mille donavit Fiordalisa Petri Nicolai amita.

[2] Patres Collegii singulis annis in festo S. Lucae, in cujus vigilia possessionem Collegii adierant Jesuitae, majori natu gentis Leopardiae cereum offerebant in quo depicta erant insignia familiae. Convivio etiam excipiebantur quotquot vivebant mares praedictae Stirpis.

[3] Aliae quoque familiae Recanatenses liberalitatem suam et munificentiam erga Templum Collegii desiderari nequaquam passae fuerunt. *Massutii* pulpitum, et Confessionaria duo conficienda curarunt, donaruntque Planetas octo, velamina Altarium 12., candelabra aurichalcea majora 6. *Venerii* Scuta 530. dono dedere; *Matthaeus Zampinius* Scuta 500; et Biblia Regia Antuerpiensia, ut de aliis taceam.

[4] Obiit vir piissimus, qui unus fuerat e primis S. Philippi Nerii sociis, Romae Anno 1591. 24. Aprilis, sepultusque est in Ecclesia S. Hieronymi de Charitate. De eo plura Caleagnius p. 175.

Nepotem Petrus Nicolaus habuit Paulum nomine, Horatii filium, qui undeviginti annos natus angelica vita peracta in Seminario Romano die 20. Aprilis

CCXXXI. Coeperunt mox Jesuitae specimina edere, e quibus vanam non fuisse compertum est spem, atque expectationem communem. Praeter scholas enim maximo cum applausu apertas, Sodalitia pia, quibus homines ad virtutem informabantur, in aedibus S. Viti instituere; quorum numerus paulatim increvit, omneque fere hominum genus complectebatur. Nata sunt enim ibi Sodalitia *Nobilium*, *Artificum*, *Agricolarum*, *et Juventutis Scholasticae*, quorum singulis suae leges, sui praefecti, et peculiaria pietatis exercitia fuere. Societas alia his accessit honorandis octo Martyribus Privato, Donato, Primo, Quisquentio, Sabinae, Eulaliae, duobusque aliis anonymis, quorum corpora huc delata fuerant An. 1645. Mirum quantam Reliquiarum Sacrarum copiam congesserint Patres, inter quas os costae S. Viti Martyris Patroni Civitatis nostrae, donatum An. 1588. a Lucretia Caracciola Matrona Neapolitana nobilissima [1]. Longior sim si missiones re-

---

An. 1586. ad superos transiit: cujus acerbi casus nuntium quum Lydiae matri afferret Collegii Recanatensis Rector, praesaga illa, antequam is fari incoepisset, ad pedes Crucifixi in genua provoluta; Age, inquit, Reverende Pater, deprome nuntium, quo acerbior accidere mihi nullus posset. Recepit Deus filium, quem mihi commodaverat. Sit benedicta in aeternum Sanctissima ejus voluntas. Die postera ad Templum S. Viti adiit cum universa familia Matrona haec fortissima solemnes D. O. M. gratias actura. (E litteris annuis Societatis Jesu An. 1586. et 1587.) Vitam Pauli descripsere Didacus Calcagnius in Historia Recanatensi, et Joseph Antonius Patrignanius in opusculo, cui titulus: *Vite di alcuni Nobili Convittori stati e morti nel Seminario Romano*. Napuli 1720. 12. T. I. p. 125. et seqq.)

[1] Reliquias quasdam S. Viti, sed testimonialibus de authenticitate literis carentes, possidebat Capitulum Ecclesiae Montis Morelli asportatas a Praesbyteris Altaristis, cum ab Ecclesia S. Viti discesserunt. Quas vero Episcopi nostri, uti et reliquias a Lucretia Caracciola donatas, quod nempe genuinas esse non constaret, publice coli noluerunt. Nihil non egit Senatus Recanatensis, ut ne praesidio hoc destituta esset Civitas Patroni sui. Itaque An. 1609. particulas complures obtinuit Capitum SS. MM. Viti, Modesti, et Crescentiae, dono acceptas a Carmelita quodam Priore Ecclesiae S. Viti prope Veronam. Sed hae paulo post restituendae fuerunt, repetente eas Clero Ecclesiae illius et populo, quamvis Pontifex literis donationem probasset, et pro Recanatensibus intercederent Dux Venetorum, et Cardinalis Pinellius. Tandem voti compotes facti sunt An. 1654. donati Reliquiis S. Viti extractis olim a Card. Martio Ginetto e Callisti coemeterio, quas Bonaventura Massarius Concionator Capuccinus a Maria Gonzaga Mantuae Ducissa acceperat. Thesaurum hunc apud Jesuitas sub gemina clave custodiri jussit Senatus, et quotannis in festo S. Viti more prisco honorari. Sed cum de harum quoque authenticitate dubium ortum fuisset, consultus Chiapponius ceremoniarum pontificiarum Magister respondit, quin coli possint publice, dubitari neutiquam posse, siquidem certum sit, hunc eis honorem a quinquaginta et amplius annis exhibitum fuisse. Jesuitis itaque An. 1721. restitutae fuerunt post acerbam satis de iis concertationem, cui itaque locus non fuisset datus, si in Ecclesia nostra Reliquiis S. Viti, quae ante Jesuitarum adventum honorabantur, suus et multo quidem antiquior servatus fuisset cultus.

conseam, aliaque innumera pietatis opera, quorum auctores fuerunt Jesuitae ad annum usque 1773., quo Societas eorum finem accepit.

CCXXXII. Anno 1576. Kal. Junii Gregorius XIII P. M. misertus Ecclesiae Recanatensis, cujus redditus adeo tenues erant, ut ex iis Episcopus sustentari non valeret, extincta Congregatione Monachorum Avellanensium, defunctoque Francisco Bramanti, cui Praepositura S. Mariae Castri Novi Congregationi praedictae olim subjecta commendata fuerat, *Praeposituram illam ejusque et Ecclesiae S. Baldi bona Mensae Episcopali annexuit et univit ea lege, ut dicta Praepositura debitis non fraudetur obsequiis, et animarum cura in ea nullatenus negligatur, sed ejus congrue supportentur onera consueta.* (In Cancellaria Episcopali) Itaque Praepositurae bonorum possessionem adiit Episcopus die 30. Martii Anni 1577. simulque ut curae animarum consuleret, quae Praepositis adhuc incubuerat, Parochum instituit, assignatis illi pro alimentis Cappella, sive Beneficiis Praepositurae unitis, et praediis quibusdam, ac primo inter Altaristas loco [1]. Altaristarum vero Capitulo, cui 60. florenos Praepositi quotannis solvere soliti erant. convertendos in distributiones, quo magis augeretur in ista Ecclesia cultus divinus, fundos nonnullos fruendos concessit quoad ipse vixisset [2]; quam concessionem Rutilius quoque Benzonius probavit die 30. Octobris 1589.

Anno 1579. 22. Martii decretum prodiit a Rmo Episcopo, quod vigilantiam ejus ac zelum honoris divini abunde testatur « *per riparare a* « *scandali, bestemmie, ed altri inconvenienti si proibisce, che niuna* « *persona ardisca di giocare al gioco da carrotola, di bocce, o altra* « *sorte di giochi simili per la via della SS. Madonna di Loreto comin-* « *ciando dalla porta da mare; nemmeno dalla porta di S. Francesco fino* « *alla Chiesa del SSmo Crocefisso, ne dalla porta del Vescovato fino a* « *S. M. delle Grazie, nemmeno dalla porta Cannella di Castelnuovo fino* « *alla detta Chiesa di S. Maria delle Grazie, nemmeno per il fosso, e* « *terra intorno alla Chiesa di S. Maria di Castelnuovo, per non im-* « *pedire li Divini Uffizj, nè la divozione de' Fedeli sotto pena di dieci* « *scudi di oro da applicarsi alli luochi pii* ».

Eodem anno et mense nata est lis inter Lauretani Templi Ministros, et Episcopum Recanatensem, cui Magistratus nostri omni ope adstiterunt (ut in Annal. 1580). Nolebant illi Episcopum, quando *processionaliter cum toto Clero et Populo Recanatensi in die festo Annuntiationis ad ca-*

---

[1] Ex actis Gasparis Ser Bernardini.

[2] Ex actis Collegii Altaristarum Ecclesiae S. Mariae Castrinovi.

strum et Ecclesiam S. M. de Laureto procedebat, introire Castrum, Ecclesiam, et Almam Domum cum indumentis Episcopalibus Rocchetti, Mozzettae, et Mantelletti. Adhuc supersunt acta, quibus per testes longe plurimos fides facta est a tempore immemoriali eum fuisse morem, ut *Gubernatores et Clerici Castri Lauretani processionaliter ad portam usque Castri Episcopo et Populo Recanatensi obviam venirent, honorabiliter eos exciperent, eosque in Cappellam deducerent;* Episcopos incessisse indutos, ut supra dictum est, neque unquam de ea re litem fuisse motam. Nihilominus urgente Joanne Morono Episcopo Ostiensi Almae Domus tunc Protectore, et neutiquam aut remissius reluctante Galeatio Episcopo Protectoris nepote, Bulla prodiit Anno 1580. die 16. Julii, qua Gregorius XIII controversiae finem imposuit, dum Oppidum Lauretanum a Dioecesi Recanatensi, cui hactenus subjectum erat, omnino separavit, ita ut *Episcopi Recanatenses nullum jus Episcopale, nullamque jurisdictionem exercere, neque in eo mocettam Episcopalem deferre, nec benedictionem super populo impendere deinceps possent.* [1] Divulsa igitur tum fuit ab Ecclesia Recanatensi potestas omnis spiritualis in Lauretanos, neque postea unquam ad eos rediit.

Anno 1582. die 26. Martii Senatus decrevit pulsatione Campanae majoris excitandum esse populum hora prima noctis, ut pro Defunctis Deum deprecetur.

Anno 1583. mense Junio Synodum Galeatius celebravit. Pauca admodum decreta, quae in ea condidit, pertinebant pleraque ad vitam et mores Clericorum, qui jussi sunt habitum Ecclesiasticum deferre, ac tonsuram: Sacerdotes vero labia gerere detecta, abrasis pilis labii superioris, indicta non obtemperantibus poena, ut carceri per mensem includerentur. Ceteris decretis modus praescribebatur horas Canonicas in Choro dicendi [2].

---

[1] Protestatus est quidem contra Hanc Bullam Procurator fiscalis Episcopatus Recanatensis Horatius Mazzolus, eamque ob falsa quamplurima in ea exposita, et vera relicta subreptitiam et obreptitiam esse demonstrare conatus est: sed protestatio intra Cancellos Curiae permansit. Notatu dignus est Articulus duodecimus, quo protestatur Mazzolus . . . . praejudicium non inferri Episcopis, et Ecclesiae Recanatensi, *Casu quo Rmus. D. Galeatius ob reverentiam erga Cardinalem Maranum, de cujus est familia, nollet causam prosequi, prout usque nunc ob multam reverentiam erga illum informando S. D. N. non adhibuit debitam diligentiam*, exterritus nimirum minis patrui, qui nepotem Episcopum, si pontificalibus ornamentis indutus Lauretum, quod a Recanatensis Ecclesiae jurisdictione exemptum esse falso dictitabat, ingredi moliretur, a satellitibus Oppidi custodibus ornamentis illis exuendum fore denuntiaverat.

[2] Archiv. Ecclesiae Cathedralis. De querelis contra Episcopum datis vide Annal. 1583. p. 23. 28.

Die 17. Maji 1584. Clerus universus quoad solutionem gabellarum arbitrio se staturum promisit ultro Senatus Recanatensis. Itaque 26. Januarii Anno 1585. inita est concordia sub certis conditionibus Canonicos inter et Senatum [1].

CCXXXIII. Inter haec Cathedram S. Petri conscendit Sixtus V Picenus. Is pro maximo, quo Deiparam Lauretanam prosequebatur, amore, Templum ejus, et Urbem praerogativis ornare apud se constituerat insignioribus ac a quopiam ante Pontifice factum esset. Itaque mox primo sui Pontificatus anno, die 5. Martii 1586., Civitatem Recanatensem Cathedra Episcopali privavit, eamque Ecclesiae Lauretanae, quam paucis post diebus (decima sexta ejusdem mensis) in Cathedralem erexit, subesse voluit [2].

Abeundum ergo fuit Galeatio Episcopo Maceratam, quae sola sub ejus potestate remanserat. Erexit deinde Sixtus V, 4. Idus Decembris anni ejusdem 1586., aut verius restituit Episcopatum Tolentinatem, eumque Maceratensi conjunxit. Quibus Ecclesiis postquam diu admodum praefuisset Moronus, e vita excessit Maceratae die 1. Septembris An. 1613. annos

---

[1] Aunal. 1585. 26. Januar.

[2] Prncellam hauc ut sibi imminere senserunt Rceauatenses nibil nnn egerunt, ne Catbedrae honnre spoliarentur. Supplices petiere per Legatos (Annal. 1586. 13. Januarii) *che facendosi l' nnione di Loreta e di Recanati, il Vescoro dell'una et l'altra città si chiami Vescora di Loreta e di Recanati, dando la prima nominazione a quella S. Casa, risicda nell'nna et l' altra città, siano nnite ambedue anche nel governo temporale etc.* Alios Legatns miserunt die 4. Aprilis ternns; die vern 10. Maji viginti et quinque e nobilinribus et praestantinribus, pnstulaturns: (Annal. 1586. 17. April.) *Che se S. Santità vuole, che questa Città perda l'antico nome di Recanati, e si chiami Loreto, si accetti questa nuova nominazianc, e si supplichi S. S. di ordinarc, che almeno questa Città resti cai medesimi privilegj ed anzianità: che facci con Loreta nn corpa salo etc.* Indietae fuerunt etiam supplicatinnes snlemnes in Ecclesiis urbis ad Aedem Lanrctanam viris Religinsis, ae Sndalitatibus: ennstitutae egenis eleemnsynae uberrimae prn averrnncanda calsmitate, et placanda Numinis ira: verum frustra fuerunt nmnia. Qnatunr, qni soli admissi fuerunt e vicenis quinis Legatis, genibus Sixti prnvnluti multis cum lacrimis cnnquesti sunt de jaetura, qnam faciebat Patria S. Rnmanae Sedi semper fidelissima ob amissionem Cathedrae, dnminii, territorii, ac de contumeliis, quibus in dies a plebe Lauretana afficiebatnr nnmen Recanatense; dejecta nimirum ab insaniente multitudiue insignia passim appensa, prnbibitam sibi in agris prnpriis venatinnem, millenaque alia. Flagitabant restitui sibi honnrem Cathedrae, uniri Ecclesias earumque jura, et bona, neque se repugnare ajebant, si praecipuus tribueretur hnnos Ecclesiae Lauretanae. Dnluit Recanatensium vices Sixtns, prntestatus se hnnnri et juribus ipsnrum nentiquam detrahere vnluisse; salva ipsis fore vectigalia et prnprietates, agrum vero Lauretanis se attributurum dicis causa ad hnnorem Lnci Sancti: cnnsulturum se honori ac rebus ipsorum — *Rimediaremo all' onare, e alla rabba* — Ceterum ex bis, quae decreverat, nil mutavit.

natus 78., cum esset Episcoporum Decanus, ut ex epitaphio colligitur, quod Ughellius adfert in Episcopis Maceratensibus.

Recanatensis vero Civitas per quinquennium fere proprio caruit Pastore, donec lugentis Ecclesiae miserti Innocentius IX, ac paulo post Clemens VIII pristinam ei dignitatem restituerunt, eamque Lauretanae Ecclesiae junxerunt, ut dicitur, *aeque principaliter;* in quo foedere ad hanc usque aetatem feliciter perseverat, sororem nacta, quam diu ut filiam aluerat.

CCXXXIV. Vicarii Generales sub Galeatio Morono fuerunt infrascripti.

Anno 1574.-1579. Petrus Hieronymus Leopardius Praepositus Canonicorum Recanat.
1575. Camillus Condulmarius.
1579. Stephanus Bonamicius, et Hieronymus Moronus.
1580.-1583. Gaspar Galeottus de Amandula.
1584. Hieronymus Moronus — D. Joannes Baptista de Sanctis.
1585. Thomas Percivallius Archipresbyter Recanatensis.

Obierunt hoc Praesule viri insignes e Recanatensi Civitate orti. Anno 1580. Aesii *P. Philippus.* Capuccinus homo apostolicus, vitaeque spectatissimae, qui a Superioribus Parisios destinatus fuerat Conventum et Provinciam Ordinis ibi fundaturus, ut narrat Zacharias Boverius in Annal. p. 435. N. 94.

Obediens Angelita Apostolinus Theologiae Magister. Primam tonsuram accepit, Cleroque adscriptus est Anno 1542. a Joanne Baptista Sinibaldio Episcopo Auximano. Conventui Ordinis sui Patrio praefuit anno 1571.; Ordini universo anno 1575. Ingenii vero sui ac doctrinae monimenta reliquit, Commentarium, cui titulus: *Espositione del Cantico di Maria Vergene per el R. P. Fr. Obediente Angelita Recanatese della Cangreg. delli Apostoli Lettore nel Convento di S. Rocco in Genova. Genova* 1553. 8. Januae quoque editus fuit ejusdem auctoris: *Liber conclusionum Dei, Patriarcharum, Prophetarum, Sibyllarum de jam advenisse Messiam, contra Judaeos.*

Anno 1587. 4. idus Martii Romae defunctus est *Michael Lauretanus* Societatis Jesu Illyricus natione, sed ortu Recanatensis. Hic postquam humaniores literas Patavii, Forolivii, et Romae, ac Theologiam Moralem Bononiae docuisset, primus Collegii Germanici nuper a Gregorio XIII fundati Rector fuit, idque rexit annis 15., vir piissimus, magnaeque existimationis cum apud Romanos Pontifices Gregorium et Sixtum, tum apud Principes exteros. (V. Julii Cordarae Soc. Jes. Hist. Collegii Hung.) Non possum quin

hic loci carmen referam non tam elegans, quam pietatis sensibus plenissimum, quod B. Mariae Virginis Aedi suburbanae, quae *Gratiarum* dicitur, tabulae instar votivae appendendum misit, quo et vitae suae fata expressit, et gratum ob beneficia animum contestatus est.

Carminis exemplum hoc est:

Virgo, Recineti bivia quae valle quiescis,
Gratia cui merito nomina tanta tulit:
Huc mea me Genitrix primis tibi duxit ab annis;
Parvulus hic didici prima elementa puer.
Dein *Lauretani colui miracula Templi,*
Et cecini laudes, inclita Virgo, tuas.
Hinc ad Romani processi Tiberis arcem,
Et Vaticanae limina sacra Domus.
Hic me terrenae meditantem gaudia vitae
Ad bona tu, Virgo, non peritura vocas.
Errantemque animum radiis coelestibus imples,
Et sacrum Nati me facis esse tui.
Post ego quas terras duce te, quaeque aequora vidi?
Quas rerum sensi, te comitante, vices?
O quoties veluti mediis in fluctibus astrum
Fulsisti tetro lucida stella mari?
Ergo quid Nato, Tibi quid, pia Virgo, rependam,
Quod fueris vitae vita jubarque meae?
Haec tibi Romana transmitto carmina ab urbe,
Et veneror Templi limina parva tui:
Limina parva quidem, rutilis sed digna pyropis,
Quaeque tegat rubri gemma superba maris.
Nunc quia labantem cerno impendere senectam,
Et properare aevi stamina pulla mei,
Hanc supplex animam, et supremi funeris horam
Commendo manibus, Virgo Beata, tuis.
Tu mihi principium, Tu finis esto salutis;
Tu languente anima, Tuque migrante veni.

Hactenus Recanatensium Episcoporum, qui vel soli Recanatensi Civitati, vel huic simul et Maceratensi praefuerunt, gesta enarravimus. Pertinent haec ad vetustiorem Ecclesiae nostrae aetatem. Recentiori aetati

initium factum est per Sixtum V, immortalis nominis Pontificem, qui Cathedram Laureti constituit, ita ut de cetero Antistitum nobis acta recensenda sint, qui cum Lauretana Dioecesi nostram moderati sunt. De Laureto equidem satis multa in decursu operis pro re nata disputavimus. Nihilominus non abs re fore existimamus, si Lauretanis Episcopis, Ferdinandi Ughellii exemplo, praefationem de Laureti origine et fatis, deque Episcopatus exordiis, atque amplitudine praemittamus.

PARS TERTIA

PARS TERTIA

DE ECCLESIA, CIVITATE, ET EPISCOPIS LAURETANIS.

PRAEFATIO

CCXXXV. LAURETUM, ut Ughellii verbis utar, *Italiae decus, orbis miraculum, asylum peccatorum, peregrinantium requies et meta, piorumque desiderium et amor* celebritatem sive originem debet venerationi, qua Christianae Religionis cultores prosecuti sunt *Domum* illam *Nazarethanam*, in qua Beatissima Virgo Maria Dei Mater nata esse atque educata, et in qua Jesus Christus Aeterni Patris Filius humanam carnem assumpsisse creditur. Haec enim Domus, ut vetus et constans fert opinio quamplurimis suffulta Pontificum Romanorum testimoniis e Nazarethi in Palestina solo evulsa ad Illyricos primum fines, Oppidumque Tersactum ab Angelis delata fuit anno 1291. die 9. Maji, cum Mahummedani Palaestinam omnem suae subjecissent tyrannidi: divino deinde consilio decima die Decembris anno 1294. translata est in Italiae Provinciam Picenam, agrumque Recanatensem, nunc Lauretanum.

Collocata fuisse fertur haud procul ab ora maris Adriatici eo in loco, cui nunc *Bandirolae* nomen est. Ubi, cum ejus miraculi fama longe lateque percrebuisset, hominumque ingens undique confluerет multitudo, latrones, locum nacti insidiis aptissimum, caedibus ac depraedationibus fidelium pietatem funestarunt.

Deiparae igitur Virginis Domus post octo mensium commorationem Angelorum ministerio hinc dimota ad collem passibus mille distantem commigravit. Quatuor vero elapsis mensibus ob avaritiam fratrum loci dominorum de

muneribus Mariae oblatis digladiantium derelicto colle haud procul inde ad viam publicam constitit eo ipso in loco ubi adhucdum consistit.

CCXXXVI. Pontifices Romani, qui privilegiis atque indulgentiarum concessionibus Ecclesiam Lauretanam condecorarunt Urbanus VI, Bonifacius IX, Eugenius IV, Paulus II, et Sixtus IV, de miraculis dumtaxat, ac populorum ad eamdem confluxu verba faciunt; Julius vero II, Paulus III ceterique, qui prodigiosi adventus meminerunt *famam piamque opinionem* secutos se profitentur.

Historiam miri adventus Domunculae Nazarethanae e traditione, ut videtur, haustam *primus* quod sciam [1] conscripsit *Petrus Georgii de Tolomeis* Praepositus Ecclesiae S. Emidii in Civitate Aprutina sive *Interamnia, Teramanus* vulgo dictus, qui triginta pene annis Templi Lauretani curam gessit, obiitque anno 1473. mense Junio [2]. Conscripserat narrationem suam mense Majo anno 1472., ut annotatur in fine ejusdem in vulgarem sermonem versae, typisque expressae saeculo exeunte quintodecimo, cujus exemplum possidet Illmus et Rmus Episcopus noster Stephanus Bellinius. Eo tempore conscriptam fuisse indicat ipse Teramanus; quippe qui cujusdam miraculi meminit, quod sibi retulerat *jam sunt anni decem vel circa frater Paulus de silva:* atqui frater Paulus, testibus etiam Raphaele Riera, et monumentis Recanatensibus, ad Ecclesiam *S. Joannis in silva Lauretana* incolendam admissus fuit mense Augusto anni 1463.

Hanc porro Historiam, ne propter hominum incuriam tam admirabilis rei memoria aboleretur, anno 1479. X. Kal. Octobris *e tabella situ et vetustate corrosa, carieque et pulvere pene consumpta* se descripsisse testatur Baptista Mantuanus Poeta celeberrimus, qui alter Virgilius habebatur, Carmelita.

---

[1] Epistolam Fr. Pauli Eremitae ad Regem Carolum, litteras, ut ajunt credentiales pro Legatis quibusdam ad Bonifacium VIII Summum Pontificem missis, ut eum de Nazarethanae Domus adventu certiorem facerent, ac legendam, quam vocant, Fr. Petri Episcopi Maceratensis, apocryphas esse docuit Trombellius, cujus probationibus complura, si opus foret, ex Archivis Recanatensibus addere argumenta in proclivi foret. Enimvero Teramani narrationem veluti basim ac fundamentum Historiae in omnes pene linguas europaeas conversam Lauretani Templi parietibus, ubi etiamnum conspicitur, appendi jussit Vincentius Casalius Gubernator. Eamdem typis expresserunt Valentinus quidam Miller Alemannus, si vera narrat Nellius apud Martorellium T. 1. pag. 549., aliusque typographus anonymus Romae exeunte saeculo XV., de qua editione consulatur Audifredius in catalogo librorum Romae saeculo XV. excusorum pag. 459. Italice eam vertit Bartholomaeus Monachus Vallisumbrosae An. 1485., ut est in rhythmis etruscis apud Trombellium lib. 4. pag. 219. Prosa vero elegantiori, et carmine etiam latino eamdem expressit Ao. 1489. Baptista Mantuanus. (V. Mantuani opera Antuerpiae edita anno 1576. T. 4. pag. 216).

[2] Ex Jacobo Petrutii Notario Recanatensi in protocollo hujus anni.

Ad eamdem Historiam alludit Auctor Teramano fere coaevus in oratione ad Senatum Recanatensem inedita, de qua superius § 187. 6. *Antonius Bonfinius* Scholae Recanatensis Rector, ac postea Hungariae Historiographus clarissimus [1]; eamque carmine expressit *Ludovicus Lazzarellius* Septempedanus poeta ea aetate insignis, in fastis christianis poemate itidem inedito, quod autographon, ut videtur, possidet Petrus Pintuccius Basilicae Cathedralis Recanatensis Mansionarius [2].

Hos secuti sunt Hieronymus Angelita Reipublicae Recanatensis a secretis, qui Lauretanae Virginis Historiam a se conscriptam die 19. Septembris anno 1531. Clementi VII P. M. obtulit ac dedicavit, Nicolaus Bargilesius Canonicus Lauretanus, Raphael Riera, Horatius Tursellinius e Societate Jesu, Rutilius Benzonius Episcopus Lauretanus et Recanatensis, aliique longe plurimi.

Veritatem Historiae oppugnaverunt Matthias Flacius Illyricus, Petrus Paulus Vergerius, aliique post eos heterodoxi, quos confutarunt Turrianus,

---

[1] De Bonfinio plura diximus N. CLXXXVI. in actis Hieronymi Roborei Cardinalis Episcopi Recanatensis.

[2] Proferre hic lubet, quae de Lauretanae Domus historia canit Lazzarellius lib. X. — Maria loquitur.

Ipsa domum, angelica qua cepi voce salutem
  Non sum passa hostes inter adesse meos.
Traduxi: Illyrici posuique in littoris ora.
  Non tamen illa diu praebuit ora locum.
Barbaricae indignans immitia crimina gentis
  Adriacum supra devehor inde fretum:
Traducensque domum picenis applicor oris:
  Deposui fratrum templaque colle trium.
Coeperunt fratres alterna lite furorem
  Miscere ob nostrae munera magna domus.
Hinc Lauretanum nemus occupo. Praeda fugavit
  Latronumque pio sanguine tincta manus.
Ergo Recineti quae ad moenia littore ducit
  In media posui templa colenda via.
Fundamenta domus supra apparentia terram
  Respice: non illo structa fuere loco.
Auxit relligio breve templum: en aedibus amplis
  Circumdant parvam moenia lata domum.
Nomen adhuc retinent Lauretae templa vetustum.
  Votiva in templis millia dona vides.
Dona vides passim nostri argumenta favoris,
  Dum mea clamantes nomina saepe levo.
Si nova, quod mirum est, *nunc illic oppida condo*,
  Quae facit accelerans ad mea templa cohors.
Jam potuit Phoebi figmentum condere Delphos,
  Subdola dum celebrat templa caterva frequens.

Benzonius, Gretserus, atque inter ceteros Honoratus a S. Maria in Animadversionibus ad regulas et artem critices. Pleraque vero omnia ad S. Aedem pertinentia tribus majoris formae voluminibus complexus est Valerius Martorellius Episcopus Montis Feretri, quibus titulum fecit — *Teatro istorico della S. Casa. Roma* 1732. — adde quae habent in elaboratissimo opere *de Mariae SS. vita et gestis* Joannes Chrysostomus Trombellius, Benedictus XIV in tractatu de festis B. M. V. cap. XVI., Josephus Antonius Parthenius in oratione pro Domo Lauretana, quae prodiit Romae anno 1770., ac Rmus Paulius in epistolis pastoralibus annis 1800., et 1802. editis, quibus ea, quae fusius ab aliis disputantur, breviter ac nervose edisseruit, novisque historiam Almae Domus illustravit documentis.

Quorum demonstrationibus si quis morosioris ingenii criticus translationem Nazarethanae Domus sibi persuaderi posse neget, eum rogo, ut saltem, quae monet Petrus Roestius e Societate Jesu in Apologia pro Historia Translationis edita Treviris anno 1625. pag. 55., alta mente reponat, a quibus Catholicum hominem, ad quos solos hic mihi sermo, dissentire nefas est: « Primo, *per Sacram Statuam recte honorem Deiparae tribui;* hoc enim adversus Iconoclastas Ecclesia definivit. 2.° *in loco ubi continenter eduntur miracula, singularius Deum adesse et subvenire, et locum ejusmodi sanctum esse habendum*, quod ratio ipsa demonstrat. 3.° *Recte igitur Deiparam Laureti invocari, recteque honorari.* 4.° *Fideles sine ulla superstitionis nota more veteri in Catholica Ecclesia passim vigente ad Lauretanam Aedem peregrinari.* 5.° Et haec quidem divina lege credenda proponi; *ea vero quae narrat Historia Lauretana humana tantum fide habenda esse vera.*

CCXXXVII. Ut primum innotuit Lauretanae Virginis Aedicula, infinitis coepit miraculis clarescere, ac celebrari cum indigenarum tum exterorum veneratione, quae successu temporis in immensum crevit, ac in ultimas usque terras diffusa est. Nos, quae ad cultum huic Aediculae exhibitum spectant, summatim complectemur notis brevioribus huic paragrapho subjectis, agemusque (A.) de Oblationibus fidelium; (B.) de concursu populorum; (C.) de donariis huc collatis; (D.) de variis devotum erga S. Mariam Lauretanam animum testificandi modis; (E.) de fundationibus Sacerdotiorum; (F.) aedificatione Templi majoris; (G.) ac demum de Litaniis Lauretanis.

A. **De Oblationibus Fidelium.** Extant in Archivo secretiori Senatus Recanatensis acta Curiae sive Tribunalis Supremi Provinciae Picenae, e quibus habemus anno 1313. Nobiles Recanatenses Ghibellinos .... *cum comitiva multorum hominum armatorum peditum et*

equitum de mensibus Augusti et Septembris pluries de quolibet mense et de mensibus Februarii et Martii sequentis anni, et in omnibus festivitatibus B. Virginis et in octavis ejusdem ..... accessisse ad Ecclesiam S. Mariae de Laureto ad Recanatensem Ecclesiam et D. Episcopi mensam immediate spectantem .... et contra voluntatem Cappellani sive Presbyteri positi per dictum D. Episcopum ad colligendas oblationes dictae Ecclesiae totam pecuniam quae erat in trunco[1] *acceperunt, ... rapiendo etiam super altare dictae Ecclesiae et de dicta Ecclesia undique omnes oblationes, et omnes tortitios et faculas et imagines de cera et argento, accipiendo etiam et asportando super imaginem Beatae Virginis et de cona ejus et super ymaginem domini nostri Jesu Christi, quae erat in dicta cona*[2], *omnes guillandras*[3] *oblatas de argento cum perlis et sine perlis et bindas*[4] *et velictos*[5] *de syrico et omnes tobaleas de syrico*[6] *et sine syrico.*

Unde sane perspicitur, quanta jam tunc fuerit frequentia piorum hominum Mariae Aedem visitantium, ac dona pro ea aetate profecto perquam pretiosa offerentium, etiam quo tempore bella seditionesque vel maxime hisce in regionibus fervescebant.

B.
Concursus ad Aedem Lauretanam populorum.

Incredibile est, quae brevi incrementa ceperit peregrinorum concursus, neque plebejorum tantum, sed virorum feminarumque principum mense inprimis Septembri, quo festum *Lauretanae Virginis*, id est *Nativitatis Mariae* colitur. In Archivo Trejensi superest carta, ut ajunt, salvi conductus concessi a Consiliariis Andreae Tomacellii Marchiae Anconitanae Marchionis — *volentibus venire ad Festum gloriosae S. Mariae de Laureto sive visitare limina ecclesiae ejusdem Beatae Virginis sive die festo sive per Octavam ejusdem.* Data Firmi die 26. Augusti anno 1399. Alia carta similis

[1] In *capsa*, in qua colliguntur pecuniae, quas offerunt fideles.
[2] In dicta Statua.
[3] *Ghirlande.*
[4] *Fettucce.*
[5] *Veli di seta.*
[6] *Toraglie di seta.*

extat in eodem Archivo concessa die 3. Septembris anno 1405. ab Angelo Corario Cardinali Constantinopolitano, Marchiae Anconitanae Vicario Generali — *volentibus accedere ad Ecclesiam S. Mariae de Laureto de Racanato in festivitatibus ipsius de mense Martii, Augusti, et Septembris per decem dies ante Festa praedicta, et per decem dies post ipsa.* Picentes oppidatim adveniebant. Meminerunt acta Senatus Recanatensis *Communis Firmi venientis ad S. Mariam de Laureto* An. 1456. Processionum vero solemnium ac statarum princeps, ceterisque antiquior illa sane est Populi Recanatensis, qui, ut majores in eum redundabant ex Aede Lauretana in agro ipsius constituta gratiae atque utilitates, ita vehementiori in eam accendebatur devotionis fervore. A tempore itaque, quod omnem superat memoriam. Episcopus, Clerus omnis, Magistratus, Sodalitia, ac veluti Civitas ipsa suis dimota sedibus die 25. Martii Deiparae Domum adire quotannis solet, occursantibus honoris caussa Clero Lauretano universo, ac Mariae offerre cereos, et votiva donaria. Processio vi antiquae consuetudinis introducta, cujus rei testimonia reperimus in actis librisque annorum 1472.-1473.-1475, ac deinceps quamplurima, ne umquam intermitti possit lege sancitum est anno 1498.

Die 10. Decembris centum Puellae Recanatenses Lauretum quotannis Virgini supplicatum eunt.

Sed nos haec et alia infinita Recanatensium erga Lauretanam suam Aedem amoris documenta, quae justum facile volumen implerent, breviter, ubi locus ferebat, inter Episcoporum acta recensuimus.

Indiculum hic subjungere placet illustrium personarum, quas saeculo XV. pietatis causa Lauretum venisse comperi. Anno

1407. Ludovicus Melioratus Princeps Firmanorum.

1423. Astorgius Episcopus Anconitanus Marchiae Anconitanae Thesaurarius.

1424. Gentilis Pandulfus Varanus cum equitibus quadraginta, inter quos viri nobiles decem, totidemque matronae.

1427. Elisabetha Caroli Malatestae uxor, cum Sigismundo, Galeotto, Roberto, et Pandulfo Malatestis.

1428. Robertus Malatesta Fani Dominus.

1429. Joannes Episcopus Alatrinus.

1431. Pandulfus Malatesta Ariminensium Princeps.

1437. Marchio Ferrariensis, Alexander Sfortia, Sigismundus Malatesta cum equitibus 400.
Julia de Aquaviva.
1439. Borsus Marchio Estensis.
1442. Blanca Maria Ducis Mediolanensis filia, Francisci Sfortiae Uxor.
1443. Alphonsus Rex.
Raymundus de Cardona Prorex.
1447. Blanca Ducissa Mediolani.
1450. Nicolaus V Pontifex Maximus.
1451. Soror Ducis Mediolanensis.
1454. Alexander Sfortia cum Uxore.
1459. Cardinalis Rhotomagensis.
1464. Alexander Sfortia.
1465. Filii Ducis Mediolanensis.
1468. Die 20. Decembris Fridericus III Imperator.
1470. Alexander Sfortia.
1471. Dux Ferrariae.
1472. Cardinales S. Marci, et Mantuanus.
1474. Duces Mantuae et Calabriae.
1475. Bartholomaeus de Bergamo Capitaneus Venetorum.
Fridericus Feltrius Dux Urbini.
Baptista Zenus Cardinalis S. Mariae in Porticu.
Nicolaus Perottus Saxoferratensis Archiepiscopus Sipontinus.
1476. Julius Caesar Varanus Camerini Dominus.
1477. Uxor Comitis Hieronymi Riarii.
1483. Joanna uxor Joannis Roborei Praefecti Urbis, et filius Ducis Urbini Guidobaldus.
1484. Cardinalis Joannes de Arragonia.
Franciscus filius Regis Ungariae.
1488. Fratria Summi Pontificis.
1489. Franciscus Piccolominius Cardinalis Senensis postea Pius III.
1490. Franciscus Cybo Innocentii VIII nepos.
1491. Marchio Mantuae Franciscus Gonzaga.
Comes Pitiliani pro Ecclesia Romana Capitaneus generalis.
1492. Cardinalis Beneventanus Laurentius Cibò.
Hercules Sfortia Ducis Mediolanensis frater.

1495. Dux Urbini Guidus Ubaldus.
1497. Cardinalis Ascanius Sfortia.

Omitto eos, qui serius advenerunt, quos vide apud Martorellium. Ferrariae, Firmi, Recanati, Maceratae, multarumque aliarum Civitatum et Oppidorum eodem jam saeculo Laureti conspiciebantur imagines argenteae, quibus numini majestatique Virginis se devotas esse profitebantur. Circa annum 1475. nullus fere in Piceno universo locus fuit, qui coronam auream Virgini non detulerit. Testis est Raphael Riera, anno 1560. in festo Annuntiationis Laureti adfuisse quadraginta circiter hominum millia. Sed majus est quod refert Tursellinus, suo tempore (anno circiter 1594.) die 7. et 8. Septembris supra ducenta hominum millia Lauretanam Aedem accessisse. Serraglius recentior Historiae Lauretanae scriptor intra dies fere quinquaginta, qui Pascha inter et Pentecosten intercedunt, eorum, qui sacra hic Synaxi se refecerunt numerata fuisse scribit quingenta, et aliquando sexcenta millia. Quae quidem licet exaggerata esse videantur, ingentem tamen multitudinem Lauretum confluere solitam fuisse demonstrant. E quibus plurimi relicta vita sceleribus inquinata ad vitam meliorem et christianis hominibus dignam agendam ibi inducti sunt: plurimi aegritudinibus mentis et corporis liberati salutem Virgini Matri acceptam retulerunt: plurimi vel ipso in Sanctam Domum ingressu incredibili quodam ac pleno letitiae atque admirationis horrore correptos sese fuisse fassi sunt ob loci quamdam veluti divinitatem.

C.
Donaria huc collata.

Nullis ergo non honoribus Aediculam hanc dignam censuerunt pii omnes, nullis non donariis; quae innumera et nullo aestimanda pretio fideles ac viri principes in eam congesserunt. Nos in Appendice exhibemus indicem eorum, quae tempore Nicolai de Astis donata fuerunt, quaeque piissimus ille Episcopus perpetuo adservari voluit, ac a Nicolao V, ne unquam alienari possent, Bulla Apostolica sanciri curavit. Praesulis Recanatensis egregia illa munificentia initium fuit Gazophylacii toto orbe celeberrimi, de quo plura Martorellius et alii. Id calamitas temporum nuper exhausit.

Testamentum, quo legata contineantur facta Ecclesiae S. Mariae de Laureto, ceteris antiquius habetur in Archivo Sodalitii S. Mariae Mercatorum Recanatensium, estque anni

1355., quo *Theolus Bartholomaei de Affocatis de Racanato reliquit Ecclesiae S. Mariae de Laureto et Ecclesiae seu Monasterio S. Johannis de Laureto pro qualibet ipsarum in hedifitio solidos decem.* Id genus testamentis et legatis, pecuniarumque, et fundorum donationibus plena sunt regesta sive protocolla decimiquinti et sequentium saeculorum, non Recanatensia tantum, sed universi fere Piceni: quibus adeo aucta est res Almae Domus, ut nulli forsan alteri Ecclesiae cedat divitiis.

D. Cultus ac devotionis varia genera et specimina.

Haec de liberalitate in Aedem Lauretanam fidelium: nunc cetera cultus genera prosequamur Templo huic impensi, adlato exempli causa uno tantum alterove singularium rerum veluti specimine. Et de *peregrinationibus* quidem superius egimus. *Picturis* ex voto suscepto Ecclesiam Lauretanam exornandam curavit anno 1383. Vannes Pauli Recanatensis, qui jussit *fieri intus seu extra Ecclesiam S. Mariae de Laureto figuram Virginis Mariae cum ejus filio in brachiis, figuram S. Antonii, figuram S. Jacobi Majoris etc.*, (e protocollo Ser Antonii Jannis Notarii Recanatensis ad diem 23. Augusti 1383.) Anno 1417. nobilis vir Foscarellus Colae de Comitibus de Matelica depingi ibidem jussit *figuras nostrae Dominae cum filio in brachiis, S. Antonii, et suam testatoris* (e registro testamentorum Ser Antonii Jannis ad diem 1. Aprilis 1417).

Anno 1383. die 8. Septembris (ut habet idem Notarius) D. Isabetta de Clusio de Flandria *reliquid in fabrica et cuncimine Ecclesiae S. Mariae de Laureto octo ducatos auri; item pro cereis quatuor tenendis continue ante Corpus Christi, dum celebratur in dicta Ecclesia S. Mariae de Laureto, quatuor ducatos auri. Item reliquid pro uno indumento et vestito de sirico fiendo pro imagine nostri Domini Yhesu Christi quem retinet in brachiis sancta magestas nostrae Dominae Virginis Mariae de Laureto, tres ducatos auri.*

Anno 1420. Antonius Alegretti Menutii reliquit Ecclesiae S. Mariae de Laureto UNUM CALICEM *valoris 12. ducatorum* AD DIVINUM CULTUM PERPETUO TENENDUM IN DICTA ECCLESIA.

Anno 1400. die 8. Octobris D. Jacovina Lippi uxor quondam Albrici Massii (de Percivallis), reliquit PRO FABRICA

ECCLESIAE S. *Mariae de Laureto pro duobus millibus lapidum quatuor ducatos. Item pro* FABRICA *pontis qui est in via bricciarum per quam itur ad Ecclesiam S. Mariae de Laureto ducatos quatuor.*

Anno 1418. die 31. Octobris Joannes Simonis Corradi de Cingulo reliquit, *quod per ejus heredes debeat salariare unum hominem,* QUI HOMO DEBEAT SERVIRE ECCLESIAE S. MARIAE DE LAURETO PER UNUM MENSEM. *Servi Mariae* dicebantur qui sive ad tempus constitutum, sive per totam vitam servitio Mariae se dicabant. Incolebant hi *Domum*, ut ajebant, Lauretanam, ac regulam quamdam vitae servabant, fueruntque non pauci, ut e documentis constat, Sacerdotes etiam ac religiosi viri: diuque mos obtinuit. Exemplum occurrit anni 1479. apud Ser Jacobum Petrutii Notarium persaepe a nobis citatum, Antonii cujusdam Gamberii de Recanato, qui die 31. Julii *in manibus Vicarii generalis obtulit se et sua Ecclesiae S. Mariae de Laureto profitens stabilitatem et obedientiam secundum ordinem ipsius Ecclesiae.*

Anno 1428. Fraternitas coaluerat *Frustatorum* S. Mariae de Laureto.

Anno 1429. jam existebat Laureti *Hospitale* sive Xenodochium peregrinorum usui dicatum, cui non ita multo post Eugenius IV Granciam sive Ecclesiam S. Mariae Montis Ursi prope Lauretum, quae praedium erat Abbatiae Claraevallensis ad Flastram, donavit. Novum et amplius Hospitale anno 1466. extruxit Nicolaus Astius Episcopus.

E. Fundationes Sacerdotiorum etc.

Anno praedicto 1429. Philippus Mediolanensium Dux primum Laureti Sacerdotium, quod hodieque superest, ac *Trium Magorum* dicitur, fundavit, ut *ibi quotidie Missa celebraretur.*

Exemplum Ducis secuti sunt anno

1437. Antonius Ser Vannis Stephani Recanatensis, qui *Beneficium S. Antonii,*

1439. Antonius Casinus Cardinalis tituli S. Marcelli, qui Beneficium *S. Marcelli,*

1446. Nicolaus de Astis Episcopus Recanatensis, qui *S. Hieronymi,*

1450. Angelus Ronconius Pontificiarum copiarum ductor, qui *S. Mariae Annuntiatae,*

1466. Jacobus Nicolae Pictor Recanatensis, qui *S. Mariae* in ipso Sacelli Altari,

1476. Andreas de Pilis Episcopus Recanatensis, qui *SS. Andreae et Hieronymi*,

1481. Joannes de Grandis, qui *S. Mariae Sclavonorum* Sacerdotia fundarunt, e quibus nonnulla extant adhuc; cetera bonis, quae olim Capituli Lauretani fuerunt, ex praescripto Leonis X adnexa sunt.

Anno 1438. D. Jacobus Juliani Cingulanus Prior Canonicae Trividiani, Vicarius Generalis Episcopatus Auximani condemnavit *quemdam blasphematorem ut pro poenitentia visitaret sacratissimam Domum S. Mariae de Laureto corporaliter.*

Anno 1456. Virginis Lauretanae Ecclesiam solemniter devotionis causa adivit *Populus Firmanus.*

Anno 1460. Oppidum Montis S. Mariae in Cassiano stipem constituit distribuendam quotannis iis, qui *almam domum Lauretanam invisuri essent.*

Anno 1463. huc advenit *Processio*, ut ajunt, Fraternitatis Frustatorum Cingulanae. Paucis post annis id genus processionum frequentissimae fuerunt, quae coronas aureas aut simulacra argentea urbium et oppidorum Deiparae ex voto suscepto deferebant.

Anno 1491. Martinus Sclavus in testamento jussit *hominem mitti ad ecclesiam S. Mariae de Laureto, qui vadat circum circa cappellam gloriosae Virginis Mariae de Laureto.*

Specimina haec devoti populorum erga Lauretanam Virginem animi e Recanatensis Archivi codicibus pleraque descripsimus, omissis id genus infinitis aliis.

F. Aedificatio Templi majoris.

Anno 1468. Nicolaus Astius Episcopus Recanatensis e fundamentis extruere coepit Ecclesiam majorem, quae nunc est, Lauretanam, qua de re uberius a nobis actum fuit in vita Nicolai. Operis insignis, cujus descriptionem hic omitto, quippe passim obviam, architectos, rem gratam facturi curiosis harum rerum investigatoribus hic recensere placuit.

Primus Templi hujus Architectus fuit anno 1468. Magister *Marinus Marci de Jadera generalis Magister et Ingenierius fabricae*, ut e cartis Archivi Recanatensis constat, uti et e marmore Fani eruto, cui inscripta fuit haec epigraphe: *M.CCCC.LXXVI. Joannes Tonsus Pontifex fani divae Ma-*

riae porticum dedit. Opus Marini Jadrini Veneti architecti aedis Beatae Mariae in Laureto. (Ex Italia Sacra Ferdinandi Ughellii T. I. col. 667. edit. Coleti.)

Marino successerunt anno 1479. Magister *Thomas*, anno circiter 1488. *Julianus de Majano, et Benedictus* ejus nepos. Hos Cl. Tiraboschius in Histor. litter. Ital. lib. 3. T. 6. pag. 1065. edit. anni 1796., ait Pauli II jussu Ecclesiam Lauretanam extruxisse. Unde id hauserit, ignoro. Deceptum fuisse pro certo habeo. Georgius Vasarius fornicem maximam a Benedicto inchoatam fuisse auctor est, de qua extruenda anno demum 1488. actum fuisse annales Recanatensium docent.

1499. Magister *Julianus Sangallo* Architectus Florentinus. Hic fornicem majorem inchoavit et perfecit.

1509. *Mastro Bramante architettore del Papa fece rifare tre speroni della Chiesa, e più archi e muri, che minacciavano ruina* — Idem Bramantes eo anno ideam Palatii Apostolici, ac marmorei aedificii, quo Alma Domus undique vestitur, descripsit, ac formis ligneis ab Antonio Peregrino Florentino affabre exsculptis repraesentandas curavit.

Eodem ferme tempore Laureti floruit praestantissimus vir Johannes Christophorus Magistri *Jsajae* de Pisis sculptor Romanus, qui diem obiit extremum mense Majo 1512. Is haeredem instituit Nosocomium Recanatense, cui insignem pro privati hominis facultatibus thesaurum reliquit numismatum, gemmarum caelatarum antiquarum, anulorum aureorum egregii operis. etc. Musas cum coluisse Italas, docet carmen in laudem Seraphini Aquilani, quod extat in collectaneis Jo. Philotei Achillini editis Bononiae An. 1504. (ex catal. biblioth. Capponianae pag. 4.)

1512. Magister *Petrus Amorosus* Magister fabricae.

1513. Magister *Andreas Nicolai Savinus* de Monte *ad S. Savinum* sculptor et *Magister fabricae.*

Andream Sansovinum Cinellius Dominici Contutii filium vocat; sed nos documenta archivorum sequimur.

1520. Magister *Christophorus Simonis Resse* sive Resecus de Imola; obiit 1523.

1531. *Antonius de Sanctogallo* Juliani frater.

1535. Magister *Rainerius* Florentinus.

1539. Magister *Rainerius Nerucci* Pisanus.

1552. *Galassus de Carpo.*

1558. *Joannes Boccalinus* Carpensis Torquati Boccalini pater.

1585. *Lactantius Ventura* Urbinas.

1603. *Mutius Oddus*, de quo Janus Nicius Erythraeus in Pinacotheca.

1605. *Joannes Fontana* et *Carolus Madernus*,

1614. *Joannes Branca*, de quo consulatur Bibliotecha Picena Auximi nuper edita.

Recentiores Architectos omittimus.

G. Litaniae Lauretanae.

Superest, ut de Litaniis agamus Lauretanis, quae per universam Ecclesiam Catholicam in Virginis nostrae honorem decantari solent, unde et agnominantur. Laureti enim primum usus earum obtinuit, indeque a peregrinis quaquaversum delatus est.

Pauca de hisce Litaniis attulit Trombellius de vita et cultu B. M. V. parte II. Diss. XI; nuper vero Rmus Franciscus Antonius Mondellius Episcopus nunc Terracinensis in dissertationibus suis ad rem ecclesiasticam pertinentibus Romae editis anno 1792. de Litaniis quoque Lauretanis fuse egit decadis 2.ª Dissertatione X, ubi dogmatice disputat adversus Rondetum, qui tollendas eas ex usu fidelium esse censuerat; Historiam vero Litaniarum non attigit, quas sat antiquas esse e monumentis nostris habemus. Cum enim die 10. Novembris anno 1531. primus lapis marmoreus fundamentis immitteretur, quibus inaedificari tunc coepit universus ille statuarum et imaginum caelatarum apparatus, quo Aedes sancta contegitur, decantatae fuerunt per Capitulum Lauretanum *Litaniae Virginis Mariae*, teste Petro Paulo Laurentii Notario Recanatensi, qui adfuit — Anno 1547. die 31. Januarii Joannes de Albona Canonicus Lauretanus Fratribus Augustinianis Recanatensibus centum florenos auri legavit ea conditione, ut singulis sabbatis Missam celebrarent Virginis Matris Mariae cum *suis Litaniis cantando* vel legendo. Raphael quoque Riera, qui inde ab anno 1554. Laureti Paenitentiarium egerat, in historia Almae Domus Lauretanae (apud Martorellium T. 1. pag. 118.) *Litaniarum* meminit, *quas peregrini Lauretum* (anno circiter 1558.) *venientes canebant*. Easdem approbavit Rutilius Benzonius Episcopus Lauretanus, ut ipsemet testatur in Commentario in canticum Magnificat pag. 134.,

imo eas ab universo Clero dioeceseos solemniter decantari jussit per triduum illud, quo Synodum anno 1588. celebravit. Sixtus V anno 1587. die undecima Julii indulgentiam Litanias Lauretanas recitantibus concessit, teste Antonio Natali de coelesti conversatione pag. 154.—Clemens vero VIII anno 1601. omnes Litanias praeter eas, quae *omnium Sanctorum* dicuntur, et eas quae *Laureti* in laudem Virginis decantari solent, suspendit usque ad novam Sedis Apostolicae declarationem, ne scilicet novi ritus orandi in Ecclesia introducantur. In Litanias Lauretanas scripsere complures, quos refert in Bibliotheca Mariana Hippolitus Maraccius. Antiquior ceteris fuit Petrus Geoffry, qui meditationes edidit in Litanias Lauretanas Burdigalae anno 1607.

Litaniae Lauretanae nullum certum agnoscunt auctorem, ac a piis hominibus Mariae devotis pro suo cujusque lubitu ac pietatis sensu efformatae paulatim in eam, quae nunc obtinet, formam pertransierunt. — Peculiares Deiparae Virginis Litaniae ceteris antiquiores videntur, quas eruditissimus vir Joa. Franciscus Bernardus Maria de Rubeis Dominicanus in dissertatione de Litaniis, quam editioni opusculi Fleuriani de disciplina populi Dei in novo Testamento adjecit Franciscus Antonius Zacharias T. 2. p. 247. e vetusto Codice Forojuliensi edidit. Sed nimium quantum a Lauretanis nostris diversae sunt, uti et Litaniae Virginis Mariae quas pro peste avertenda decantari suadet Fr. Marcus de Monte S. Mariae in gallo ex ordine Minorum Observantium in Libro cui titulus: *tabula della Salute* edito Florentiae a. 1494.

Alias hodiernis Litaniis similiores exscripsimus e Codice exarato anno 1524. manu Fr. cujusdam Joannis de Falerone e Minorum Observantium Familia, quem codicem possidet Illñus, et Rñus D. Stephanus Bellinius Episcopus noster.

Tertias comunicavit nobis Adm. R. D. Joannes Baptista Cosimus Molianensis acceptas e Missali, quod penes ipsum est, scripto in charta pergamena literis, ut ajunt, gothicis.

Quartas exhibet libellus editus Venetiis An. 1561. in forma 16., cui titulus — *Compendium orationum* etc., quas parumper immutatas Lucas Pinellius e Societate Jesu Praesbyter libro inseruit inscripto, *Meditazioni sopra i Quindici Misteri del Rosario*. Venezia 1601.. in 24. pag. 62.

Ex his demum conflatae fuisse videntur Litaniae Virginis, quae nunc ubique gentium sunt in usu, quas nullibi typis

excusas reperi ante annum 1576. Leguntur autem in liberculo, qui auctorem habet *Bernardinum Cyrillum* Archipresbyterum Lauretanum, virum doctum, ac praesertim cantus ecclesiastici studiosissimum, ae prodüt Maceratae eo quo diximus anno inscriptus: *Trattato sopra l'Historia della S. Chiesa et Casa della gloriosa Madonna Maria Vergine di Loreto.* Itemque in alio libello, qui eodem anno atque in eodem Sebastiani Martellinii typographeo lucem adspexit, cui titulus: *Cause et remedj della peste.*

Sed has Litanias primum quidem vulgo tantum ac peregrinis usitatas fuisse comperio. *Laureti* enim solemni usu ad id usque temporis canebantur *omnibus diebus Sabbati, vigiliarum et festorum B. M. Virginis,* ut e citato Bernardini Cyrilli liberculo habetur, Litaniae aliae ab istis omnino diversae, et elegantissimae quidem illae, ac e Scripturis Sacris depromptae: non multum absimiles iis, quas in Diario Ecclesiastico Parisiensi T. 73. Litaniis Lauretanis vulgari usu receptis ac ab Ecclesia probatis intempestivo ausu substituendas esse contendit Cl. Rondetus.

Attamen vicerunt jamdudum Litaniae, quae critico illi displicent, vulgares, atque in desuetudinem abierunt purgatiores illae, forte quod modulis musicis minus aptae essent.

Rem lectori non ingratam, ut arbitramur, facturi subjicimus hic diversas, de quibus hactenus disseruimus, Litanias.

I. *Litaniae ex vetusto Codice Forojuliensi excerptae a Cl. viro Bernardo Maria de Rubeis.*

Incipiunt Litaniae Beatae Mariae Virginis.

Kyrie eleison — Christe eleison — Christe audi nos

Pater de Coelis Deus	miserere nobis
Fili Redemptor mundi Deus	»
Spiritus Sancte Deus	»
qui es trinus et unus Deus	»
Sancta Dei Genitrix	adjuva nos
Sancta Maria Mater Christi	»
Sanctissima	ora pro nobis
S. Maria Virgo Virginum	»
S. Maria Dei Genitrix Virgo	»
S. Maria mater innupta	»

S. Maria mater inviolata ora pro nobis
S. Maria Virgo perpetua »
S. Maria gratia Dei plena »
S. Maria aeterni Regis filia »
S. Maria Christi Mater et Sponsa »
S. Maria templum Spiritus Sancti »
S. Maria coelorum Regina »
S. Maria Angelorum domina »
S. Maria scala coeli »
S. Maria porta paradisi »
S. Maria mater et domina »
S. Maria spes vera »
S. Maria Virgo dulcissima »
S. Maria nova mater »
S. Maria omnium spes fidelium »
S. Maria caritas perfecta »
S. Maria Imperatrix nostra »
S. Maria mater misericordiae »
S. Maria fons dulcedinis »
S. Maria mater aeterni principis »
S. Maria mater veri consilii »
S. Maria mater verae fidei »
S. Maria nostra refectio »
S. Maria per quam renovatur omnis creatura »
S. Maria generans aeternum lumen »
S. Maria omnia portantem portans »
S. Maria virtus divinae incarnationis »
S. Maria cubile thesauri coelestis »
S. Maria generans factorem »
S. Maria consilium coelestis arcani »
S. Maria thesaurus fidelium »
S. Maria nostra salus vera »
S. Maria pulcherrima domina »
S. Maria hilaris et plena laetitia »
S. Maria mater veri gaudii »
S. Maria iter nostrum ad Deum »
S. Maria advocatrix nostra »
S. Maria stella coeli clarissima »
S. Maria praeclarior luna »
S. Maria solem lumine vincens »

S. Maria aeterni Dei mater ora pro nobis
S. Maria delens chirographum nostrae perditionis »
S. Maria delens tenebras aeternae noctis »
S. Maria fons verae sapientiae »
S. Maria lumen rectae scientiae »
S. Maria inaestimabile gaudium nostrum »
S. Maria praemium nostrum »
S. Maria coelestis patriae desiderium »
S. Maria speculum divinae contemplationis »
S. Maria omni dulcedine plena »
S. Maria omni honore dignissima »
S. Maria coelestis margarita »
S. Maria coelestis vitae janua »
S. Maria porta patens et clausa »
S. Maria per quam intratur ad Deum »
S. Maria immarcescibilis Rosa »
S. Maria pulchritudo Angelorum »
S. Maria flos patriarcharum »
S. Maria desiderium prophetarum »
S. Maria thesaurus apostolorum »
S. Maria laus Martyrum »
S. Maria glorificatio Sacerdotum »
S. Maria immaculata virgo »
S. Maria decus Virginum »
S. Maria caritatis exemplum »
S. Maria omni mundo pretiosior »
S. Maria omni thesauro desiderabilior »
S. Maria altior coelo »
S. Maria Angelis nitidior »
S. Maria Archangelorum laetitia »
S. Maria omnium Sanctorum exultatio »
S. Maria honor, laus, et gloria nostra »
S. Maria dulcissima mater nostra et domina »
S. Maria piissima Regina »
S. Maria gloriosa puerpera »
S. Maria virga Jesse »
S. Maria virga Aaron »
S. Maria oliva ubera »
S. Maria mater desolatorum »
S. Maria protectio peccatorum »

S. Maria consolatio desperatorum	ora pro nobis
S. Maria refrigerium miserorum	»
S. Maria fons misericordiae	»
S. Maria fons hortorum	»
S. Maria gloria Virginum	»
S. Maria virgo peccati carens	»
S. Maria maris stella	»

Christe audi nos — Christe exaudi nos — Kyrie eleison

Succurre mihi sancta Virgo Virginum Maria, intervenientibus tuis sacris ad Dominum Jesum Christum: ut ipse misereatur mihi peccatori propter suam magnam misericordiam, et non derelinquat me: sed salvum faciat servum suum sperantem in se. Amen.

II. *Letanie devotissime in laude de la Vergine Maria Advocata sollicita de' Peccatori.* Ex libello precum manuscripto Anno 1524. penes Illmum ac Rmum D. Stephanum Bellinium Episcopum nostrum.

Kyrie eleison — Christe eleison
Christe audi nos — Christe exaudi nos.

Pater de Coelis Deus	miserere nobis
Fili redemtor mundi Deus	»
Spiritus Sancte Deus	»
Sancta Trinitas unus Deus	»
Sancta *Maria*	ora pro nobis
S. Dei genetrix	»
S. Virgo virginum	»
Omnes sancti et sanctae Dei	»
S. *Maria* ab aeterno praeelecta	»
S. Maria ab omni peccato praeservata	»
S. Maria super omnes benedicta	»
Virgo prudentissima	»
Virgo speciosissima	»
Vas spirituale	»
Hospitium Deitatis	»
S. *Maria* Spiritus sancti templum	»
Mater Christi et sponsa	»
Mater creatoris	»
Mater salvatoris	»
Mater redemptoris	»

Mater misericordiae	ora pro nobis
Mater obedientiae	»
S. *Maria* mater concordiae	»
Mater humilitatis	»
Mater sanctitatis	»
Mater virginitatis	»
Mater clementissima	»
Mater honestissima	»
Mater piissima	»
S. *Maria* mater praedicanda	»
Mater adoranda	»
Spes nostra vera	»
Fidei nostrae magistra	»
Causa nostrae laetitiae	»
Regula morum	»
Speculum virtutis	»
S. *Maria* causa nostrae salutis	»
Advocata Christianorum	»
Refugium desperatorum	»
Auxilium peccatorum	»
Plena omni charitate	»
Plena omni pietate	»
S. *Maria* plena omni gloria	»
Clarior sole	»
Pulchrior luna	»
Stella maris	»
Stella matutina	»
Stellis duodenis coronata	»
Scala coeli	»
S. *Maria* porta paradisi	»
Domina mundi	»
Imperatrix universi	»
Regina coeli	»
Regina Angelorum	»
Regina patriarcharum	»
Regina prophetarum	»
S. *Maria* Regina Apostolorum	»
Regina Evangelistarum	»
Regina Martyrum	»
Regina Confessorum	»

Regina Virginum	ora pro nobis
Regina Sanctorum omnium.	»
Propitia semper — esto nobis	
Ab insidiis diaboli	libera nos Domina
A pestifero morbo	»
A fulgure, grandine et tempestate	»
A bello et inimicorum pressuris	»
A morte perpetua	»
A spiritu fornicationis	»
Ab omni malo	»
Ab omni peccato	»
In die judicii	»
Per immaculatam Conceptionem tuam	»
Per nativitatem tuam	»
Per praesentationem tuam	»
Per annuntiationem tuam	»
Per visitationem tuam	»
Per purificationem tuam	»
Per mortem et sepulturam tuam	»
Per sanctam resurrectionem tuam	»
Per admirabilem assumptionem tuam	»
O Mater constantiae	»
Per filium tuum	»
Per Joachim patrem tuum	»
Per Annam matrem tuam	»
Per Joseph sponsum tuum	»
Per septem gaudia tua	»
Peccatores	Te rogamus, audi nos
Ut pro nobis intercedas	»
Ut terram.... istam regere, pacificare et defensare digneris	»
Ut omnibus benefacientibus etc.	»
Ut aeris serenitatem impetrare digneris	»
(se vuole l'acqua) Ut pluviam opportunam impetrare digneris	»
Ut nos tibi devotos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris	»
Ut nos exaudire digneris	»
Sponsa Dei	»
Mater Christi	»
Regina nostra. — Kyrie eleison etc.	

III. *Litaniae* ex Missali antiquo Adm. R. D. Joannis Baptistae Cosimi.

Kyrie eleison — Christe eleison
Christe audi nos — Christe exaudi nos

Pater de coelis Deus	miserere nobis
Fili Redemptor mundi Deus	»
Spiritus Sancte Deus	»
Sancte Sanctorum Deus	»
Sancta Trinitas unus Deus	»
Sancta Maria	ora pro nobis
Sancta Dei Genitrix	»
Sancta Virgo Virginum	»
Mater Christi	»
Mater Castissima	»
Mater Purissima	»
Mater Inviolata	»
Mater Intemerata	»
Mater Amabilis	»
Mater Mirabilis	»
Mater Misericordiae	»
Mater Divinae gratiae	»
Mater Creatoris	»
Mater Salvatoris	»
Mater Humilitatis	»
Mater totius sanctitatis	»
Mater Hobedientiae	»
Mater Prudentiae	»
Mater Sapientiae	»
Virgo Prudens	»
Virgo Fidelis	»
Virgo Potens	»
Virgo Clemens	»
Virgo Clementissima	»
Virgo Veneranda	»
Virgo Praedicanda	»
Virgo Pulcherrima	»
Virgo Sacra	»
Virgo Benedicta	»
Virgo Spetiosa	»
Virgo Formosa	»

Speculum justicie	ora pro nobis
Causa nostre leticie	»
Vas spirituale	»
Vas honorabile	»
Vas insigne devotionis	»
Vas totius sanctitatis	»
Rosa mistica	»
Turris devitica	»
Turris eburnea	»
Domus aurea	»
Federis archa	»
Janua celi	»
Stella matutina	»
Pulchrior luna	»
Hospitium deitatis	»
Cubile divinitatis	»
Spiritus Sancti Secretarium	»
Spiritus Sancti domicilium	»
Spiritus Sancti habitaculum	»
Spiritus Sancti sollatium	»
Thronus Salamonis	»
Hospitium Paradisi	»
Gemam castitatis	»
Flos virginitatis	»
Salus infirmorum	»
Refugium peccatorum	»
Consolatrix afflictorum	»
Imnus celorum	»
Fons ortorum	»
Regina Angelorum	»
Regina patrum sanctorum	»
Regina viginti quatuor seniorum	»
Regina Patriarcharum	»
Regina Prophetarum	»
Regina Apostolorum	»
Regina Evangelistarum	»
Regina Innocentium	»
Regina Discipulorum	»
Regina Martirum	»
Regina Confessorum	»

Regina Virginum ora pro nobis
Regina Sanctorum omnium »
Agnus Dei qui tollis peccata mundi parce nobis Domine
Agnus Dei qui tollis peccata mundi exaudi nos Domine
Agnus Dei qui tollis peccata mundi miserere nobis
Christe audi nos; Christe exaudi nos
Ora pro nobis sancta Dei genitrix; Ut digni etc.

ORATIO

Omnipotens sempiterne Deus etc. ut in Breviario Romano.

IV. *Incipiunt Litaniae intemeratae Virginis Mariae quae dicendae sunt tempore tribulationis, et tempore quo immineat pestis cum antiphonis, versiculis et orationibus infrascriptis.*

E compendio Orationum etc. Venetiis 1561.

Kyrie eleison — Christe eleison
Kyrie eleison
S. Maria ora pro nobis
S. Dei genitrix »
S. Virgo virginum »
Mater Christi »
Mater inviolata »
Mater castissima »
Mater purissima »
Mater intemerata »
Mater amabilis »
Mater innumerabilis »
Mater divinae gratiae »
Mater redemptoris »
Mater creatoris »
Mater salvatoris »
Mater humilitatis »
Mater obedientiae »
Mater sanctitatis »
Mater prudentiae »
Mater misericordiae »
Virgo fidelis »
Virgo suavis »
Virgo clementissima »
Virgo pulcherrima »

Virgo veneranda ora pro nobis
Virgo praedicanda »
Speculum justitiae »
Sedes sapientiae »
Causa nostrae letitiae »
Vas spirituale »
Vas coronabile »
Vas electionis »
Rosa mystica »
Turris Davidica »
Turris aurea »
Turris eburnea »
Stella matutina »
Spiritus sacrarium »
Janua regni coelorum »
Regina Angelorum »
Regina Patriarcharum »
Regina Prophetarum »
Regina Apostolorum et Evangelistarum »
Regina innocentum »
Regina Martyrum »
Regina Confessorum »
Regina Monachorum »
Regina praedicatorum »
Regina levitarum »
Regina Virginum »
Regina peregrinorum »
Regina omium Sanctorum »
Mater sanctissima »
Jesu Christe Fili Dei vivi »
Agnus Dei etc.
Sub tuum praesidium etc.
Ora pro nobis etc.

ORATIO

Deus summa dulcedo, Jesu pie, Concede etc.

V. Litaniae Deiparae Virginis ex Sacra Scriptura depromptae, quae in *Alma Domo Lauretana omnibus diebus Sabbati, vigiliarum et festorum ejusdem B. V. decantari solent.* Estratte dal Trattato sopra l' historia della S. Chiesa

et casa della gloriosa Madonna Maria Vergine di Loreto. Macerata 1576. pag. 103.

Kyrie eleison — Christe eleison — Kyrie eleison
Christe audi nos — Christe exaudi nos

Pater de coelis Deus		miserere nobis
Fili Redemptor mundi Deus		»
Spiritus Sancte Deus		»
S. Trinitas unus Deus		»
	S. Maria	ora pro nobis
	S. Dei genitrix	»
	S. Virgo virginum	»
Gen. 3.	Mater viventium	»
Eccl. 24.	Mater pulchrae dilectionis	»
ib.	Mater sanctae spei	»
Gen. 2.	Paradisus voluptatis	»
ib.	Lignum vitae	»
Prov. 9.	Domus sapientiae	»
Gen. 28.	Porta coeli	»
Gen. 49.	Desiderium collium aeternorum	»
Num. 35.	Civitas refugii	»
(*Pinelli*)	Urbs fortitudinis — vera vita.	»
Judith 15.	Gloria Jerusalem	»
Exod. 15.	Sanctuarium Dei	»
Exod. 25.	*Tabernaculum foederis*	»
(*Pinelli*)	Propitiatorium Altissimi	»
Exod. 30.	Altare thymiamatis	»
Gen. 27.	Scala Jacob	»
(*Pinelli*)	Arca testamenti	»
Sap. 7.	Speculum sine macula	»
(*Pinelli*)	Virga Mosis	»
Cantic. 2.	Lilium inter spinas	»
Exod. 3.	Rubus ardens incombustus	»
Judic. 6.	Vellus Gedeonis	»
2. Reg. 1.	Thronus Salomonis	»
Cantic. 7.	*Turris eburnea*	»
Cantic. 4.	Favus distillans	»
ib.	Hortus conclusus	»
ib.	Fons signatus	»
ib.	Puteus aquarum viventium	»
Prov. 31.	*Navis institoris* de longe portans panem	»

(*Pinelli*) Mulier amicta sole — ora pro nobis
Eccl. 5. Stella matutina »
Eccl. 6. Aurora consurgens »
Cantic. 6. Pulchra ut luna »
ib. Electa ut sol »
ib. Castrorum acies ordinata »
Hier. 14. Solium gloriae Dei »

A cunctis periculis — libera nos *Virgo gloriosa*
(*Pinelli*) *mediatrix nostra*
Per salutarem Conceptionem tuam — libera nos Virgo gloriosa.
(*Pinelli*) Per *immaculatam* Conceptionem tuam — libera nos mediatrix nostra
Per sanctam nativitatem tuam »
(*Pinelli*) Per venerabilem praesentationem tuam »
Per admirabilem annuntiationem tuam »
(*Pinelli*) Per humilem visitationem tuam »
Per immaculatam purificationem tuam »
Per gloriosam assumtionem tuam »

Peccatores — Te rogamus, audi nos.
Ut veram poenitentiam nobis impetrare digneris »
Ut societates tibi peculiari obsequio devotas conservare et augere digneris »
Ut Ecclesiae Sanctae cunctoque populo christiano pacem et unitatem impetrare digneris »
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam impetrare digneris »

Mater Dei
Agnus Dei etc.
℣. Ora pro nobis etc.
℟. Ut digni etc.

OREMUS

Pietate tua quaesumus Domine nostrorum solve vincula peccatorum, et intercedente B. Maria cum omnibus Sanctis tuis nos famulos tuos, benefactores atque loca nostra in omni sanctitate custodi omnesque consanguinitate affinitate atque

familiaritate nobis conjunctos a vitiis purga, virtutibus illustra, pacem et salutem nobis tribue: hostes visibiles et invisibiles remove, carnalia desideria repelle; aerem salubrem et fertilitatem indulge: amicis et inimicis nostris charitatem largire, atque *oppidum Lauretanum* cum omnibus in eo habitantibus ab omni peste, infideliumque feritate, et potentia illaesum conserva, et omnibus fidelibus vivis et defunctis in terra viventium vitam et requiem aeternam concede, et Pontificem nostrum N., Protectorem, omnesque Praelatos et cunctum populum christianum ab omni adversitate custodi, et benedictio tua sit super nos semper. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

VI. *Litaniae* D.i Rondet. E Diario Ecclesiastico Parisiensi T. 73.

Kyrie eleison — Christe eleison — Kyrie eleison
Christe audi nos — Christe exaudi nos.

Pater de coelis Deus	miserere nobis
Fili Redemptor mundi Deus	»
Spiritus Sancte Deus	»
Sancta Trinitas unus Deus	»
Sancta Maria	ora pro nobis
S. Dei genitrix	»
S. Virgo virginum	»
Mater Christi	»
Mater Virgo permanens	»
Mulier conterens caput serpentis	»
Mulier amicta sole	»
Terra germinans Salvatorem	»
Rubus ardens incombustus	»
Vellus Gedeonis coelesti rore perfusum	»
Hortus conclusus	»
Fons signatus	»
Tabernaculum Dei cum hominibus	»
Domus majestatis Domini glorificata	»
Virgo prophetarum oraculis praenuntiata	»
Virgo aurora consurgens	»
Virgo pulchra ut luna	»
Virgo electa ut sol	»
Virgo novi foederis arca	»

Virgo cujus humilitatem respexit Deus ora pro nobis
Virgo gratia plena »
Virgo benedicta in mulieribus »
Virgo in quam supervenit Spiritus sanctus »
Virgo Altissimi virtute obumbrata »
Virgo concipiens de Spiritu sancto »
Virgo pariens Emmanuel »
Virgo quae te ancillam Domini confessa es »
Sancta Maria de qua natus est Jesus »
S. Maria Legi purificationis sponte subdita »
S. Maria filium in templo cum gaudio inveniens »
S. Maria cui subditus est Jesus »
S. Maria stans juxta crucem filii morientis »
S. Maria in passione filii doloris gladio transfixa »
Tu gloria Jerusalem »
Tu laetitia Israel »
Tu honorificentia populi nostri »
Te beatam dicent omnes generationes »
Tu eris benedicta in aeternum »
Agnus Dei qui tollis etc.
Christe audi nos etc.

PRIVILEGIA ECCLESIAE LAURETANAE

A SUMMIS PONTIFICIBUS CONCESSA

CCXXXVIII. Haec de pietate fidelium erga Ecclesiam et Virginem Lauretanam, cui obsecundantes Romani Pontifices PRIVILEGIIS eamdem Ecclesiam atque indulgentiis certatim auxerunt. Et *Urbanus* quidem *Sextus* primus fuit Pontificum, qui indulgentiarum praerogativis illam exornarit, quas Urbano ante bullam editam defuncto mox *Bonifacius Nonus* confirmavit. Fabricam Templi majoris, quam Nicolaus Astius venerandae memoriae Episcopus Recanatensis anno 1469. aedificare coeperat donatis antea latifundis compluribus aere proprio coemptis, eam *Paulus Secundus* perfici jussit, tulitque coepti operis honores, *Sixtus IV* jubilea concessit fabricae juvandae causa, e quibus ingentes redactae sunt eleemosinae, et mirum in modum auctus peregrinorum undique accursus, cum praesertim jubilea ejusmodi quampluribus annis consequentibus indulta fuerint. *Julius* deinde *II* Templum ab Hieronymo Roboreo Cardinali et Recanatensi Episcopo perfectum, ejusque bona et ministros sanctae Sedi immediate

subjecit anno 1507. die 21. Octobris, Aediculam sacram Cappellam Pontificiam fore declaravit, coepitque Palatium insigne Templo conjunctum extruere. *Leo X* opus prosecutus est, qui et principem Cappellam sive Almam Domum exquisitis marmoribus incrustandam, sculptisque signis nobilitandam curavit, adauctisque ecclesiasticis administris, qui divinum pensum urgerent, Collegium Canonicorum instituit. *Clemens* deinde *VII*, et *Paulus III* certatim Ecclesiam exornarunt. *Julius III* praeter ea, quae ornatus utilitatisque gratia ibi constituit, Poenitentiarios addidit, duodecim e Societate Jesu adhibitis patribus, qui diversarum linguarum gentium confessionibus audiendis pares essent. Neque facile quempiam succedentium Pontificum invenias, qui non aut superiorum beneficia probaverit, aut nova priscis decora adjicienda curaverit.

ORIGO ET INCREMENTA CIVITATIS LAURETANAE

CCXXXIX. E domibus, ac tabernis, quas accolae et peregrini prope Ecclesiam S. Mariae de Laureto extruxerunt, vicus paulatim exortus est, qui *Laureti* nomen, quod regionis fuerat, accepit. Excrevit is postmodum in eam, quae nunc conspicitur. Lauretanam urbem, multis quidem Italiae civitatibus, si aedificiorum spectaveris splendorem, incolarum frequentiam et amoenitatem agri, inferiorem, sed quae nulli cedat ob diviniorem, ut ita dicam, atque augustiorem, qua ob Deiparae Virginis Aedem praecellit, eminentiam.

Lauretanae villae in chartis, quae supersunt, Recanatensibus mentio occurrit ad Annum 1336.; Villae *Montisciotti* anno 1342.; villae *Cittadellae* prope fontem Carpini, quae anno 1285. castellum vocabatur, anno 1372., et villae de *Monte reali* anno 1397. Proximae fuerunt hae villae Laureto, cumque eo coaluisse videntur ineunte Saeculo XV. Profecto anno 1437. ea jam erat Laureti incolarum multitudo, ut necesse fuerit syndicos maleficiis denuntiandis constituere, finesque adsignare villae (ex Annalibus Recanatensium). Anno autem 1460. Capitaneus sive Praefectus villae Lauretanae creari coepit a Recanatensibus, in quorum agro sita erat, e nobiliori civium ordine. Huic magistratui, qui annuus erat aut semestris, commendata erat securitas loci, publici mores, ac justitiae administratio. Villam deinde Lauretanam, ut a piratis, turcisque tuta esset, moenibus auspice Leone X cinxerunt Recanatenses anno 1518. — *Pius IV* oppidum a Recanatensium jurisdictione exemit die 19. Octobris 1565. — *Pius V* exsiccatis stagnantibus aquis, apertisque viis et aerem reddidit salubriorem, utque incolis et accessu peregrinorum frequentior esset, effecit. *Gregorius* denique *XIII* a Laureto Romam versus montes apenninos pervios red-

didit, ut abscissis viarum ambagibus brevior paterent ad urbem aditus. Idem Laureti juvenum Illyriorum Collegium fundavit.

Oppidum porro insignibus adeo praerogativis a Deo Optimo Maximo illustratum, tantopere a decessoribus Summis Pontificibus virisque principibus honoratum, ac nationum universarum concursu devotionis causa frequentatum *Sixtus V.* Picens anno 1586. die 16. Martii *Civitatem* appellavit, suumque ipsi Episcopum, propriamque dioecesim attribuit [1]. Praeclarum factum prodit inscriptio ad aeternam memoriam Ecclesiae faciei incisa.

Sixtus V Pontifex Maximus Picenus
Ecclesiam hanc e Collegiata Cathedralem constituit
MD.LXXXVI. Pontif. Primo

cui haec altera subjecta est:

Sixtus V Pontifex Maximus Picenus
Lauretum Oppidum Episcopali dignitate
ornatum civitatis jure donavit
MDLXXXVI. Pontif. Primo.

CCXL. Nova Dioecesis Lauretana conflata fuit e civitatibus *Laureto* et *Recanato*, et ex Oppidis *Montis luponis*, *Montis S. Mariae in Cassiano*, et *Castri Ficcardi*, quorum primum Firmani, alterum Auximani, tertium Humanatensis Episcoporum jurisdictioni subtracta fuerunt.

Mensa Episcopo assignata est eadem, quae Praesulum Recanatensium fuerat, cui adduntur scuta annua octingenta e redditibus Sanctuarii Lauretani, quae an locum teneant canonis sive pensionis pro bonis Mensae Recanatensis, quibus Almam Domum frui voluit Julius II. an supplementum sint summae scutorum bis mille, ad quam redditus Episcopi ascendere debent ex decreto Sixti V, incompertum mihi est.

Innocentius deinde IX, ac post eum Clemens VIII (anno 1592. die 9. Februarii) Recanatensem Ecclesiam rursus in Cathedralem erectam Lauretanae aequo foedere junxerunt, ita ut idem utrique civitati praeesset Praesul, isque resideret, atque sacra solemnia faceret in utraque [2]: in publicis vero instrumentis illius Ecclesiae appellatio prior esset, de cujus rebus in iis ageretur.

---

[1] Bullam in Appendice transcriptam rursum edimus. (Append. N.° CXXXX).
[2] Confer dicenda inferius in actis Rutilii Benzonii Episcopi.

Denique Benedictus XIII Templum Lauretanum ad Basilicae honores evexit [1], eademque praerogativa nuper Pius VI denuo id exornavit.

CCXLI. *Ecclesiae Lauretanae Rectores* per ducentos fere annos extiterunt Antistites Recanatenses, ad eorum enim Mensam pertinuit, ut ex indiculo bonorum illorum, qui descriptus fuit die decima Maji 1292., e libris censualibus annorum 1408., 1412., 1420. etc. aliisque documentis quamplurimis intelligitur. Porro Episcopi, cum eadem Ecclesia etiam parochialis esset [2], Presbyterum in ea constituebant, qui et curam animarum exerceret, et oblationes fidelium colligeret [3].

Animadvertimus supra viros complures pios cum laicos, tum Sacerdotes ministerio se Virgini sponte dicasse, vitamque in domibus Ecclesiae Lauretanae communem egisse. Institutum hoc pium ne interiret, cavere voluisse videtur Nicolaus Astius Episcopus. Etenim cum anno 1458. die 6. Februarii vir nobilis Marinus Nicolai civis Recanatensis praedium quod *Bellaelucis* dicitur, Episcopo donasset . . . . . *pro sustentatione Sacerdotum et conferendis elemosynis,* Episcopus ipse praedium *Morlonghi* cum aliis nonnullis a se coemptis Ecclesiae Lauretanae concessit *cum ista con-*

---

[1] Anno 1728. die 8. Maji.

[2] Parochianos enim habuisse conceptis verbis docet Jordanus Humanatensis Episcopus in charta a Mauro Sartio et Camaldulensium Annalium conditoribus edita. Nuperius vero Parochialem Sixtus IV vocat Ecclesiam Lauretanam in bulla data 4. Maji anno 1482., qua Cappellaniam Conceptionis B. Mariae Virginis confert. Coemeterium quoque extitit olim eidem Ecclesiae contiguum, ut ex instrumento anni 1441. in actis Thomae Gabriellis de Percivallis Notarii liquido constat. Imo in ipsamet sacra Aedicula ossa reperta sunt hominum in ea sepultorum.

[3] In chartis Recanatensibus occurrunt anno 1313. *Cappellanus sive presbyter positus per D. Episcopum ad colligendas oblationes dictae Ecclesiae.*

Anno 1342. Dompnus Joannes Rector Ecclesiae S. Mariae de Laureto.

1343. Domnus Antonius Matthaei Rector etc.

1412. Dompnus Andreas Jacobi Andreae de Adria Cappellanus Ecclesiae S. Mariae de Laureto, qui cum anno circiter 1428. hospitale pecunia sua, et partim ex aere collato fundasset, titulum assumpsit *gubernatoris et administratoris domorum et hospitalis almae et gloriosae Virginis Mariae de Laureto.*

1450. D. Petrus Georgii de Tolomaeis da Teramo vir gravis et pius, cui plurima debet Ecclesia Lauretana. Huic successerunt

1473. D. Joannes Brachii Canonicus Recanatensis.

1476. D. Marcus Colae Canonicus Maceratensis.

1477. D. Antonius Pauli de Teramo Petri Praepositi Teramani ex fratre nepos, Archidiaconus Recanatensis.

1483. D. Dominicus de Sebastolis de Anguillaria Praepositus Recanatensis, *Gubernator et Vicarius almae Virginis de Laureto.* Hic ultimus fuit Gubernatorum Ecclesiae Lauretanae quos Episcopi Recanatenses, ut ipsorum vice ei praeessent, constituerunt: primus vero eorum, quos Pontifices Romani eidem Ecclesiae a jurisdictione Episcoporum exemptae praefecerunt.

ditione. quod ususfructus dictarum rerum in perpetuum totus sit pro sustentatione supradictorum presbyterorum [1] *et ceterorum omnium servientium et commorantium in domibus supradictae Ecclesiae, et pro elemosynis in perpetuum fiendis Christi pauperibus, qui veniunt ad dictam Ecclesiam.*

Sed cum in dies augeretur concursus ad Aedem Lauretanam placuit Hieronymo Cardinali Roboreo Episcopo tunc Recanatensi anno 1488. exeunte *Carmelitas reformatos Congregationis Mantuanae* advocare, qui peregrinis satisfacerent. Fuerunt hi, ut Mantuanus scribit eorumdem olim Praeses, *triginta* numero viri lectissimi, quos Senatus etiam Recanatensis ob *gloriosam optimam vitam* laudibus extulit, et contra malevolos ac detractores protexit. Verum anno 1498. ob aeris inclementiam, dispendia, aliasque causas spiritualem Almae Domus administrationem jubente Ordinis sui generali Vicario abdicarunt. Cura igitur Ecclesiae remansit penes Cappellanos, quorum numerus jam satis excreverat. Quatuordecim Cappellanos Ecclesiae Lauretanae inservisse anno 1512. comperi, quorum nomina sunt haec:

D. Venantius Petri Plebanus Montisfani.

Dompnus Paulus Dominici de Camerino Plebanus Castri Campirotundi.

D. Matthaeus Petri Ducis Canonicus Auximanus.

Dompnus Petrus Nicolai Maruschae Ungarus.

Frater Archangelus de Monte Sancto Ordinis Fratrum Minorum, vir sanctitate et doctrina conspicuus, qui teste Waddingo *Poenitentiarii* munere Laureti functus est.

D. Laurentius Cortonensis.

Dompnus Angelus Perijacobi de Donatis de Monte luponis.

---

[1] Horum unus *Cappellanus* erat Episcopi, sive *Gubernator* Ecclesiae, *Sacristae* alius, alius *Cantoris* munia obibant. — Ex testamento domni Georgii Georgii Ungari Rectoris Beneficii Trium Magorum, quod habetur in Regesto testamentorum Hieronymi Nicolai Notarii Recanatensis ad annum 1466. die 30. decembris discimus, Sacerdotes illos solitos fuisse *officiare ac Missas et alia divina officia continue dicere in altari et Cappella praefatae Ecclesiae.*

Anno 1473. mortuo Petro Georgii Praeposito Teramano, qui habuerat claves *argentariae* sive thesauri, electus fuit e cappellanis unus, qui dato fidejussore pro 1000. ducatis *thesaurum custodiret, ac peregrinis pro more ostenderet.*

Poenitentiarios, qui tempore generalis indulgentiae, quam Ecclesiae Lauretanae concesserat Sixtus IV., fideles a peccatis reservatis absolverent annuente Pontifice eligebat Episcopus. Quo munere functus est anno 1488. Stephanus Joannis Francigena Canonicus Auximanus, vir, Baptista Mantuano teste, purioris vitae, cui Auximi quoque, dum indulgentiam, ut vocant, generalem huic civitati concederet, indulsit idem Pontifex, ut *ipse solus* homicidas absolveret. (Compagnoni Memorie della Chiesa Osimana T. IV.)

Dompnus Berardinus Antonius de Castro Campirotundi *Custos Cappellae Almae Virginis.*

Dompnus Joannes Baptista Petri Matthaei de Ciattonibus Recanatensis.

Dompnus Petrus Antonius de Martinellis de Carpo.

Dompnus Michael Burgensis.

Dompnus Michael Albanensis de Castro Ferretti.

Dompnus Franciscus Venantii de S. Anatolia.

Dompnus Rubertus Joannis de Fano *Sacrista.*

CCXLII. Tandem Leo X die 10. decembris anno 1514. *Collegium* in Ecclesia Lauretana *duodecim Canonicorum* instituit, quibus adjunxit Mansionarios totidem, et Clericos sex, qua de re fusius in vita Thesei de Cuppis Episcopi disputavimus, ubi nomina quoque descripsimus primorum Capituli Lauretani Canonicorum. Ea vero fuit Protectorum Almae Domus potissima cura, ut Collegium viris pietate ac doctrina insignibus floreret. *Non curava,* de Joanne Matthaeo Giberto Episcopo Veronensi inquit Nicolaus Bargilesius in libro: *discorso della Historia della S. Chiesa et Casa di Loreto*, edito Venetiis Anno 1566., *non curava che un luoco di collegiati vacasse uno e due anni per poter procurare di aver persone idonee et atte al luogo*[1].

---

[1] Viros illustres qui Capitulum Lauretanum ornarunt, complures indicat laudibusque extollit idem Bargilesius.

Eruditione claruerunt inter ceteros *Joannes Maria Blondius* Sangenesinus Archipresbyter Ecclesiae Lauretanae, de quo vide Telesph. Benigni in Commentario de rebus Oppidi Sangenesini (Antich. Picene T. 23. pag. 202).

Bernardinus Cyrillus Aquilanus primum quidem regiae Camerae Neapolitanae Scriba, Protonotarius deinde ac Secretarius Apostolicus, ab anno 1555. ad 1562. Ecclesiae Lauretanae Archipresbyter, qua dignitate dimissa Canonicus fuit Romae Basilicae S. Mariae Majoris, et Commendatarius Hospitalis S. Spiritus in Saxia. Annales scripsit civitatis Aquilanae editos Romae anno 1570. in 4.° — et epistola ejus extat admodum erudita de Missis, ut ajunt, musicalibus inter epistolas a Pinio collectas T. IV. pag. 199., quae seorsim quoque prodiit. Amico usus est Annibale Caro, cujus est epistola ad Cyrillum.

Vir hic insignis anno 1558. Praefectus aliquamdiu fuit Palatio Pontificio (Maggiordomo), ac Vicarius Generalis Firmi 1554., cumque civibus suis honoris caussa adscripserunt Recanatenses An. 1566.

Cyrillo coaevus fuit *Joannes Baptista Flavius* Aquilanus, a secretis olim Thomae de Vio Cardinalis Cajetani, Praefectus Bibliothecae Sacri Palatii, vir doctissimus, de quo post alios Crescimbenius T. V., Quadrius etc.

Canonicum Lauretanum fuisse testis est, quem laudavimus, Bargilesius.

Fulvius Androtius Monticulanus Legum Doctor, et Praetor anno 1547. Sanginesinus; hic dimisso Canonicatu Societati Jesu nomen dedit anno 1555., obiitque anno 1575. dum Collegio Ferrariensi praeesset, octodecim annos eo munere functus. De viri sanctitate ac libris plura vide in Bibliotheca Picena Auximi edita.

Nec minus cordi fuit Capituli Lauretani decor Cardinali Julio Feltrio Roboreo, qui non solum in Constitutionibus pro Ministris Almae Domus editis Anconae anno 1576. legem sanxit, *Canonicos*, aut saltem eos, qui priores duas dignitates obtinent, esse debere Doctores, aut Licentiatos: Canonicos nullos fore deligendos, nisi qui trigintaquinque. et Mansionarios, nisi qui triginta annorum aetatem attigissent, quique poenitentiam administrandi rationem non qualemcumque, sed quae pro hujus loci conditione sit valde conveniens, optime perspectam habeant etc.; sed etiam Capitulum duabus dignitatibus, *Praepositi* scilicet ac *Decani*, et totidem Canonicatibus auxit, et Clericatus quaternos octonis, qui tunc existebant, addidit.

Dignitatum nomina Sixtus V anno 1586. immutavit, ita ut qui antea Archipresbyter, Archidiaconus, Praepositus, atque Decanus vocabantur, ii deinceps *Archidiaconus*, *Archipresbyter*, *Primicerius*, et *Thesaurarius* appellentur. Jus Archipresbyterum eligendi penes gentem suam *Perettiam* esse voluit.

Anno 1608. die 27. Junii Margarita Marinifrancisci Celsii Monteluponensis filia, Baptistae Carradorii uxor Canonicos quatuor e bonorum suorum fructibus alendos institui post obitum jussit in testamenti tabulis scriptis per Pandulfum Procaccinum Notarium Lauretanum, eosque praesentandi jus familiis *Celsiae* paternae, maternae de *Botanis Carradoriae* mariti, et Senatui *Monteluponensi* concessit. Quam fundationem Paulus V nono Kalend. Martii anno 1617. probavit.

Sed longiores simus, si ceteros recenseamus Canonicos Lauretanos, qui aut natalium splendore, aut muneribus ac dignitatibus praeclare gestis, aut doctrina et sanctitate enituerunt, e quibus nominasse sufficiat *Albericum de Nobilibus* Ravennatem Archidiaconum, *Joannem Franciscum Pellegrinium* Anconitanum, Cancellariae Almae Domus Praefectum, et caeremoniarum magistrum, qui Archidiaconus postea creatus est Ecclesiae Anconitanae.

Hieronymum Aquacottam Matilicatem, qui saepius rebus Lauretanis pro Gubernatore praefuit.

Robertum Bonvicinium Saxoferratensem Canonicum.

Julium Candiottum Archipresbyterum.

Volumnium Gentilutium Cassianensem Thesaurarium.

Pandulfum Putium Recanatensem Archipresbyterum.

Marcum Antonium Muccinum, qui anno 1608. 26. Octobris creatus est Primicerius Lauretanus, ac postea inter celebriores fuit S. Rotae Romanae Auditores, ac Episcopus Imolensis.

Gasparem de Lusignano e regibus Cypri genus ducentem, Archidiaconum.

E recentioribus. *Petrum Paulum Raphaelium* Cingulanum

Petrum Solarium Lauretanum

Dominicum Ciccolinium Archipresbyterum

Antonium de Gaudentibus Sirolensem Primicerium, deinde Archidiaconum.

Anno 1621. die 19. Februarii Cardinalis Jacobus Sannesius Canonicatus duos fundavit. quos testatore mortuo Gregorius XV ad unum redegit.

Anno 1661. die 19. Julii Thomas Balduccius Senogalliensis deficientibus posteris suis, quod contigit anno 1751., e bonis suis Canonicatum Laureti institui mandavit, cui redditus assignavit scutorum 300.

Denique anno 1700. die 1. Aprilis Canonicatus erectus fuit novus a Margarita Alborghetta Grumellia, jusque patronatus concessum Gubernatori urbis et Ecclesiae Lauretanae.

Canonicatus igitur Basilicae Lauretanae praeter Dignitates quatuor numerantur decem et novem, nisi quod Senogalliensis a Balduccio fundatus, et anno 1751. erectus nunc vacet, cum haereditatis illius fructus ex indulgentia Pontificis in constructionem Ecclesiae Cathedralis Senogalliensis convertantur.

E Canonicis unus, quem *Theologum* sive *Theologalem* vocant, juxta Concilii Tridentini sanctiones et Vincentii Mariae Muscettolae Episcopi canonicam institutionem quadragies annis singulis italico sermone de Scripturis sacris ad populum verba facit.

Canonicus vero *Poenitentiarius* nullus hodie est. *Primicerius* olim id muneris obibat. ut constitutum fuit in Synodo Lauretana anni 1588. titulo de S. Poenitentiaria .... *Primicerius noster Lauretanus Poenitentiarii officio fungatur, Primicerios enim de consuetudine Poenitentiarios Episcoporum esse scriptum reperimus.* Silvius Seraglius in Historia S. Domus Lauretanae parte 3. cap. 2. tradit ab Episcopis e Canonicorum numero unum Poenitentiarii officio admoveri. Quod postea in desuetudinem abiit.

Capitulo Lauretano usum Cappae et Rocchetti anno 1601. concessit Clemens VIII; anno autem 1803. Pius VII togas puniceas, et Cruces, ut ajunt, pectorales, quae sunt Praelatorum insignia, a Canonicis deferri posse indulsit iis litteris, quibus Basilicae titulum et honores a Benedicto XIII olim concessos instauravit.

Canonici satis amplos habent redditus sive stipendia, quae a die 5. Junii anno 1592. hactenus persolvuntur a Ministris Almae Domus, sublatis et Almae Domui unitis Praebendis ac Beneficiis, quae Canonici olim possederant.

Constitutiones Capituli sive leges Choralibus praescriptae extant inter decreta Synodi Lauretanae habitae anno 1626. a Cardinali Julio Roma. quae typis excusae fuerunt Laureti praedicto anno, rursumque Venetiis anno 1718.

Praeter Canonicos Basilicae Lauretanae deserviunt Beneficiati XII, Clerici chorales XII. Praefectus Musicae cum Organista et Cantoribus XVI;

Sacrariis vero, quae duo sunt, augustiori scilicet sive sanctioris Aediculae aeditui duo, Clerici tres; et Episcopali sive majoris Templi Aeditui VI., et Clerici XII.

His adde Patres Poenitentiarios Italos XII, ac praeter hos Germanum, Gallum, Hispanum, Polonum, Anglum, Belgam, Illyrium et Graecum, quorum institutio providentiae Julii III debetur. Delecti fuerunt olim e Societate Jesu, nunc e Patrum Minorum Conventualium Ordine.

Res Lauretanas inde ab anno 1507. Pontificis nomine moderabatur ex Aulae Romanae Proceribus unus, ut plurimum e S. Romanae Ecclesiae Cardinalium Collegio, *Protectoris sacrae Domus* titulo decoratus. Verum morte sublato Cardinali Paulutio Alterio, Congregationem quatuor Cardinalium instituit Innocentius XII, quae munia Protectoris impleret. Haec igitur inde ab anno 1698., uti olim Protectores, Laureto praeficit. ut ajunt, *Gubernatorem*, sive Praefectum, qui sacra ea quae ad Episcopi officium non spectant, et profana curat universa, cujusque mandatis parent Almae Domus Ministri, scilicet Cancellarius, Computistae sive rationum exceptores etc., Judices, Praesidiarii, Magistratus urbis, Architecti, Medici, Chirurgi, aliique quamplurimi.

Incolae urbis et agri septem fere hominum millia numerantur, quibus Parochi tres olim praefuere; is nempe qui sacra praebet S. Domus Ministris a jurisdictione Episcopi exemptis; ac duo alii, quos Episcopus designat, e Beneficiariis unum, e Clericis choralibus alterum, qui curam gerunt reliquae multitudinis.

Haec paucis de Civitatis, et Ecclesiae Lauretanae origine et statu Ughellium secuti disseruimus, ne videremur abrupte Praesulum, qui inde ab Anno 1586. Cathedram tenuerunt, seriem proferre. Huic tamen seriei, cum diu admodum Basilica Lauretana a jurisdictione Episcoporum cum Recanatensium tum Lauretanorum immunis fuerit, praemittendum censuimus catalogum eorum, qui Pontificis Romani nomine sive ut *Protectores*, sive ut *Gubernatores*, praefuerunt, viri plerique omnes ob virtutes, nobilitatem, ac dignitates, quas consecuti sunt postmodum, resque praeclare gestas memoria dignissimi; cui subjungimus brevem de Oppidis, quibus Lauretana constat Dioecesis, rebusque eorum cum sacris, tum profanis expositionem.

CCXLIII. INDICULUS CHRONOLOGICUS

PROTECTORUM ET GUBERNATORUM SANCTAE DOMUS LAURETANAE.

Anno 1507. die 21. Octobris Julius II P. M. Almam Domum Recanatensium Episcoporum jurisdictioni ac dominio subtraxit, eamque uti et Villam Lauretanam S. Sedi immediate subjecit.

1507. ad annum usque 1512. Antonius de Monte ad S. Sabinum. Tit. S. Vitalis S. R. E. Praesb. Cardinalis S. Domus Protector primus.

1507. *Dominicus de Sebastolis de Anguillaria* Decretorum Doctor, Capituli Recanatensis Praepositus *Gubernator.*

1509. die 27. Aprilis Julius II jurisdictionem in Villam Lauretanam Civitati Recanatensi restituit.

1512. Lucas de Aretio J. U. Doctor, *Commissarius.*

1512. die 27. Junii *Petrusantonius de Perottis de Castro Ficcardi* Ordinis S. Silvestri Prior Generalis Lauretanae Ecclesiae *Gubernator.* Creatus est Episcopus Salonensis anno 1519. obiitque anno 1520. Hic anno 1512. Ecclesiae Lauretanae Abbatiam S. Laurentii de Castro Ficcardi donavit.

1514. Bernardus Tarlatus, alias Divitius de Bibiena S. R. E. Cardinalis Tit. S. Mariae in Porticu Protector. Obiit anno 1520. mense Novembris. V. ejus vitam auctore Angelo M. Bandinio editam Liburni anno 1758.

1514. 1. Julii Cardinalis Divitius constituitur a Leone X Procurator sive Administrator Almae Domus *cum plenitudine auctoritatis.*

1518. Construuntur moenia Oppidi Lauretani.

1519. 1. Junii Card. Bernardus Bibiena creatur Administrator Almae Domus Lauretanae in spiritualibus et temporalibus, et Gubernator perpetuus Civitatis Recanatensis cum potestate Legati.

1519. *Romualdus Lucae de Massatio* Abbas S. Bartholomaei de Campo Fullonum *Locumtenens.* Obiit die 2. Augusti 1520. De eo Cl. Franciscus Menicuccius in Historia Massacii (Antiqq. Picenarum T. XX. p. 136).

1519. 1. Decembris Julianus Rodulfius Florentinus, Prior Capuanus Ordinis S. Joannis Hierosolymitani, Leonis X affinis. S. Ecclesiae Lauretanae, et Civitatis Recanatensis *Commissarius Apostolicus* cum potestate Legati.

1520. die 8. Decemb. *Raynaldus Cancellarius Episcopus S. Angeli Lombardorum* Ecclesiae Lauretanae, et Civitatis Recanatensis *Gubernator.*

1522. die 4. Maji JOANNES DOMINICUS DE CUPPIS CARD. TRANENSIS et Episcopus Recanatensis, PROTECTOR, constitutus a Collegio Cardinalium Conclavi Summi Pontificis eligendi caussa inclusorum.

1522. die 2. Junii *Joannesantonius de Nobilibus de Arrone Spoletinus* Commissarius et *Gubernator* Almae Domus et Civitatis Recanatensis constitutus a Joanne Dominico Card. Tranensi, sed Laureti non admissus.

1522. die 9. Octobr. *Petrus Flores Episcopus Castelli maris Gubernator* Laureti creatus ab Adriano VI P. M.

1523. 4. Decembr. *Hieronymus Aprilis de Aversa* J. U. D. Archipresbyter Lauretanus, et *Locumtenens.*

1523. die 16. Decemb. JULIANUS RODULFIUS Prior Capuanus *Protector* iterum.

1524. die 13. Januarii Clemens VII Civitatem Recanatensem Legato Provinciae Picenae denuo subjecit: Oppidum vero Lauretanum dominatui Recanatensium subtraxit.

1525. *Marinus Georgius de Monte S. Mariae in Cassiano* Canonicus Lauretanus, et *Gubernator.*

1527. 30. Januarii *Hieronymus Mazutillus de Camerino* J. U. Doctor Archipresbyter Lauretanus *Locumtenens.*

1527. die 13. Sept. JOANNES MATTHAEUS GIBERTUS Episcopus Veronensis *Protector*. Obiit 3. Kal. Januarii an. 1543. V. opera ejus edita Veronae An. 1733. in 4.° iterumque Hostiliae 1740. in 4.°

1527. 20. Augusti *Antonius Bonsi* Commissarius generalis Marchiae Anconitanae, et Laureti *Lucumtenens*, postea Episcopus Terracinensis.

1527. 13. Septemb. *Benedictus Bontempus* Florentinus J. U. D. Almae Ecclesiae et Oppidi Lauretani *Gubernator.*

1528. 17. Septemb. *Alexander de Presbyteris* Canonicus Lancianensis *Gubernator* J. U. D.

1530. 7. Junii *Antonius Benolus* sive Binnoli J. U. D. et Protonotarius Archidiaconus Ravennatensis *Gubernator.*

1531. 23. Junii *Joannes Antonius de Statis* Romanus Canonicus Basilicae Vaticanae *Gubernator.*

1533. 11. Octobris *Bernardus Zenzanus* Mutinensis *Locumtenens.*

1534. *Antonius Cornazzanus Gubernator.*

1534. die 21. Decembris *Alexander Argolus de Tagliacozzo* Episcopus Terracinensis *Gubernator immediatus.*

1536. 19. Februarii restituitur Civitati Recanatensi jurisdictio in Lauretum a Paulo III.

1538. die 18. Decemb. GASPAR Tit. S. Balbinae Praesbyter Cardinalis CONTARINIUS *Protector.* Obiit anno 1542. 1. Septembris.

Absentis vices obiit a die 17. Junii 1541. *Petrus Cardinalis Bembus.*

1540. 8. Martii *Galeatius Fiordimonte Clericus Suessanus Locumtenens,* qui postea creatus est Episcopus Aquinas.

1542. 24. Maji *Franciscus de Carpio Locumtenens.*

1542. 14. Septembris RUDOLFUS PIUS DE CARPIO CARD. *Protector*, obiit anno 1564. 6. nonas Maji.

Hic Saecllum S. Corporis Christi opere marmorato atque inaurato adornavit. Cleri populique mores composuit. Collegii Societatis Jesu fundandi auctor fuit. Multa et egregia in Ecclesiam Lauretanam dona contulit. De eo vide Maracci in Purpura Mariana pag. 405.

1544. 13. Februarii *Ludovicus Vannini Theodoli Foroliviensis* Episcopus Scalensis, postea Britinoriensis *Locumtenens.*

1545. Kal. Aprilis instituitur Ordo 101. Equitum Lauretanorum, quibus Kalend. Martii adjecti alii quinquaginta.

1550. *Hieronymus Acquacotta* J. U. D. *Matelicas* Canonicus Lauretanus, *Locumtenens.*

1551. 15. Novembris *Gaspar de Doctis* Venetus U. J. D. Protonotarius, *Gubernator*, qui et 1562. Archipresbyter.

1554. 1. Novembris instituuntur Poenitentiarii Jesuitae quatuordecim.

1556. 30. Novembris fundatur Collegium Societatis Jesu, quod confirmavit die 18. Januarii 1561. Pius IV.

1557. 7. Augusti *Andreas Luxiardus Canon.* Lauret. *Locumtenens.*

1558 19. Martii *Hieronymus Acquacotta Matelicas*, J. U. D. Canonicus Lauretanus *Locumtenens.*

1562. 2. Aprilis Epistola Joannis Episcopi Conimbricensis de lapide ex Alma Domo a se ablato etc. (descripta in Annalibus Recanat. An. 1562.)

1562. 5· Sept. *Lauretus Lauri* de Spoleto Protonotarius Apostolicus, *Gubernator.*

1564. 10. Maji JOANNES MORONUS Card. *Protector.* Renuntiavit officio reservato sibi jure regressus.

1564. 25. Sept. *Pompejus Pallanterius* Protonot. Apost. J. U. D. *Gubernator.*

1564. 5. Decembris JULIUS FELTRIUS DE ROBORE Cardinalis Praenestinus *Protector.* Obiit 3. nonas Septembris anno 1578.

Hic supellectilem sacram auxit. Odeum novum extruxit. Eximios undique Cantores accivit. Sodalitia tria (Bonae mortis, SS.

Nominis Jesu, et SS. Rosarii) constituit. Statuas Sybillarum, et quatuor Templi valvas aeneas faciendas curavit; publicam Bibliothecam fundavit. Musionem submovit. Lacunas exsiccavit. Vias stravit. Xenodochium aedificavit excipiendis hospitio foeminis. Pro Ministris Almae Domus edidit constitutiones confectas Laureti die 22. Novembris 1575., impressas Anconae An. 1576. Pacta cum Recanatensibus iniit, quibus diuturnae discordiae finem imposuit etc.

1565. 19. Octobris Pius IV Recanatenses jurisdictione in Oppidum Lauretanum privat.

1566. 6. Aprilis *Joannes Baptista Maremonti* J. U. D. *Locumtenens.*

1566. 18. Novemb. *Baldus Venturelli Forosempronienşis* Proton. Apost. J. U. D. *Gubernator* obiit Laureti.

1569. 7. Junii *Joannes Franciscchelli de Monticulo* Archipresbyter Lauretanus *Locumtenens.*

1569. *Joannes Boccalinus* Architectus faciem Templi Lauretani extruere incipit.

1569. *Robertus Saxatellius Imolensis* Referendarius Apostolicus *Gubernator*, Sacerdotio initiatus Laureti anno 1571. mense Martio, deinde Episcopus Pisaurensis.

1571. 9. Februarii *D. Joannes Franciscchellus* Archipresbyter, *Locumtenens* in spiritualibus et temporalibus.

1576. 8. Julii *Julius de Amicis* Aesinas J. U. D. et S. D. N. Referendarius, *Gubernator.*

1578. die 25. Octobris Joannes Moronus Card. *Protector* iterum.
Obiit 4. Kal. Decembris 1580.

1578. 25. Octobris *Vincentius Casalius Bononiensis* Protonot. Apost., Canonicus Templi Vaticani, postea Episcopus Massae sive Populoniae, *Gubernator.*

Hospitale aedificavit. Historiam Translationis Almae Domus in omnes fere Europae linguas translatam parietibus Templi appendi jussit.

1580. 16. Julii Gregorius XIII indulgentias Ecclesiae Lauretanae concessas confirmat, et ampliat: tollit Episcopo Recanatensi jurisdictionem spiritualem in Ecclesiam Lauretanam majorem. Collegium Illyricum triginta juvenum constituit, quibus postea Urbanus VIII Bulgaros decem adscripsit. His uti et juventuti Lauretanae tradebantur a Jesuitis omnium artium et scientiarum humaniorum elementa.

1580. 11. Decembris Philippus Vastavillanus Card. Gregorii XIII Nepos, *Protector*. Obiit die 17. Augusti 1587.

1583. 8. Octobris *Vitalis Leonorius* Canonicus Bononiensis *Gubernator.* Hic e fundamentis extruxit Palatium rurale in regione S. Hieronymi.

1586. 16. Martii Ecclesia Lauretana in Cathedralem erigitur, eique dioecesis adsignatur a Sixto V P. M. — Oppidum Civitatis nomine, et honoribus insignitur.

1587. 22. Augusti ANTONIUS MARIA GALLUS Auximas, Cardinalis Ostiensis *Protector*. Obiit die 30. Martii An. 1620.

Hic leges ac jura descripsit creandorum Laureti Magistratuum. Montem Pietatis condidit. Quingenta fere scutatorum millia in aedificia, aquaeductus, fontes, et in Templi ornamenta insumpsit. Pro Sacristia sola, quam Thesauri vocant ♂ 100000. expendit, alter a Sixto V Civitatis Lauretanae parens juremerito dicendus: honorum ejus atque utilitatum adeo studiosus, ut Metropolin Provinciae efficere eam aliquando cogitaverit. Rem narrat Amianus Hist. Fan. Lib. 1. pag. 229.

1587. 24. Augusti *Joannes Franciscus Galli* patruus Cardinalis Galli, Protectoris, *Gubernator*. — Templi faciem absolvit.

1588. *Hieronymus Gabutius* Maceratensis sive de Monte Alboddo, *Gubernator*.

Hic viam Montis realis aperuit, Hospitalia erexit etc. Mortuus est Laureti teste Silvio Serraglio anno 1588. 8. Maji.

1588. die 21. Septembris Synodus Lauretana prima.

1589. 2. Augusti Sixtus V Civitati Lauretanae agrum adjecit.

1590. 9. Januarii Comes *Andreas Bentivolius* Bononiensis *Gubernator*.

1590. 6. Octobris *Fulvius Paulutius* Perusinus Protonotarius Apostolicus *Gubernator*.

Hic famis atrocissimae tempore magnam panis copiam egenis distribuit quotidie.

1591. Clemens VIII indulgentias Templo Lauretano in stata quaedam tempora concessas, uti et facultatem a quibusvis delictis absolvendi perpetuas esse jubet.

1592. 22. Aprilis *Joannes Franciscus Galli* Auximas *Gubernator* iterum.

1592. Synodus Lauretana secunda.

1593. Synodus Lauretana tertia.

1594. Suam Horatius Tursellinus conscribit Ecclesiae Lauretanae Historiam.

1595. Festum translatae in Picenum Almae Domus Clemens VIII solemni ritu celebrari permittit.

1599. Kal. Januarii *Philippus Bartella* Perusinus (juxta Cinellium *Bartoli*) Protonot. Apostolicus, *Gubernator*.

1600. 24. Augusti *Tiberius Orfini* Fulginas Protonot. Apost. *Gubernator.*

1601. 18. Maji *Franciscus Bassi* Ravennas, qui sororem Cardinalis Galli uxorem habuerat, eaque mortua Sacerdotio initiatus fuerat, *Gubernator.*

18. Martii 1602. Clemens VIII Clerum Recanatensem annua supplicatione Laureti advenientem honorifice, more a majoribus accepto, a Clero Lauretano excipiendum esse decernit.

1607. *Rutilius Matuccius Locumtenens.*

1607. 19. Sept. *Tiberius Petronii* Romanus Protonot. Apost. *Gubernator.*

1614. 19. Julii *Isidorus Matuccius* Auximanus Archidiaconus Lauretanus, et *Stephanus Delfinus* Canonicus, *Locumtenentes.*

1614. 22. Novembris *Octavius Orsini* Romanus utriusque Signaturae Referendarius Episcopus anno 1621. Venafranus, *Gubernator.*

1620. 1. Aprilis Scipio Burghesius Card. *Protector.*

Obiit die 2. Octobris 1633.

Hic aquaeductus perfecit: Lauretanae Aedi decem scutorum millia reliquit.

1620. prid. idus Julii Paulus V Almam Domum a potestate Episcopi Lauretani eximit.

1621. 3. Julii *Marcellus Pignattelli* Episcopus Aesinus *Gubernator*, quo mortuo

1621. 10. Octobris *Octavianus Fighini* Mediolanensis Visitator Apostolicus *Gubernator.*

1622. 20. Aprilis *Tiberius Cencius* Romanus Episcopus Aesinus, ac demum S. R. E. Cardinalis, *Gubernator.*

1626. 16. Kal. Martii Paulus V fundationem probat quatuor Canonicatuum Celsianorum.

1632. 29. Novembris Festum Translationis Almae Domus in tota Provincia Picena celebrandum esse statuitur. (Decr. S. Congreg. Rit.)

1633. die 5. Octobris Antonius Barberinius Card. *Protector.*

Obiit anno 1671. 3. Augusti.

Hospitium extruxit PP. Capuccinorum.

1633. 10. Decembris *Aemilius Alterius* Romanus, Episcopus primum Camerinensis, deinde Pontifex Maximus Clemens X, *Gubernator.*

1635. 24. Januarii *Petrus Martyr Merlinius* Foroliviensis *Gubernator.*

1640. 20. Octobris *Franciscus Cajetanus* Romanus, utriusque Signaturae Referendarius, *Gubernator.*

Joannes Baptista Pallotta Card. *Comprotector.*

Carolus Card. Barberinius *Comprotector* (Serragli).

1650. *Dominicus Filippucci* Maceratensis, *Gubernator* (Serragli).
1650. *Carolus Andreas Dondini* utriusque Signaturae Referendarius, Abbreviator Parci majoris, *Gubernator.*
1653. 9. Octob. ANTONIUS BARBERINIUS CARD. *Protector* iterum.
1654. 8. Martii *Sebastianus Gentilis* Fulginas Episcopus Anagninus, *Gubernator.*
1656. *Vincentius Carolus de Ottonibus* Matelicas Patritius Romanus, utriusque Signaturae Referendarius, *Gubernator.*
1669. 1. Januarii *D. Carolus Vaini* Romanus Archiepiscopus Nicaenus, *Gubernator.*
1671. 8. Augusti PALUTIUS ALTERIUS CARD. *Protector.*
Obiit die 5. Augusti An. 1698.
1671. 12. Septemb. *Marcellus Durazzi* Archiepiscopus Chalcedonensis, Praelatus Domesticus, et Assistens S. D. N. P. *Gubernator et Visitator.*
1672. 28. Junii *Joannes Bussi* Romanus, postea Cardinalis et Episcopus Anconitanus, *Visitator et Gubernator.*
1675. 27. Novemb. *Laurentius Butii* Romanus, *Gubernator.*
1682. 9. Maji *Raymundus de Ferrettis* Anconitanus, postea Episcopus Recanatensis et Lauretanus, ac demum Archiepiscopus Ravennatensis, *Gubernator.*
1691. 22. Decembris *Petrus Dominicus de Jarente la bruyere de Cabanes* Avenionensis; Obiit 5. Kal. Sept. 1692., *Gubernator.*
1692. Octobr. *Philippus Antonius Gualtieri, Gubernator.*
1695. 15. Junii *Mutius de Cajeta* Neapolitanus, *Gubernator.*
1698. 22. Februarii *Joseph Firrao* Neapolitanus, postea Cardinalis, *Gubernator.*

1698. 5. Augusti Innocentius XII mortuo Palutio Alterio Cardinali Protectorum munus sustulit, rebusque Almae Domus praefecit *S. Congregationem*, quae *Lauretana* dicitur.

GUBERNATORES QUI EX DIPLOMATIBUS SUMMORUM PONTIFICUM LAURETI PRAEFECTURAM CONSECUTI SUNT.

1701. 11. Junii *Bente Bentivolius* Bononiensis.
1703. 5. Januarii *Fabritius Augustini* Foroliviensis.
1706. 12. Octobr. *Philippus Spada* Visitator Apostolicus Episcopus deinde Pisaurensis.
1709. 27. Junii *Ranerius d'Elci* Senensis postea Cardinalis.
1710. 26. Sept. *Franciscus Maria Barbarigus* Venetus.

1712. 10 Octob. *Melchior Maggi* Urbinas utriusque Signaturae Referendarius, Canonicus Basilicae Vaticanae.

1721. 11. Januarii *Agapitus Mosca* Pisaurensis postea Cardinalis.

1726. 15. Novembris *Hercules Marliani* Mediolanensis.

Benedictus XIII Ecclesiae Lauretanae honores ac titulum Basilicae decrevit, aut verius dixerim restituit, die 8. Maji an. 1728.

1726.-1730. 23. Sept. *Joannes Baptista Barni* Visitator Apostolicus, postea Cardinalis.

1730. 17. Octobr. *Fabritius Serbelloni* postea Cardinalis.

1731. 21. Augusti *Alexander Faroldi Alberoni* Placentinus.

1743. 16. Novembris *Joannes Octavius Bufalini* postea Cardinalis.

1747. 12. Maji *Joannes Baptista Stella* Patritius Bononiensis utriusque Signaturae Referendarius, Protonotarius Apostolicus.

1758. 28. Januarii *Bernardinus Honorati* Aesinus, postea Archiepiscopus Sidae, Episcopus Senogalliensis, et S. R. E. Cardinalis.

1759. 19. Decembris *Joannes Potentiani* postea Gubernator Urbis.

1766. 1. Octobris *Felix Faustinus Savorgnanus* Venetus.

1770. 10. Novembris *Philippus Casoni* Genuensis, nunc S. R. E. Cardinalis.

1785. *Aloysius Gazzoli* Interamniensis utriusque Signaturae Referendarius, Protonotarius Apostolicus, Praelatus Domesticus, nunc S. R. E. Cardinalis.

1789. *Franciscus de Celano* Neapolitanus.

Anno 1798. die 28. Januarii copiarum Gallicarum, quae Romani Pontificis Provincias occupaverant, Duces, Francisco de Celano Gubernatore una cum militibus praesidiariis Anconam abducto. Senatum Laureti constituerunt, ut ajunt, municipalem, quod regiminis genus obtinuit usque ad diem 4. Augusti anni 1799. Abolevit illud Populus Picenus, cum duce Lahoz jugum Francicum excussit.

1799. *Joannes Franciscus Marefoschius Compagnonius* Lauretanae Urbi praefectus ab iis. qui Francisci II Romanorum Imperatoris nomine res publicas Provinciae Picenae ad reditum usque Pontificis administrabant.

1799. *Vincentius Paccaronius* Firmanus Ord. S. Benedicti Episcopus Constantiensis *Pro-Gubernator*.

1800. *Felix Paulius* Episcopus Lauretanus et Recanatensis, *Pro-Gubernator*.

1802. Die 9. Decembris Statua Virginis Sanctissimae curante Pio VII S. D. N. maxima cum solemnitate Sacello restituitur.

1803. *Joannes Alliata* Pisanus Gubernator et Visitator Apostolicus.

CCXLIV. Superest ut de Oppidis ad Lauretanam Dioecesin spectantibus exponamus. Sunt autem haec tria, Castrum Ficcardi, Castrum Montis Cassiani. et Castrum Montis Luponis, quae incolarum habent octona et amplius millia.

I. **Castrum Fidardi**, sive ut olim vocabatur *Ficardi* agris Auximano, Sirolensi, Humanatensi et Recanatensi conterminum est, ac territorio gaudet satis amplo et uberi. Cum esset olim Humanatensis dioecesis et Comitatus pars, eadem fere cum Humana perpessum est infortunia. Et antiquiorum quidem ejus fatorum memoriam tempus delevit. Saeculo undecimo Humanae *Comitatum* sive judicum et Comitum Sedem *Auximi* constitutam fuisse cartae veteres quamplurimae demonstrant. Iidem postea *Anconam* se contulisse videntur. Hinc enatae sunt exeunte saeculo duodecimo contentiones sane diuturnae Auximates inter et Anconitanos, utri Castrum Ficardi subjectum sibi haberent.

Anno 1193. Gentilis Episcopus Auximanus Reliquias SS. Martyrum Victoris, Coronae et Philippi ex Ecclesia S. Victoris, quae in agro Ficardensi olim sita fuit, ut eas in tuto poneret, Auximum transtulit.

Anno 1196. Castroficardenses amicitiam perpetuam cum Auximanis junxerunt, polliciti nunquam se *Pallium* sive munus annuum panni serici (subjectionis id tessera erat) Anconitanis oblaturos. Comprehensi etiam fuerunt in foedere, quod An. 1198. Anconitani cum Auximanis inierunt.

Sed amicitia haec parum firma fuit. Anno enim 1199. Socii fuerunt Ficardenses Anconitanorum et Recanatensium, qui internecinum bellum Auximanis inferebant. Composita equidem fuit pax anno 1202. Pulverisiae. Sed neutiquam cessarunt odia. Persistebat enim An. 1212. foedus *Recanatensium* et *Castroficardensium* adversus Auximates, quibus biennio post Aldobrandinus Marchio Estensis et Anconitanus et Castri ipsius excidium et agri ejus dominium liberaliter promisit. Haec e monumentis Auximanis deprompsimus. Et ex Archivo Cingulano foedus habemus anno 1216. ab incolis Castri ficardi initum cum Anconitanis, Cingulanis, Recanatensibus et Humanensibus, quo freti malum istud extremum, quod Marchio comminatus fuerat, tunc quidem effugerunt. Destructum tamen fuit Castrum circa annum 1240. a Teutonicis ac Saracenis Friderici II Imperatoris militibus.

Postquam e ruinis resurrexit, descivit anno 1264. a Pontifice Romano ad Manfredum Siciliae Tyrannum: Quare Pontifex Oppidum exscindi, atque incolas Auximum transduci jussit, sed isti poenitudine ducti pactis cum Auximano populo initis cladem averterunt.

Anno 1316. foederati sive *liga amicorum* agrum vastarunt, ac molendina demoliti sunt.

Anno autem 1354. Castrum ipsum a celebri praedone Morreali expilatum est. Malatestarum deinde imperium expertum est ab an. 1407. ad annum usque 1426.

Recruduit Anno 1444. contentio de dominatu Castri Ficardi inter Anconitanos, Auximates, et Recanatenses. Sed Cardinalis Dominicus Capranica Apostolicae Sedis Legatus S. Sedi id immediate subjectum fore definivit, cui sententiae mense demum Decembri An. 1450. illi acquieverunt.

Anconitani tamen rursum An. 1527. die 27. Junii Castrum vi occuparunt, pulsisque iis, qui sibi adversabantur, suae subjecerunt jurisdictioni, tenueruntque ad diem usque 28. Decembris, qua cives arreptis armis in libertatem se vindicaverunt.

Anno sequenti foedus initum est cum Auximanis, quod An. 1533. confirmavit Clemens VII. Sic denique pax restituta est, Oppidumque sub immediato S. R. Ecclesiae dominio conquievit. Sixtus V Anno 1586. a Dioecesi Humanatensi abstractum Lauretanae annexuit.

Hae Castri Fidardi vicissitudines.

Ecclesia princeps Oppidi *S. Stephano* dicata est, cui unitae fuerunt Saeculo XIII, aut XIV, Ecclesiae S. Victoris, S. Peregrini, et S. Jacobi; anno autem 1639. Ecclesiae S. Abundii, et S. Mariae de Mucchia. Adjuncti tunc fuerunt *Plebano*, qui Ecclesiae praeest. Sacellani octo, qui Canonicorum instar quotidie ea, quae sunt cultus divini, peragerent. Anno demum 1743. 6. nonas Octobris *unio* haec Sacerdotum conversa fuit in *Collegium Canonicorum* quatuordecim, quorum caput *Praepositi* nomine ac dignitate ornatur.

Animarum curam inde ab An. 1764. gerunt Sacerdotes duo, qui *Parochi* dicuntur subjecti Praeposito.

Plebanum designarunt An. 1373. nobiles viri Mannutius Puccepti, et Rolandus Lippi, apud quorum posteros eorumve donatarios jus Praepositum et quinque ex Canonicis nominandi ad nostra usque tempora remansit. Alios quinque Canonicos designant Ghirardelli, Sperae, Riccardinii, et Brancaleonii cives Ficardenses: ceteros Episcopus jure ordinario constituit.

Reliquas Castri Fidardi Ecclesias breviter recensebimus.

Sunt autem intra Oppidum ipsum.

1. Ecclesia *S. Abundii* Parochialis olim. cujus meminerunt monumenta An. 1290., unita Plebi an. 1639.

2. Ecclesia *S. Antonii*, ubi Oratorium Sodalitii, cui a *morte* agnomen est. Prioratus olim fuit ad Monasterium Avellanense pertinens, unitus plerumque Monasterio *S. Anastasii* extra Oppidum sito. Utraque Ecclesia commendata fuit An. 1472. Nicolao Perotto Saxoferratensi Archiepiscopo Sipontino, easque nunc obtinet Eñus Cardinalis Casonius.

3. Ecclesia *S. Francisci*, quae est PP. Conventualium Franciscanorum, Ecclesiae Plebis sive Collegiali pene contigua.

Existebat jam anno 1271. ut ex testamento Joa. Guilelmi Tarabotti, quod adservatur in tabulario S. Catharinae Cingulano, accepimus.

Sepulti sunt in hac Ecclesia Paris Montemannus Puccepti filius, qui postquam Plebani munus viginti sex annis gessisset in Patria evectus ad Cathedram Auximanam, cui cum laude praefuit annis novem, decessit ex hac vita die 13. Sept. An. 1498., atque Athanasius Meras Armenus Romglae Episcopus, atque apud suos Vicarius Apostolicus, qui fugam ob persecutiones arripere coactus, in hoc Coenobio annos aliquot egit, obiitque anno 1788.

4. Monasterium *S. Laurentii*, cujus meminerunt monumenta anni 1290. Hujus nulla amplius extant vestigia. Unita ei fuit An. 1459. die 14. Julii Ecclesia Parochialis *S. Petri*, (e protoc. Ser Jacobi M. Petrutii Notarii Recan.) quae simul cum ipsa Abbatia dono data est anno 1507. Almae Domui Lauretanae a Petro Antonio Perotto Castrofidardensi Priore Generali PP. Silvestrinorum, ac postea Episcopo Salonensi, hujus Monasterii Commendatario; jus vero patronatus Ecclesiae S. Petri eidem Almae Domui donavit Domnus Hieronymus Petri Ciccolini anno 1521. (e protoc. D. Marini Georgii in Archiv. Almae Domus). Ab illo tempore Gubernatores Laureti Parochos S. Petri constituebant, donec PP. Augustiniani curam, quae Parochis incumbebat, animarum susceperunt. Parochia ipsa demum ab Ecclesia S. Petri, quae ruinae proxima erat, ad *S. Augustini* Templum translata est, aliisque limitibus An. 1801. circumscripta.

5. Ecclesia *S. Mariae Misericordiae*, cujus mentio fit in chartis anni 1465. Sodalitium ejusdem nominis in ea olim conveniebat, curamque gerebat hospitalis Ecclesiae annexi, quod clausum fuit An. 1759.

6. Ecclesia *S. Mariae de Muchia* olim parochialis. Juxta eam habitarunt inde ab anno 1577. Sanctimoniales Benedictinae, ad quas Ecclesia ipsa nunc pertinet, ex quo anno 1639. translata fuit cura animarum ad Templum Collegiale sive unionis.

Ecclesiae extra Oppidum sitae:

1. Prioratus *S. Anastasii* Ordinis S. Crucis de Avellana, de quo superius, ubi de Ecclesia S. Antonii.

2. Ecclesia *Annuntiationis S. Mariae Virginis Patrum Agustinianorum.*

Extructa fuit jussu ac de bonis Persimonis Perfrancisci Puccepti Montemanni nepotis et haeredis Paridis Episcopi Auximani (Archiv. S. M. Magdalenae sive B. Matthiae Matelicae). Obiit is anno 1500. nulla prole relicta. Concessa autem fuit primum haec Ecclesia Fr. Victorio Florentino Vicario Generali Ordinis Minorum et Congreg. Fr. Angeli de Clarino.

In Clarinorum locum successerunt Eremitae Augustiniani An. circiter 1560.

3. *S. Crucifixi* in solo Lateranensi aedificata An. 1589.

4. *S. Mariae Annuntiatae* sive delle Crocette.

5. *S. Mariae Apparitionis* fundata An. 1572. a Jacobo Caroli Ser Marini Marci (Ser Hilar. Malvezzi).

6. *S. Mariae Consolationis*, Beneficium in ea fundavit An. 1665. Caesar Ghirardellius.

7. *S. Mariae Suffragii*, vulgo dicta *S. Rocchetto*.

8. *S. Mariae de Ulmo* fundata An. 1585. a Joanne de Gradara.

E *Sodalitiis* S. Mariae de Misericordia, et SS. Sacramenti conflata fuit circa an. 1634. Societas *Jesu et Mariae* multis olim pietatis operibus clara, ac de patria optime merita, nunc autem pene extincta.

Sodalitia cetera sunt, Fraternitas *Mortis*, et *S. Rochi*, quibus accessit *Societas SS. Viatici* erecta An. 1801.

II. Oppidum **Montis S. Mariae in Cassiano** Patrimonium olim fuit Ecclesiae Romanae una cum vicinis Oppidis Filiorum Optrani, et Apiniani, ut in actis inquisitionis An. circiter 1270. hac super re confectis, quae in Archivo Cingulano extant, testimoniis compluribus assertum et probatum fuit. Pars igitur fuisse videtur Mons Cassianus patrimonii illius *Auximani*, quod Luitprandus Longobardorum Rex anno 742. Ecclesiae Romanae restituit, cujus vel ipsa memoria lapsu temporum ita plane intercidit, ut ne vestigium quidem ejus detexerint, qui de Patrimoniis Ecclesiae, aut de rebus Auximanis summa cum diligentia egerunt.

Castri ipsius ac gironis sive arcis Domini saeculo duodecimo fuerunt Abbates Monasterii Claraevallis de Flastra sive Cluento, uti et Ecclesiae S. Mariae, quae Castro nomen dedit, atque in arce sita est. Intelligitur hoc e chartis tribus, quae in Tabulario Cassianensi asservantur; prima scripta est anno 1165., in qua *jurium* quoque *S. Petri Apostoli* fit mentio; altera die 29. Novembris An. 1222., qua Joannes Abbas *Communi Montis S. Mariae ad* 99. *annos in emphyteusim concessit territorium quod est infra* [1] *castrum a ripa geronis usque ad retrofossum per totum circuitum gironis:* id est spatium omne, quod occupant *terzeria* sive regiones S. Michaelis et S. Nicolai [2] tertia data die 15. exeunte Martio anno 1230. qua idem Abbas Cassiano f. Comitis Petri plateas omnes, quas pater ejus *in girone* supradicto habuerat, uti et *castellare collinae* ad Mi-

---

[1] Id est: *intra*.

[2] Pensionem annuam persolverunt Abbatibus Cassianenses ad An. usque 1458. quo eam persoluto praetio redemerunt.

noculam situm cum ejus curte emphiteutico jure locavit, amore Dei, ac pauperiem ejus miseratus.

Quartam partem Castri An. 1151. (ita enim legendum est) Comes Petrus Comitis Cassiani filius, atque Adolasa Comitissa filiis Pagani Baroni et Gualfredi juxta pacta inter majores inita possidendam confirmaverunt.

Nonnulla etiam in eodem Castro jura et fundos habuit Ecclesia Auximana, quae idem Petrus Gentili Episcopo Auximano illaesa servaturum se spopondit.

Exorta sunt paulo post bella atrocissima, quibus imminuta Caesarum potentia civitates libertati, finibusque restituendis proferendisve, id est opprimendis nobilibus atque castellis operam dabant, Pontificesque Romani usurpatas ab aliis ditiones ac patrimonia recuperatum ibant. In eo bello Recanatenses inito foedere cum Anconitanis et Cingulanis adversus Auximates exsciderunt castella, sive Oppida Montis Cassiani, Montis Fani, et Montis Zarii, quod ea forsitan Ricinatensis Coloniae agro olim comprehensa fuisse existimarent. Translati fuerunt incolae Recanatum. Qui vero Auximatium partes sequebantur (coloni aut vassalli Ecclesiae S. Leopardi) profugi oppidum novum *Montisurbani* condiderunt in colle, qui adhuc pristini nominis aliquid retinens *Mons Libani* dicitur, ea in parte, quae finibus Appiniani adjacet, ubi Ecclesiae olim extiterunt *S. Salvatoris et S. Petri*, renovaruntque mense Septembris An. 1199. pacta, quae cum Gentile Episcopo Auximano pepigerat Comes Petrus, spondentes pallium se quotannis oblaturos Beato Leopardo, Episcopum defensuros, bellique et pacis socios fore (Fanciulli in Observ. Crit. pag. 697).

Pax inter Recanatenses et Auximanos facta est anno 1199. 17. Novembris, jussique in Oppida sua reverti qui Recanatum abducti fuerant. Post pacem denique An. 1202. Pulverisiae sancitam incolae etiam novi castri Montis Urbani in patriam redierunt; nec diu postea (An. 1205) Cassianus Comitis Petri filius pacta cum Auximanis a patre olim inita confirmavit. Insuper promisit *pallium deferre annuatim in festo S. Leopardi, facere guerram et pacem, exercitum et parlamentum ad mandatum Episcopi et Potestatis Auximani, item Consules et Potestatem nisi iisdem consentientibus non creare, collectas dare, ac Sacramenta singulis quinquenniis renovare.* (Martorelli Mem. Istoriche di Osimo pag. 143.) sive, quod idem est, Castrum Cassianum Auximatium dominium agnoscere, iisque subditum fore professus est. Invitum porro haec atque vi coactum egisse Cassianum existimare fas est, idque sacramentum minime curasse Cassianenses, neque enim postea illius ratio unquam habita fuit. Aldobrandinus Estensis et Marchiae Anconitanae Marchio in privilegio Auximanis concesso anno 1214. ubi Castra ipsis subjecta enumerat, de Cassiani Monte tacet. (Mar-

torelli l. cit. pag. 96.) Quod in Bulla etiam Urbani IV data Viterbii 2. Idus Novembris An. 1261. observatur (Martorelli pag. 122.) Nicolaus vero IV An. 1291. 4. Kal. Julii jus, quod habebant Cassianenses, Potestatem ceterosque Magistratus juri dicundo eligendi confirmavit, ac post eum Andreas Thomacellius Marchiae Anconitanae Marchio Ann. 1393. et Ludovicus Cardinalis Aquilejensis in capitulis anno 1445. confectis.

Subjectum equidem fuit aliquamdiu Castrum Malatestis Pisauri, et Varaniis Camerini Dominis, iterumque anno 1411. Malatestis Ariminensibus; verum paucis annis ea servitus tenuit.

Anno 1418. (si fides habenda sit Nicolao Panormitano Consil. 104. part. 2.) Recanatensium paucorum dierum an mensium subiit dominatum, quorum etiam Dioecesi sub Nicolao Astio Episcopo uniri petiit.

Auximani An. 1452. subjicere sibi Montem Cassianum tentarunt; sed frustra. Perstitit enim ad nostra usque tempora sub immediata Sanctae Sedis gubernatione.

Sacris praefuerunt olim Episcopi Auximani, nunc autem iis praesunt Lauretani auctoritate Sixti V P. M., qui An. 1586. Deiparae Virginis Aedem Praesule ac Dioecesi propriis decoravit. Montecassianenses eo honore prae ceteris digni visi sunt, quippe quorum praecipuus erga Lauretanam Ecclesiam amor omnibus esset notissimus. Adire eam solent quotannis solemni supplicatione feria secunda Paschatis, cjusque moris inde ab anno 1471. extant monumenta. Lampadem ardere voluerunt ante S. Virginis Iconem, quam suis expensis inde ab anno 1500. alunt, ut millena alia taceam animi Cassianensium Mariae Lauretanae devoti specimina.

Historiam Oppidi Cassianensis fusius enarrat Angelita Scaramuccius in libello de origine ac interitu Ricinae, ac de ortu et fatis castri Montis S. Mariae in Cassiano edito Laureti 1638. 12.

Ecclesiae intra Oppidum sitae sunt:

1. Vetustissima Ecclesia *S. Mariae* in coelos Assumptae dicata, a qua Oppidum ipsum denominatur, atque in girone sive summitate collis extructa *Plebis*, ut ajunt, praerogativa compluribus saeculis eminuit. Numerosus in ea Clerus ante hominum memoriam ad laudes Deo canendas sacraque facienda conveniebat. Quare saepius actum fuit (Anno 1510. 1591. 1603. 1619. et 1628., ut ex actis publicis constat) de instituendo in ea Canonicorum Collegio. Cantabant Clerici Beneficiarii An. 1587. diebus dominicis et festivis Missae et Vesperarum officia, diebus lunae Sacrum pro Defunctorum animabus, ac sabbatis in honorem Deiparae Virginis faciebant. Isque mos anno adhuc 1693. perdurabat. (Acta Visitat. An. 1587. et 1722.) Sed cum Beneficiati (qui An. 1635. quindecim fuerant Ecclesiae Plebis addicti) residere apud eam contra majorum instituta pau-

latim desiissent, coaluit anno 1714. societas octo Sacerdotum, qui munus in se susceperunt Ecclesiae diebus festivis Canonicorum more inserviendi, aliaque statis temporibus pietatis exercitia peragendi, suppeditantibus sumtus necessarios Sociis SS. Jacobi et Philippi.

Commode vero acciderat, quod paucis ante annis (1693.) pius vir Caesar Tullius Sacerdotia quatuor instituerat, quorum officium esset Plebano adesse, sacrumque unum quotidie celebrare. Horum numerus consentiente Sacra Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini interpretum redactus fuerat ad duos, quos An. 1720. Laurentius Gherardius Episcopus ad eadem munia cum unione illa octo Sacerdotum obeunda adstrinxit.

Ecclesiam hanc multis in partibus refectam et restauratam consecravit Rmus Benedictus Bussius Kalendis Maji An. 1728.

Eamdem Clemens XIII P. M. die 23. Novembris An. 1760. in Collegialem erexit, eique Plebanatum et Sodalitium SS. Jacobi et Philippi adjunxit. Collegium hoc constat Canonicis octo, quorum primus *Archipresbyteri* titulum gerit, et Mansionariis quatuor. Munus ipsorum est diebus festis, atque temporibus Adventus et Quadragesimae, atque extra haec tempora ternis per hebdomadam diebus Chori officia peragere, ita ut quotidiano servitio adstringendi sint, cum primum annui eorum redditus ad summam scutorum 42. ascendent.

Cura animarum, quam gesserat Plebanus, atque olim praeter Plebanum Parochi S. Nicolai et S. Joannis Baptistae, translata fuit in Vicarios duos perpetuos, quibus tenue adeo salarium attributum fuit, ut vix reperiri possit, qui ingrato oneri humeros supponere velit aut possit, optandumque magnopere sit, ut quemadmodum honori Dei externo, decori etiam Domus Dei et Patriae, sic animarum saluti aliquando consulatur.

2. Ecclesia *S. Marci* cujus mentio fit in chartis inde ab anno 1423. Coenobium ei adjacet Eremitarum Augustinianorum extructum anno 1489., quibus biennio post a Senatu populoque Cassianensi Ecclesia quoque ipsa donata fuit.

Sed Augustiniani neutiquam tunc in hoc Oppido sedem fixerunt. Commorati enim in eo fuerant jam An. 1313., quo nobilis vir Tuffus D. Rainaldi de Roccacontrada *loco romitorum* de Monte S. Mariae in Cassiano pecuniae summam testamento reliquit.

3. Ecclesia *S. Joannis Baptistae* olim parochialis, quae pertinuit ad Monasterium S. Laurentii in Doliolo nunc Mensae Canonicorum Sanseverinensium unitum. Mentio ejus fit in registro decimarum Apostolicarum anni 1299. Cum paucos numeraret parochianos translata cura animarum ac decimis juribusque parochialibus ad Ecclesiam S. Mariae, concessa fuit Monasterio Sanctimonialium Ordinis S. Clarae (juxta eam extruendo) a

Gregorio XIII in Bulla data 5. Kal. Julii An. 1577., quam leges si lubet in Commentario de rebus Ecclesiae Auximanae Rmi Compagnonii T. 5. pag. 210. Sumptus alendis Virginibus sacris, fundosque iis suffecturos donabat Sodalitium S. Jacobi. Absoluta Asceterii fabrica regularem in ea vivendi formam introduxerunt die 5. Sept. An. 1584. Sanctimoniales Septempedanae nonnullae, quae anno uno elapso et opere perfecto Septempedam redierunt. Superest in actis Visitationis Sacrae An. 1614. in Archivo Dioecesis Lauretanae regularum et consuetudinum, quas observabant in istis initiis Virgines illae sacrae, accurata descriptio, in qua mireris austeritatem disciplinae spiritumque paupertatis evangelicae.

4. Ecclesia *S. Antonii Patavini*, quae haud ita pridem interiit.

5. Ecclesia *S. Michaelis de Serra*, ex agro in Oppidum antiquitus translata. Pertinuit ad Abbatiam S. Angeli infra Ostia, quae nunc est Canonicorum Sanctanatoliensium. Anno 1693. instituebatur in ea Congregatio Oratorii S. Philippi Nerii, quae vero brevi defecit.

6. Ecclesia *S. Jacobi*, quam Sodalitium SS. Jacobi et Philippi aedificandam curavit eo in loco ubi vetustissima extiterat *S. Salvatoris* Ecclesia olim parochialis, jussu Card. Crescentii an. 1680. destructa.

Ecclesiae suburbanae et campestres.

1. Ecclesia *S. Nicolai*, cujus Parochia unita fuit Plebi 5. Julii an. 1584. Pertinuit ad Abbatiam S. Petri de Monte Conaro Humanatensis Dioecesis.

2. Ecclesia *S. Mariae Calcinarii* aedificata anno 1568. sumtibus Sodalitii SS. Trinitatis. Eam, exiguo tamen tempore, incoluerunt Patres Praedicatores. Miraculis claret quae ibi colitur Beatae Virginis Deiparae imago. Ecclesia haec vulgo *S. Antonii* vocatur.

3. Ecclesia *S. Crucis*. Fundata fuit in solo Lateranensi An. 1477. in vico *trium viarum*, ac regione *capitis vallium*, nomenque ipsi inditum fuit *S. Mariae Annuntiatae et inventionis S. Crucis*. Verum extructa fuit haud procul inde An. 1537. Aedicula sacra nova, ad quam privilegia Lateranensia eum titulo S. Mariae Annuntiatae translata fuerunt; vetus autem Ecclesia titulum ab eo tempore adepta est S. Crucis. Hujus loco fabricata fuit Ecclesia nova An. 1588., cui septennio post accessit Coenobium sive sacer Conventus, quem incolunt PP. Observantiae S. Francisci. Ecclesiae benedixit Rutilius Benzonius Episcopus noster die 27. Aprilis 1606. In ea sepultus est Joannes Antonius Bachetonius olim Episcopus itidem noster.

4. Ecclesia *S. Mariae Annuntiatae*, quam extructam fuisse diximus An. 1537. Reaedificata est An. 1638., eodemque anno die 2. Maji benedicta.

5. Ecclesia *S. Joseph*. Murus hic tantum extabat An. 1510., in quo depicta erat illius Sancti effigies. Cellam prope eam aedificavit Eremita

quidam Petrus nomine, neque diu post (An. 1524.) Ecclesia ibi condita est, quam Cives Cassianenses An. 1563. Fratribus tertii Ordinis S. Francisci incolendam concesserunt.

6. Ecclesia *S. Aegidii de Sambuceto*, prope Potentiam flumen, atque ad ipsam viam, qua Romam tendimus. Fuit olim Ordinis S. Joannis Melitensis, qui adhuc amplos ea in regione agros possidet. Sed Ecclesiam collapsam anno 1616. Respublica Cassianensis aere suo restituit; benedicta fuit nova Ecclesia die 30. Augusti An. 1618.

7. Ecclesia *S. Mariae*, quae ad Societatem pertinet SS. Jacobi et Philippi. Reaedificata fuit anno 1716.

8. Ecclesia *S. Mariae Gratiarum* in Villa quae dicitur Vissanorum fundata anno 1607. a Bartholomaeo Compagnutio. Reaedificata fuit circa annum 1691. ac in parochialem erecta anno 1765.

9. Ecclesia *S. Mariae Salimbeni* in regione Montis Urbani, sive ut vulgo dicitur, Montislibani extructa anno 1524.

10. Ecclesiarum S. Mariae *de Almajano* et *S. Mariae Virginum* nomina tantum reperimus.

Extiterunt olim in agro Cassianensi aliae Ecclesiae quarum ne vestigia quidem supersunt, quarum nomina annotasse sufficiet:

Ecclesia *S. Eutitii* (Eutychii) *plebs* ruinis Ricinae proxima, et ejusdem Coloniae forsan Templum Cathedrale. — Ecclesiae *S. Paterniani* et *S. Christinae* de castro vel curte *nuncastri*, sive *novi castri* haud procul a Ricinae ruderibus, quod Maceratensibus An. 1239. concessit Henricus sive Entius Rex Friderici II Imperatoris filius (Reg. Picen. pag. 103.) — *S. Bartholomaei*, quae ad Hospitale Cruciferorum Ravennatium olim pertinuit; — *S. Catharinae* plebi unita; — *S. Francisci* 1423; — *S. Gaudentii* 1440. Subjecta fuit Abbatibus Monasterii S. Petri de Monte Conaro; — *S. Joannis de longo*, ad quam An. 1463. Eremita incolebat. — *S. Juvenalis* ad Monoculam. Abbatum fuit S. Mariae de Rotis in agro Matilicensi sitae. — *S. Laurentii* (haec quoque Abbatum fuit Monasterii S. Petri de Monte Conaro) — *S. Mariae Magdalenae*, ubi Monasterium extitit Virginum sacrarum An. 1330.; unitum fuit An. 1355. Monasterio S. Mariae de Misericordia et S. Benedicti Auximano (Fanciulli Osservazioni Critiche pag. 539.) — *S. Michaelis de Coesis*; — *S. Petri* in contrata Montis Urbani (Fanciulli pag. 369.), — *S. Petronillae* plebi unita, — *S. Salvatoris* in cacumine Montis Urbani, et *S. Stephani*.

Sodalitia olim plura fuerunt, quorum antiquius est Sodalitium *S. Mariae* in Ecclesia Plebis, cujus memoria extat in cartis An. 1423. etc. Alia *SS. Sacramenti* 1512., — *SS. Rochi, et Sebastiani*, cujus olim fuit Altare operis fictilis affabre factum An. 1527. a Fratre Matthia Florentino., — *S. Antonii*, et *S. Luciae*. Tria haec Sodalitia in unum conflata fuerunt An. 1579.

cui titulus *S. Spiritus;* — *SS. Trinitatis* cujus est Ecclesia S. Mariae de Calcinario; — *S. Benvenuti* (1579.); — *Mortis*, cui circa annum 1652. unitum fuit Sodalitium S. Antonii Patavini. — *Caritatis*, sublevandis coecis et mutilis jussu Innocentii XII institutum: denique *Suffragii*. — Sed prae reliquis ut antiquitate, sic divitiis ac piis operibus illustrior est Societas cui nomen a *SS. Jacobo* et *Philippo*, quae jam extitisse reperitur anno 1389. Leges ei praescripsit an. 1728. Benedictus Bussius Episcopus. Curam haec gessit olim Hospitalis infirmorum, et Sanctimonialium ad S. Joannis Baptistae; sumtus suppeditabat in officia divina ab octo Sacerdotibus in Ecclesia Plebis peragenda; plures construxit Ecclesias; montem ut ajunt frumentarium habuit, ne de minutioribus verba faciens longior sim.

Hospitalia olim habuit oppidum Montis Cassiani *Cruciferorum* ad S. Bartholomaeum, *S. Mariae* (1472.), *S. Antonii de Vienna* (1592.), et Societatis *S. Jacobi*, quod olim fuerat communitatis, sed reaedificatum fuit de pecunia sociorum An. 1464., ac rursus anno 1491.

Montem pietatis institutum anno 1474. administravit inde ab anno 1554. Societas SS. Sacramenti.

III. Oppidum **Montis Luponis** ultra Potentiae flumen situm ad Dioecesim et Comitatum Firmanum olim pertinuit. Antiquior ejus occurrit mentio in instrumento pacis Pulverisiensis An. 1202., qua Firmani, et Auximani pacem cum Pentapolitanis (Anconitanis, Humanatibus, Senogalliensibus, et Pisauriensibus) fecerunt. Nulla ad ista usque tempora fuisse videtur Episcopi et Civitatis Firmanae in comitatum ejusdem civilis potestas. Sed cum Episcopi ab Imperatore ac Pontificibus Innocentio III et praesertim ab Honorio III de Comitatu per *vexillum* investiti fuissent, agnoverunt dominium eorum cum aliis Castellis Firmano Comitatu comprehensis *Monteluponenses* quoque (Catalani de Eccl. Firm. in append. ad A. 1224. pag. 356.); reclamantibus tamen Marchionibus Estensibus, qui Provinciae Picenae praeerant. Quare triennio post Episcopus Rainaldus Castra, de quibus controversia erat, Legatis Apostolicae Sedis tradidit, quae ab eo tempore ad nostram usque aetatem sub immediato ejusdem dominio permanserunt, nisi quod paucis per intervalla annis Oppidum Montis Luponis Friderici II, Manfredi Regis (1258.-1266.), Thebaldi et filiorum de Mainettis nobilium Monteluponensium (1294. etc.) Fratris Morrealis (1354.), Civium rebellium (1392.), Pandulfi Malatestae (1407.-1426.) et Francisci Sfortiae (1433.-1446). vim et tyrannidem expertum est.

Ecclesia *Plebis* S. Petro Apostolo sacra est. Eam Julius Roma Cardinalis in Collegialem erexit An. 1630. die 4. Januarii, eique leges sive constitutiones dedit, quarum una fuit, *ut Presbyteri in Oppido commorantes festis diebus Missam et Vesperas decantare solemniter deberent, facientes inter se hebdomades.*

Collegiatae Ecclesiae titulo et honoribus decorata fuit demum An. 1748. a Joanne Baptista Campagnolio Episcopo, cujus acta die 6. Kal. Octobris rata habuit Benedictus XIV P. M. Is Capitulo sive Collegio conflato ex Archipresbytero, Canonicis octo, duobusque Mansionariis, quibus anno 1768. curante Cyriaco Vecchionio alii duo adjuncti fuerunt, univit Plebanatum ac Parochias S. Joannis Evangelistae et S. Luciae.

Canonici chorum adire jussi sunt dominicis tantum et festis diebus, quotidie autem temporibus Adventus et Quadragesimae, ita tamen ut cum primum post mortem Herculis Galli (qui Praepositus erat Ecclesiae S. Joannis) redditus Parochiarum unitarum in unam cum bonis Plebanatus massam conflati forent, quotidie chori officia explere tenerentur. Attamen Hercule dudum defuncto quotidiano solemni cultu Collegiata Luponensis Ecclesia nondum fruitur.

Cura animarum concredita tunc fuerat Archipresbytero, et Canonicis duobus, quorum loco designatus est An. 1801. Cappellanus alendus expensis Archipresbyteri, Capituli, et Sodalitii . . . . .

Ecclesiam novam aere suo extruxit An. 1746. Xaverius Celsius Plebanus.

Ceterae hujus Oppidi Ecclesiae sunt.

2. Ecclesia *S. Joannis Evangelistae* et *S. Nicolai in Castello* subjecta olim Abbatiae S. Firmani. *Praeposituram* vocari jussit An. 1502. die 8. Octobris Cardinalis Franciscus Piccolominius Ecclesiae Firmanae Administrator.

Huic Ecclesiae Rutilius Benzonius Episcopus An. 1592. die 10. Novembris Monasterium S. Clarae fundatum ante annum 1548., ac rursus Anno circiter 1570. vocatis huc Sanctimonialibus tribus Maceratensibus a civibus quibusdam reformatum et auctum ita adnexuit, ut tamen Praepositura in ea maneret: quae, ut diximus, An. 1748. suppressa et Collegiatae Ecclesiae unita fuit.

3. Ecclesia *S. Matthaei* dicta de *Trivio* subjecta olim et ipsa Abbatiae S. Firmani, et suppressa saeculo decimoseptimo.

4. Ecclesia *S. Luciae* parochialis, cui annexa erat Ecclesia ruralis *S. Mariae de fonte*, unita est Collegio Canonicorum An. 1748.

5. Ecclesia *S. Joannis Baptistae de Platea*, parochialis, quae mortuo Angelo de Donatis Canonico Lauretano, ut decreverat Leo X adjuncta fuit bonis mensae Canonicorum Lauretanae Basilicae. Accidit postmodum, ut cum Alma Domus latifundia complura in agro Lauretano possideret, in hac Ecclesia translatis parochianis, quos olim habuerat, una cum beneficiis in ea fundatis ad Ecclesiam Plebis nova instituerctur parochia *pro Colonis Ecclesiae Lauretanae,* quippe qui ab ordinaria Episcoporum jurisdictione exempti essent. Parochos itaque Congregatio Cardinalium, quae Lauretana dicitur, designat.

6. Ecclesia *S. Mariae in Castello*, quae ad Capitulum Canonicorum S. Petri veteris Firmanorum olim pertinuit, uti constat e privilegio, quod Alexander III An. 1181. Canonicis illis concessit. Translata fuit Saeculo decimoseptimo in Ecclesiam *S. Michaelis.*

7. Ecclesia *S. Michaelis* sive *SS. Crucifixi* vetustissima est, quippe cujus mentio occurrit Anno 1204., sed quae nunc est Ecclesia extructa fuit circa annum 1613.

8. Ecclesia *S. Stephani* olim Praepositura unita Abbatiae S. Firmani.

Offerebatur in ea (ut jubent Statuta Oppidi antiqua) pallium die festo *S. Mariae Magdalenae*, forte quod ad hanc Ecclesiam translatum fuerit Monasterium Virginum sacrarum, quod in agri Luponensis regione, quae *Dollano* dicebatur, extiterat.

9. Ecclesia *S. Spiritus*, cui adjunctum erat hospitale. Fundavit eam Vannes quidam anno circiter 1390.

10. Ecclesia *S. Benedicti* (An. 1395).

11. Ecclesia *S. Mariae de Misericordia* cum Sodalitio hujus nominis, quod unitum fuit alteri Sodalitio tit. *S. Michaelis.*

12. Ecclesia ruralis *S. Antonii de Vienna* olim Canonicorum Antonianorum, quae nunc pertinet ad Ecclesiasticam Accademiam in Urbe institutam.

13. Ecclesia ruralis *S. Blasii ad Asulam.*

14. Ecclesia *S. Mariae Gratiarum* sive *de Fonte* extra muros e collata a fidelibus stipe extructa anno circiter 1600.

15. Ecclesia *S. Nicolai in monte bubiano*, quae ad praeposituram S. Joannis pertinuit.

16. Coenobium *S. Francisci* Patrum Conventualium extructum anno 1253. Ecclesia consecrata fuit anno 1397. Kalendis Maji ab Antonio Episcopo Humanatensi, et Fr. Antonio Offidano Episcopo Nicopolitano.

Sodalitia pia instituerunt Monteluponenses, quibus titulos fecerunt SS. Trinitatis, SS. Sacramenti, Confalonis, S. Mariae de Misericordia, et S. Michaelis.

De Monasterio, quod in agro situm est Monteluponensi haud procul a Potentia flumine, S. Firmani, deque Sancti hujus vita ne fusius agam, compendium mihi laboris fecit Golmarius Marsilianus (idest Hieronymus Lagomarsinius e Societate Jesu, qui sub nomine isto anagrammatico latere voluit). Is enim anno 1726. Tarvisii libellum edidit vulgari italica lingua scriptum *della vita di S. Fermano Abate dell' Ordine di S. Benedetto*, in quo erudite congessit quaecumque ad eum pertinentia undique conquisierat. Adjicit vitam S. Firmani, quam Theodoricus Monachus Floriacensis auctor coaevus anno 1002. composuisse fertur, ac hymnos duos in ejusdem Sancti laudem a D. Boncore de S. Victoria, (qui vixit anno

1330.) conscriptos; e quibus tamen si falsa et inutilia resecueris, pauca admodum de vita ejus et rebus gestis haurire licet.

Natus fuisse perhibetur S. Firmanus anno 951., ac ortus e gente cui *Firmanorum* a patria cognomen. Ita Theodoricus, qui addit: *moris enim erat* ANTIQUITUS *ex propria patria dulcia sibi condere vocabula*, id est familias a patria cognominare. Quibus verbis satis declarat se minime coaevum fuisse S. Firmano, sed multis post ejus obitum annis scripsisse.

Opinio invaluerat Saeculo XVI. et XVII. apud Recanatenses et Monteluponenses, S. Firmanum *Percivallia* stirpe, quae defecit anno 1679. originem duxisse. Testimonia habemus ea de re complurium senum Monteluponensium anno 1629. inter acta Petri Carboni Notarii relata, inseriptionem lapideam, quae Recanati in aedibus Percivalliorum (ubi nunc Seminarium est) asservatur. tabulam pictam penes PP. Conventuales etc. Ego testimonia id genus recentioris quippe aetatis uti ponderis parum habere non diffiteor, ita omnino contemnenda esse nego. Vetustiores quos noverimus e Percivallis Recanatensibus vixerunt anno 1315. *Jacob et Berardus D. Percivalli, et Percivallinus D. Gabrielis*. Porro in cartis Firmanis occurrit anno 1311. *D. Percivallus* Joannis Ugolini *Firmani*, qui anno sequenti Potestas fuit Spalati in Dalmatia, ac forte Recanatum familiam transtulit. Quae conjectura si non fallit et opinioni gentis Percivalliae, et Theodorici assertioni nonnihil ponderis adderet. Ceterum Firmi vetustissima fuit stirps de *Firmonibus* dicta, e qua Joannes Episcopus Asculanus et Firmanus anno 1412. floruit. Sed hasce quisquilias geneologicas notasse sufficiat.

Quod ad res a S. Firmano gestas adtinet, habitasse eum aliquandiu in Abbatia *Aquae caninae* apud Camertes fama est, ubi hodieque memoria ejus venerationem obtinet. A Simoniaco Episcopo Sacerdotio initiatum fuisse tradit S. Petrus Damianus, cum aetatis esset viginti annorum pro more, ut Theodoricus tradit, in hac Provincia tunc usitato. Vixit deinde in *Canonica*, ac demum annum aetatis agens trigesimum quartum amplexus est vitae genus monasticum. Primus, ut creditur, Abbatiae, quae nunc *S. Firmani* dicitur ad ripam Potentiae fluminis, a pia quadam Matrona fundatae praefuit, quo munere cum paucis quidem annis sed cum eximia laude ac virtutum fama perfunctus fuisset, e vita excessit die XI. Martii anno 992., sepultusque fuit juxta Ecclesiam. Abbas vero *Firmus*, qui ei successit, murum Ecclesiae corruentem reaedificans Beati viri corpus intra Ecclesiam recepit, *miraculisque exigentibus*, teste S. Petro Damiano Opusc. 6. ad Henricum Episc. Ravennatem, *ex Sacerdotalis concilii auctoritate super ejus venerandum cadaver ara condita est*. Quod paucis post obitum annis contigerit necesse est. Charta enim extat apud Ughellium (T. VI. in

Theatinis) scripta anno 1012., in qua memoratur Ecclesia in loco *Gualdo* aedificata in honorem Beati *Joannisbaptistae* et BEATI FIRMANI *Confessoris*, et Beatorum Martyrum Eustachii, Agapiti, Thomae, et Theonisti. In cartulario autem Firmano inedito in carta an. 1028. jam occurrit *ministerium S. Firmani*, id est territorium e fundis ad Abbatiam pertinentibus constans.

Dominicus Maria Mannius sigillum exhibet (nelle osservazioni sopra i sigilli antichi T. 1. pag. 28.) Museo Kircheriano ab Antonio Maria Lupio e Societate Jesu donatum, cui caracteribus rudibus insculpta sunt haec verba; ✠ FERMANUS HUMILIS ABBAS quod ad S. Firmanum pertinuisse verisimile est.

Extabat nuper laterculus in Ecclesia inferiori sive confessione inventus, in quo inscriptio legebatur facta anno 1257. tempore Alexandri IV P. M. et Jacobi Abbatis. Cetera pessime exscripta fuerunt, ita ut nullus e verbis sensus erui posset. Laterculum ipsum videre haud licuit. Consecrationis tamen Ecclesiae eo ipso anno factae memoriam continuisse conjicio.

Ex actis Visitationis An. 1573. peractae a Joanne Baptista Marimontio Episcopo Uticensi habemus, in altari inferioris Ecclesiae repertam fuisse urnam, in qua ossa et digitus S. Firmani. Huic urnae qua non paucas reliquias ablatas fuisse dicebatur, sigilla apposuit Joannes Antonius Bachetonius Episcopus, camque sub altari aere Cardinalis Guilelmii crustis marmoreis obducto collocavit.

Maxima olim cum solemnitate festum S. Firmani a Montelupouensibus celebrabatur. Praecipiebant statuta Oppidi circa annum 1434. confecta (sub rubrica X.) . . . . *quod Potestas, Confalonerius, Priores, Cancellarius, Vicarius, et Camerarius una cum Consiliariis praecedentibus tubis et instrumentis, personaliter accedere teneantur ad Ecclesiam S. Firmani, ubi festum ipsum colitur, et ibi per manus Potestatis offerre unum pallium de syrico valoris VI. libr. denar. et nihilominus per ipsa regimina et consiliarios portentur et offerantur ibi candelae cerae . . . . et ibidem interesse celebrationi Missae et praedicationi usque ad finem solemniter celebrandis . . . .*

Anno 1783. Pius VI festum S. Firmani ritu duplicis minoris in dioecesi Firmana celebrari permisit.

Ecclesia constat tribus navibus, quae utrinque arcubus quatuor gothice, ut ajunt fastigiatis distinguuntur. Chorus quoque, ad quem ascenditur gradibus decem et octo, tres habet naves, et binos utrinque arcus.

Monasterio S. Firmani subjectae olim fuerunt

Ecclesiae S. Joannis Evangelistae et
S. Stephani et
S. Matthaei de *Monteluponis*.

Ecclesiae S. Firmani et S. Hilarii *de Flastra* sive de Montanea.
—— S. Laurentii, et
S. Mariae de Talarsciano, sive ut nunc dicitur de Toresiana in agro *Maceratensi*, cujus mentio jam occurrit in carta anni 1135.
—— SS. Trinitatis *de Murro Vallium*, qua dejecta aedificatus fuit circa annum 1248. locus sive Conventus Fratrum Minorum.
—— S. Crucis, et
S. Dionysii, et
S. Thomae de *Civitatenova*, quae anno 1512. unita fuit Sacristiae Patrum Minorum Conventualium adnexo onere curam gerendi animarum Parochiae ipsius Ecclesiae.

Libri et documenta ad Monasterium S. Firmani pertinentia asservabantur in Archivo Praepositurae S. Joannis, et libri quidem, ut fertur, illati fuerunt Bibliothecae, quae in Urbe est, Chisianae. Pergamenae supersunt 254., e quibus aliisque monumentis confectus est sequens

CATALOGUS ABBATUM MONASTERII S. FIRMANI.

Anno 984. *S. Firmanus*. Obiit die XI Martii. A. 992.
Firmus (e vita)
1140. *D. Baroncellus* Abbas *de Monasterio beato sancto Johanne et sancti Benedicti et sancti Firmani.*
1200.-1207. *Angelus.*
1208.-1225. *Gandolfinus.*
1226. *Jacobus.*
1229.-1254. *Rainaldus* cujus tempore Monasterium incoluerunt Monachi 19., multaque ei damna intulerunt qui Friderici II Imperatoris partes in Piceno propugnarunt. (Regia Picena ad annum 1248).
1255.-1261. *Jacobus.* Hoc curante consecrata fuit Ecclesia S. Firmani.
1266.-1279. *Berardus de Murro Vallium.*
1284. *Petrus.*
1289.-1296. *Albericus.*
1297.-1301. *Johannutius de Murro.*
1303.-1316. *Angeliscus* de Camerino.
1318.-1341. *Zutius* D. Carnepotis de Monte Luponis.
134 . . . *Alfeus.* Hic caruit Capitulo Monachorum.
1375.-1405. Frater *Bartholomaeus Dominici* de Monte S. Mariae in Georgio.
1406.-1432. Fr. *Franciscus Martini Nalli* de Monte Sancto.
1433. Fr. *Petrus* de Cingulo.
1436. *D. Bartholomaeus* de Gualdo.

1460.-1469. *D. Bartholomaeus Gandolfi de Abbatibus* de Mutina. Post hunc, licet superstites essent Monachi quatuor, commendata fuit Abbatia iis quorum sequuntur nomina.

ABBATES COMMENDATARII.

1469.-1498. *Joannes Baptista Sabellus* Cardinalis.
1509.-1520. *Benedictus D. Francisci Oddi* Tudertinus.
1546.-1548. *Ludovicus Strozzi* Florentinus.
1553.-1559. *Silvester Petrutius* Tudertinus.
1560.-1603. *Petrus Petrutius.*
1603.-1640. *Franciscus Petrutius.*
1641.-1656. *Benedictus Benedettoni* Tudertinus.
1656.-1696. *Flavius Chisius* Alexandri VII nepos Cardinalis.
1696. *Joannes Jacobus Cavallerinus* Cardinalis.
1700. *Sperellus Sperellius* Cardinalis.
1710.-1737. *Petrus Marcellus Corradinius* Archiepiscopus Atheniensis, dein Cardinalis.
. . . . . *Marius Bolognetti* Cardinalis.
1756. *Joannes Franciscus Bancherius* Cardinalis.
. . . . . *Petrus Hieronymus Guilielmi* Cardinalis.
1775. 1. Junii *Leonardus Antonellius* Cardinalis.

FRANCISCUS CANTUTIUS

EPISCOPUS LAURETANUS I.

CCXLV. Cum igitur Sixtus V P. M. pro ingenti, quo ferebatur erga Deiparam Lauretanam, amore locum illum, quem Virgo sibi delegerat, die 17. Martii 1586. civitatis honoribus, et Cathedrae dignitate exornasset, nihil jam supererat, nisi ut quam optimum ei praeficeret Antistitem, qui et expectationi omnium apprime satisfaceret, et loci sanctitati.

Primum ergo Laureti Episcopum mox die 24. Martii creavit Sixtus [1] *Franciscum Cantuccium* Perusinum Jurisconsultum, ac Rotae Romanae Auditorem, virum, Tursellino teste auctore coaevo, doctrina aeque et sanctimonia clarum.

[1] Breve Apostolicum, quod Laureti extat, datum est 20. Maji, referturque ab Annibale Mariotto in libro, cui titulus: *Memorie degli Uditori di Rota Perugini.*

Ortus is fuit die 20. Julii An. 1536. ex Onuphrio Cantuccio viro nobili, et Philaena Sozia matrona sanctissima. Jurisprudentiae operam navavit Magistro usus Joanne Paulo Lancellotto, eamdemque postea non mediocri cum laude et ipse publice docuit.

Auditor Rotae An. 1572. declaratus est a Gregorio XIII, qui Cantuccium nihil ejusmodi cogitantem quinque aliis Doctoribus Perusinis locum vacantem ambientibus praetulit; munus ita obiit, ut diligentiae, legum peritiae, et justitiae laude inprimis floreret, sed virtutibus christianis magis claresceret, pietate inprimis erga Coelites, pauperesque. Solitus erat singulis diebus sacra facere; mensae lectionem adhibere librorum asceticorum, inprimis Ludovici Granatensis, vitaeque S. Catharinae Senensis. Liberalitate erga pauperes tanta erat, ut redditus fere omnes in eos profunderet.

CCXLVI. Quare vix credi potest quanta omnium gratulatione, Capituli praesertim Lauretani, oviumque ei commissarum exceptus fuerit nuntius, quo Pastorem sibi obtigisse Cantuccium rescierunt [1].

Consecratus Episcopus a Decio Azolinio Cardinali Ecclesiae suae possessionem adiit 6. idus Maji. Mox conversus ad pastoralis officii curas, Dioecesin visitavit, Ecclesiae Cathedralis fornices et pilas impensis suis marmore contegi, Recanatensem quoque Ecclesiam, et Palatium Episcopale, uti et pavimentum Ecclesiae S. Mariae Castri novi restaurari jussit.

Porro Sixtus V ad quamplurimas gravissimasque res componendas opera Cantuccii usus est, tum quando S. Severini oppido civitatis honorem indulsit, tum ut Picentium plurimas arduasque lites explicaret, sedaretque discordias. Quo in negotio quum maxima et animi et corporis contentione laborasset Cantuccius, factum est, ut Septempedae lenta eum sed pertinax febris invaderet. Recanatum itaque reversus decessit e vita die 23. Novembris An. 1586. [2], septem mensibus tantum in Episcopatu transactis, annos natus haud amplius 50., atque ingens moerentibus populis sui desiderium relinquens [3], pauperibus maxime, quorum parens habebatur.

[1] Epistolam, qua Canonicis Lauretanis de nova dignitate ipsi gratulantibus respondit, eo quod eximiam spiret pietatem, et singularem animi candorem, dignaque sit, quae pretiosi thesauri loco habeatur, nos e Codice Tabularii Basilicae Lauretanae descriptam in Appendice proferimus. Adjunximus Epistolam Cantuccii ad Clerum et populum e Tabulario Canonicorum Recanatensium.

[2] Teste Oldoino in Athenco Aug. p. 107., Cantalmaggio in Catalogo Auditorum Rotae, Theodosio Rubeo in singularibus, Libro decretorum Capituli Lauretani, et annalibus actis Senatus Recanatensis.

[3] *Stante morte Rmi. D. Cantuccii*, ut habent acta annalia superius allegata, *ex cujus benignitate gubernio usi fuimus optimo, ita ut melius ne optari quidem posset, ut dolor universalis declaretur, decernitur etc. in hora funerali claudantur apothecae omnes, pulsentur campanae Communis, accedant Consiliarii quinquaginta. etc.*

us germano, Jo. Antonius
Cantuccius patrueli fratri
P. et sacellum quod testamento
ornari et annuum reditum
habere voluit F. C. vix. A. L.
men. IIII. ob. VII.[1] Dece. MDLXXXVI.

Vicariis Generalibus usus est Cantuccius D. Jacobo Sovrantio, D. Numa Leonino Hispellate, et D. Seneca Decano Ecclesiae Mediolanensis, qui Episcopus postea creatus est Anagninus. Post obitum vero ipsius in Vicarium Capitularem electus fuit Vitalis Leonorius Ecclesiae et Urbis Lauretanae Gubernator.

RUTILIUS BENZONIUS

EPISCOPUS RECANATENSIS XXIX. LAURETANUS II.

CCXLVIII. *Rutilius Benzonius* civis Romanus[2], Vir ob insignem doctrinam singularemque virtutem clarissimus, Patrem habuit Paulum Crema, ut volunt, oriundum e Comitibus Benzoniis, quorum progenies diu Venetiis quoque floruit[3]; Matrem vero Herminiam de Astaldis gente apud Romanos nobilissima[4], prognatam. Adolescens pietate ac litteris imbutus in Collegio Germanico Ungarico, cujus inter primos alumnos recensetur a Julio Cordara Collegii Historiographo; postea Canonicus fuit Ecclesiae S. Mariae in Cosmedin, ac dein S. Mariae in Via Lata; demum An. 1573. a Gregorio XIII ob insignem rerum Theologicarum peritiam

---

[1] Hic notam K. (idest Kalendas) excidisse conjectura est Annibalis Mariotti. Die enim 25. Nov. obiisse Caotuccium idonei testes affirmaot, quos supra adduximus.

[2] Romanum ipsemet in documentis publicis se agnominare solebat.

[3] De aotiquitate et uobilitate stirpis Benzoniae fidem facit charta aooi 1378. in appendice ad Observat. criticas Lucae Fanciullii Canonici Auximaoi evulgata pag. 812. Ei enim scribendae adfuisse dicitur . . . *Nobilis vir Venturinus de Benzonibus de Crema* . . . Georgius Benzonus An. 1404. fuit Cremae Dominus: Soncinus Benzonus claruit virtute bellica ineunte Saeculo XVI. de quo Bembus, et alii. Vide Guicciardin. lib. 8.

[4] Ex Astaldia familia prodiit Pauli V P. M. Genitrix, Camilli Burghesii uxor. De cetero Victoria Rutilii nostri Soror Mariano Cucino nupsit, ejusque filius fuit Marcus Antonius e celebrioribus aetatis suae Jurisconsultus, Rotae Romanae Auditor, Episcopus postea Anglonensis, ac demum Imolensis. Addam quoque Petrum fratrem anno 1587. a Recanatensibus, ac Ao. 1588. cum Petro Rutilium nostrum a Cingulanis numero Civium fuisse adscriptos.

designatus est Canonicus Theologus Vaticanae S. Petri Basilicae, cui muneri ita praefuit, ut augesceret in dies, quae de eo sparsa fuerat, eruditionis ac pietatis fama. Hausisse harum elementa existimatur a familiari cum S. Ignatio de Lojola conversatione, qua gavisus est adolescentulus, quod Astaldiae familiae sanctus ille Vir ob beneficia plurimum esset devinctus. Atque hinc factum est, ut cum de Ignatio Sanctis adscribendo ageretur, Rutilius noster in judicium vocatus fuerit ad perhibendum testimonium de illius moribus ac vita, quam intimius nimirum e parentibus et familiaribus ipse noverat. Magistris etiam usus fuerat primis Sancti istius sociis, viris ut pietate. sic doctrina illustrissimis, Benedicto inprimis Pererio, cujus in Archivo Episcopali Recanatensi supersunt nonnullae ad Rutilium epistolae. Itaque non diu deliberandum fuit Sixto P. M., quem Cantuccio sufficeret. Occurrit enim statim Benzonius, (monente, ut ait Maraccius in Bibliotheca Mariana parte 2. pag. 348: ipsamet B. Virgine) quem tali bonore dignum omnes judicaturi essent. Hunc igitur 17. Decembris 1586. Lauretanis Antistitem constituit [1].

CCXLIX. Neque fefellit Rutilius expectationem. Ut enim Ecclesiae suae possessionem adiit, quod factum est die 2. Februarii anni proximi, diligenter et accurate statim Visitationem peregit, cognitoque ejus statu et morbis, synodum Dioecesenam Laureti coegit anno 1588. 21. Septembris, cujus decreta in Lauretano Archivo asservantur. Sunt autem illa praestantissima, et lectu dignissima [2].

Aliam ibidem Synodum habuit An. 1592. in qua paucas leges tulit, praecedentis Synodi decretis addendas.

---

[1] Literae Apostolicae datae sunt die 25. Decembr., sed has nemo nescit post creationem ipsam Episcoporum persaepe sat longo temporis intervallo expeditas olim fuisse: cujus rei exemplum affert Catalanius de Ecclesia Firmana pag. 237.

[2] Speciminis loco pauca adferimus, quibus disciplina illius temporis immutata aut emendata fuit: *repraesentationes pubblicae rerum a Sanctis gestarum, aut Passionis Domini Nostri Jesu Christi interdicuntur: miraculorum tabellas obsque licentia ne opponantur SS. imagines pro insignibus tabernarum ne adhibeantur: baptizandis SS. nomina imponantur: musicorum instrumentorum nullus sit usus in Ecclesia et processionibus: tubae sub Missa ne inflentur: ne quis mendicet in Templo etc.*

Ad Recanatensem Ecclesiam pertinet, quod legitur titulo de Sacrificio Missae: — *In nostro Civitate Recanatensi abusum intolerabilem tempore visitationis offendimus, videlicet quod in diebus SS. Pentecostes Sacerdos dum solemniter celebrat, dicto offertorio, singulis personis mappam floris super caput manu imponit dicens « Accipe Spiritum Sanctum » Hanc pravam consuetudinem abolentes etc.* Praeterea quamplurimas leges de vita Clericorum, de ordinandis, atque ordinatorum officiis; de moribus fidelium, edicta de usuris, concubinariis, adulteris etc. de Seminario, concursu ad parochias, Archivo, bonorum Ecclesiasticorum conservatione etc.

Decretum tertium hoc est:

Antiqua et certa traditione habemus, Sacrosanctam Domum Lauretanam, quae in medio nostrae Cathedralis Ecclesiae posita est, decima die mensis Decembris per manus Angelorum translatam et deportatam esse. Quocirca in recognitionem, et gratiarum actionem de tantis beneficiis decernimus, ut omnis Clerus nostrae Dioecesis Lauretanae Officium novem lectionum sub ritu duplici persolvat, ac Missae sacrum Beatae Mariae, quod incipit — Rorate coeli desuper etc. faciat[1].

Decretum quartum.

In Civitate Lauretana hunc diem Translationis tanquam de praecepto observari mandamus.

Decretum 26.[m]

Volumus ac decernimus, Sacerdotes omnes Manuale Navarri sive latinum, sive in vulgare idioma translatum coemere, atque emptum apud se habere, pront in nostra visitatione praecepimus.

Decretum 27.[m]

Decernimus, ut universus Clerus Lauretanus bis, Clerici vero Dioecesani semel in hebdomada conferentias et circumlocutiones casuum conscientiae in loco deputato convenientes, perpetuis futuris temporibus facere teneantur. Qui autem interesse neglexerit convenienti poena mulctabitur.

Priori ex his Synodis Recanatensis quoque Clerus interfuit, utpote Lauretano Episcopo tunc subjectus.

CCL. Ceterum Recanatenses nostri nullum non lapidem moverant, ut ablato Cathedrae honori, quo tamdiu gavisi fuerant, restituerentur. Sed quoad vixit Sixtus V conatus eorum omnes irriti fuere. Is enim Bulla edita 8. idus Maji An. 1588. non ea tantum rata habuit, quae decessores ad honorem Virginis Lauretanae constituerant, neque ea tantum confirmavit, quae nuper ipse decreverat, sed progressus ulterius, civitati recenti, quae proprio agro adhuc carebat, territorium adsignavit a Recanatensi abstractum die 2. Augusti An. 1589., cujus limites positi fuere 6. Octobr. sequentes: *ad Fontem Cuppi, Pontem Brecciae, flumium Musionem*, ad *confluentes Aquae Vivae*, ad *radices Montis Ursi*, ad *pontem Potentiae*

---

[1] Huic decreto Synodali *praeivit* Senatusconsultum Recanatense conditum die 26. Septembris Anni 1590., cujus hoc exemplum est: *ad perpetuam memoriam recordabilis diei, videlicet diei X. Decembris, in qua sanctissima et divinissima Virga Maria Deo Maximo disponente dignata fuit cum ejus domo accedere, et moram facere in nostro territorio in possessione olim Loretae, propterea nuncupata S. Maria Lauretana . . . in illa die X. dicti mensis perpetuo fiant rogationes per totam civitatem per nostros Religiosos ac Fraternales omnes cum illis cerimoniis, et solemnitatibus solitis et majoribus etc.*

veteris, ad *domum Sanctis de Sanctis in via Portus*, atque ad *Picturam* quae dicebatur *Trabacchi*, sive *de Mezza Strada*. [1] Hos limites probavit Clemens VIII Kalendis Aprilis An. 1592. ea adhibita moderatione juxta aliam Bullam datam 6. Maji An. 1594., ut civium Recanatensium bona, quae intra illos fines consistebant, a jure territoriali Lauretanis concesso remanerent immunia, civiumque dictorum causae tam civiles, quam criminales non ab alio judice, quam Recanatensi cognosci et puniri possent.

CCLI. Defuncto Sixto V fortuna magis propitia Recanatensibus arrisit. Etenim Innocentius IX — *attendens privationem Cathedrae in maximum Civitatis Recanatensis vetustate et nobilitate insignis detrimentum vergere*, die 18. Decembr. anni 1591. Ecclesiam Recanatensem rescissis Sixti actis in Cathedralem denuo erexit, eique jura, redditus, honores, ac praerogativas omnes, quas ante suppressionem habuerat, reddidit, *ipsamque dein cum Lauretana perpetuo univit aeque principaliter*, ut ajunt, statuens in posterum ambas Ecclesias per unicum Praesulem fore gubernandas, qui in expeditionibus ad Ecclesiam Lauretanam spectantibus *Lauretanus et Recanatensis*, dum vero ad Recanatensem Ecclesiam spectantes expeditiones faceret *Recanatensis et Lauretanus* Episcopus nominari debeat. Cumque Innocentio e vivis paulo post abrepto instrumentum hujus constitutionis authenticum confici nequivisset, Clemens VIII ejus successor nihil antiquius habuit, quam ut decretum illud auctoritate sua confirmaret, edita Bulla V. Idus Februarii An. 1592., cujus exemplum in Appendice exhibemus (Append. N. CXXXXII).

---

[1] Odii cujusdam erga Recanatenses causas Sixto fuisse quidam existimarunt, ac vindictam sumere ipsum voluisse de injuriis quibusdam alta mente repositis. Volunt enim, dum adolescens in Conventu Recanatensi degeret, quod liberius Primatibus urbis oblocutus fuisset, fugam noctu arripere coactum fuisse. Itaque Auximum venisse, cumque fores Conventus sui necdum essent apertae, ac tempestas esset adversa, adeo ut maximo cum valetudinis incommodo pernoctandum ei esset sub dio, exceptum fuisse hospitio a Viro nobili Auximano e Gallorum familia. Haesisse ab illo tempore tum injuriae ab istis, tum beneficii ab hisce accepti memoriam, ita ut e Gallis Antonium Mariam purpura induerit, rebusque suis omnibus ac Laureto praefecerit, Recanatenses vero honoribus et agro mulctatos ad infimum pene inter Picentes locum dejecerit. Verum haec fabulae quam historiae propiora esse nemo non videt. Id tamen certum est anno 1585., idest paucis ante initum Pontificatum mensibus ob inofficiosas privati hominis litteras in offensionem Sixti incurrisse nostrates. Hinc electo Sixto nihil non egisse, ut eum sibi reconciliarent, honoribus Pontificem, donis Nepotem ejus *Todinam* et *Camillam* Sororem delinisse, Montaltensium se fratres amicosque declarasse etc.

Neque tamen persuadere mihi possum, judicium Paridis spretaeque injuriam formae potius, quam honorem Dei ac B. Virginis, quem auctiorem fore credebat, si Lauretum civitas esset, proprioque agro gauderet, Sixti Pontificis magnanimi utique ac religiosi animum ad deprimendos Recanatenses commovisse.

Celebrata fuit felix ista restitutio Cathedrae a Recanatensibus ludis, ignibus festivis, aliisque publicae letitiae signis: Rutilius Benzonius Episcopus jam Recanatensis, cum Civitatem publice ingrederetur Cathedram conscensurus novam, exceptus fuit pompa quam solemnissima; salutatus quoque est Senatus nomine oratione adeo splendida, adeoque omnibus eloquentiae et ingenii luminibus exornata, quaeque pietatis et sacrae laetitiae affectus, applaususque tantos excitavit, ut Episcopus Oratorem (is fuit *Antonius Joannes Nuadus Calaritanus* poeta et orator egregius, Philosophiae ac Theologiae Doctor, Hispanus vulgo vocatus, humaniorum litterarum apud Recanatenses tunc Magister) hominem nulli equidem Ecclesiastico ordini adscriptum, nihilominus ob eximiam dicendi facultatem e pulpito Ecclesiae S. Mariae de Platea deinceps ad populum de moribus emendandis, ac doctrina christiana universa verba facere voluerit.

CCLII. Ecclesiis suis ita praefuit Benzonius, ut optimi Pastoris munia adamussim impleret. Itaque saepius (An. 1587. 1592. etc.) Ecclesias sibi commissas perlustravit, et Synodos, praeter eas quas supra memoravimus, celebravit An. 1592. 24. Novembris, An. 1593. 1595. 1602. et 1609. optimisque documentis. ac sanctissimis regulis Clerum utrumque, et populos tum in Synodis, tum concionibus frequentissimis, et Epistolis pastoralibus, atque decretis instruxit, quorum magna pars adhucdum extat.

Depraedicant auctores coaevi assiduitatem, majestatem singularem, ac peritiam prorsus eximiam, qua Sacra peragere solitus erat. Zelus vero ipsius et charitas eo maxime anno emicuit, quo fames dira Picenum omne divexavit, anno inquam 1590. uti et 1591., quibus ex urbe et agro Recanatensi quatuor hominum millia ex inedia interiisse traditum est. Neque enim litteris encyclicis tantum plebem suam ad flectendam precibus ac poenitentiae operibus iram divinam cohortatus est, sed eleemosynis quoque largissimis inopes juvit atque pavit.

Sanctimonialium Virginum vere patrem dixisses. Tantam earum curam gerebat; gnarus flores esse illas, atque ornamentum agri dominici praecipuum. Itaque crebro invisere illas, monere, instruere, solari, miraque dexteritate regere.

Fundatum fuit An. 1587. Coenobium Virginum Capuccinarum primi Ordinis S. Clarae, quod austeritate vitae et exemplis omnis virtutum generis inde ab illo tempore adeo effulget, ut speculum sit, imo munimentum Civitatis, quam precibus suis apud Deum efficacissime tutari, atque adversa ab ea depellere nunquam non existimatum fuit. [1]

---

[1] Inter decreta Benzonii unum illud est diei 6. Decemb. 1597., quo conditiones praescripsit, quibus fas esset puellas ad Capuccinarum familiam admittere. Duodenas primum die 8. Novemb. 1592., vicenas die 9. Augusti 1598., demum An. 1625.

Asceterium quoque S. Benedicti praesidio suo Rutilius Episcopus fovit et auxit.

Juventutem ut bonis moribus, et Christi doctrina imbueret, Catechismum quemdam typis excudi curavit, quem ab omnibus emi, addisci, ac in quatuor praecipuis Civitatis Ecclesiis diebus festis perlegi, et explicari jussit [1].

CCLIII. Seminarii Clericorum auctor et primus parens fuisse dici vere potest Rutilius Benzonius. Nam etsi de eo ex praescripto Concilii Tridentini instituendo cogitasset Melchiorius An. 1571., tamen aliud efficere non potuit, imperatis licet Clero pecuniis annuatim solvendis, corrogatisque Sodalitatum eleemosynis, quam ut praeceptor grammaticae, et cantus haberetur, qui Clerum his artibus institueret.

Nec felicior fuerat Seminarii conditio sub Galeatio Morono. Clerus enim, qui pauper erat, ut multa in eam rem expenderet, cogi non poterat; et Sodalitates aegre admodum adducebantur, ut consuetas ultroque promissas solverent eleemosynas, imo An. 1586. iis instantibus decretum fuit a Sac. Congreg. Concilii — *non teneri ad contribuendum pro Seminario Confraternitates et alia loca pia, quae non habent beneficia annexa* [2].

Equidem in Synodo Lauretana anni 1588. constitutionem edidit Benzonius, qua « Seminarium Clericorum, inquit, quod in Civitate Recana« tensi laudabiliter institutum offendimus, *conservari ac in dies augeri* « *cupimus*, ut pueri in hac sancta vocatione educati strenui Ecclesiae Mi« nistri evadant. Constituimus itaque, ut ad minus *duodecim numero* « *pueri habeantur, qui ex nostra, Cleri, Confraternitatum, et aliorum,* « *qui ex Concilio Tridentino tenentur, contributione omnino facienda* « *manuteneri debebunt*. Pauperum filii praecipue ad hoc Collegium eli« gantur. Tonsura atque habitu clericali semper utentur. Grammatices, et « alias litterarum doctrinas apud deputatos Magistros addiscent, cantus « vero rationem a Cantore Recanatensi etc.

Verum renitentibus adhuc Sodalitatibus, negantibusque se teneri ad contribuendum pro Seminario, severius agendum cum iis existimavit Episcopus. Itaque et hospitale S. Antonii, ubi peregrini hospitio excipiebantur, suppressit, atque a Sodalitate scuta centum exegit; Aedes vero hospitalis Seminarii domicilium esse voluit. Acta sunt haec consentiente Sodalitate S. Antonii, ut ex instrumento An. 1602. die 28. Junii (Ser. Manentes Rubei).

---

tricenas alendi Virgines curam in se suscepit S. Jacobi Sodalitas, aluitque eas e praediis suis ad hanc usque diem.

[1] Die 11. Octobris An. 1592.

[2] Nicolius in *flosculis* verbo: *Seminarium*.

Tandem An. 1597. die 8. Augusti jussus fuit Episcopus a Sacra Congregatione [1] majores summas a Clero exigere, atque operam dare, ut e pecuniis hoc modo collatis vestitus saltem pueris posset subministrari.

Igitur edictum proposuit eodem anno, iterumque anno 1604.[2], quo demum res Seminarii compositae sunt: pollicitae autem fuerant Sodalitates, dum viveret Rutilius, collaturas se, *Sodalitas* nimirum *S. Luciae* annua scuta 25., *Mercatorum* scuta 20., *S. Jacobi* scuta 16., et salmam frumenti, *S. Petri Martyris* salmam, et *S. Rochi* dimidiam salmam frumenti [3].

His initiis stetit Seminarium nostrum, quod deinceps ad longe ampliorem fortunam pervenit. Sub Galaminio enim Episcopo Aedes accepit et Beneficia: An. 1664. bona Parochialis Ecclesiae S. Luciae: An. 1697. aedes ampliores; Anno circiter 1720. bona Parochialis Ecclesiae S. Michaelis de Ponticello; denique aetate nostra fundos Sodalitatis S. Mariae Castrinovi, eosque amplissimos, ut jam cum celebrioribus id genus Paedagogiis certare possit.

Quam impense Seminarii sui augmento, juventutisque in eo instituendae profectibus studuerit Rutilius Benzonius, testis est omni exceptione major Petrus Bonjoannius, qui res gestas Benzonii, licet levi calamo tactas potius quam descriptas reliquit. [4] Is vero affirmat ea assiduitate visitatum fuisse ab illo Seminarium, ut perdidisse se hebdomadem existimaret, qua Alumnos Ecclesiae suae spem non invisisset: nunquam cessasse hortari eos ad studia, ad pietatem, excitare desides, increpare immorigeros, laudare, praemiis ornare ceteros: examinibus interfuisse semper, auxisse denique Seminarium plurium beneficiorum proventibus, cum antea e subsidiis Sodalitatum, et pecunia Ecclesiis, ipsique Mensae imperata Magistri soli aegre victitassent.

CCLIV. De reliquo in id maxima contentione incubuit Benzonius, ut Sacra eo peragerentur modo, qui conveniens esset majestati Religionis nostrae. Canonici Recanatenses, ut saepius dictum est, ob defectum redditium officium in choro non recitabant, neque aliud eis incumbebat munus, nisi ut Episcopo in pontificali ornatu Sacra facienti adsisterent. (Visitat. An. 1587.) His ut subveniret, atque auctis Praebendis, et assignatis distribu-

---

[1] Ut in Registro litterarum Sacrae Congregationis in Cancellaria Episcopali fol. 32. et in Bullario Civitatis Recanatensis edit. 1776. pag. 112.

[2] Lib. Decretorum Rutilii Benzonii p. 100.

[3] Ea conditione adjecta, si Presbyteri convivercnt juxta formam Concilii Tridentini.

[4] Bonjoannius Rutilio Praesule Seminarii Alumnus fuit. Vitam Benzonii ab eo conscriptam possidet Rmus. Petrus Leopardius Aconensis Episcopus.

tionibus, Chorum adire jam deberent, a Sodalitiis ea, quae juris ipsorum erant, Beneficia Canonicis concedi postulavit. Et assenserant illa; sed ultra, nescio quam ob causam, procedi non potuit ad tempora usque Cardinalis Romae.

Anno 1592. die 16. Septembris Regulas statuit in Choro servandas. An. 1593. Constitutiones edidit pro Altaristis Ecclesiae S. Mariae Montis Morelli; ordinem quoque praescripsit in Supplicationibus solemnibus observandum, [1] atque ut perspicias ne minutiora quidem eum fugisse, quae Ecclesiarum frequentationi obessent, vetuit rotulis sive, ut ajunt, caseolis ludi in viis illis, quibus Templa adeuntur.

Anno 1595. lis exorta est Episcopum inter et Septemviros Recanatenses, quos celebranti sibi aquam affundere ad manus abluendas debere contendebat. Non digna sane jurgiorum materia; magnas tamen discordias paritura, nisi rescripsisset Clemens VIII servandum esse morem antiquum [2]. Cardinalis vero Bandinius An. 1601. 22. Novembr. sub poena scutorum 2000. Priores adstringendos esse jussit, ut officio illi satisfaciant.

Non unica haec fuit Magistratibus dissidiorum cum Episcopo causa. Quare Sacra Congregatio Episcoporum rebus praeposita, ut querelis finem faceret, litiumque ansas praescinderet, litteris datis die 8. Augusti 1597. Episcopo injunxit, ut Sacra solemnia celebraret modo Recanati, modo Laureti, ne alterutra Sponsa contemptui se a Sponso haberi conqueri jure merito posset: Titulum in actis litterisque publicis adhiberet, quem in Bulla restitutionis Cathedrae Recanatensis praescripserat Clemens VIII, ut mulctas propter absentiam a divinis Officiis persolvendas distribui pateretur prisco more inter Canonicos et Chorales diligentiores, Sacristiae vero necessitatibus de redditibus Mensae, si opus esset provideret; Seminarium curaret institui, ut ne Clericis Magistri deessent idonei, aedesve, in quibus convirerent, aut vestitus: Vicario Generali uteretur non cive sed extraneo; denique ne quid emolumenti e Cancellaria sua ipse perciperet. Descriptae sunt hae litterae in Bullario, ut ajunt, Archivi Episcopalis, typisque editae inter bullas et brevia Civitatis An. 1605., iterumque An. 1776. pag. 112. Extat exemplum chirographi a Rutilio die 10. Decembris An. 1598. exarati, quo et hisce, et aliis officiis suis minime se defuturum publice contestatus est, nonnulla addens de Palatio Episcopali, quod aedificari coeptum fuerat, ad fastigium perducendo, de honore habendo Magistratibus etc. Adeo non erubescebat, errata, si qua commiserat, publice

---

[1] Inprimis praecepit claudi tabernas, et Mercatorum, Artificumque apothecas iis in viis, qua transeundum erat supplicantibus.

[2] Litteris datis die 24. Maji 1591. —

fateri, nequaquam dedecori sibi ducens emendare ea potius, quam contumaciae ac superbiae subditis exemplum praebere.

Anno 1597. 17. Januarii sub gravissimis poenis utrique Clero vetuit, ne vestes a canonico instituto alienas induti palam sive privatim incederent, aut larvati; neve saltationibus ullibi indulgerent, quippe quae viros Ecclesiasticam vitam professos dedecerent quam maxime.

Anno 1608. die 11. Februarii renovata fuit constitutio olim facta, Altaristis incumbere Epistolas inter Sacra cantare et Evangelia. (Lib. Decretorum).

CCLV. Synodum anno 1609. die 24. Novembris Rutilius Episcopus celebravit *Recanatensem*, cujus decreta extant in Archivo Capituli. In eo conventu praeclare multa constituit de honore Ecclesiis, rebusque sacris habendo. [1] De ordine Processionum, ac Missarum ab Altaristis dicendarum, de distributionibus quotidianis, de ratione celebrandi dies festos.[2]

Fines Parochiae Ecclesiae Cathedralis definivit protendi ad Pontem usque Musionis: ulteriora agri Recanatensis, et mari propinquiora Ecclesiae Portus Recanatensis adscripsit.

Quatuor Viros designavit [3] conficiendo Calendario Ecclesiastico, quo et festa particularia Ecclesiae nostrae, et supplicationes ritusque solemnes singularum Ecclesiarum, uti et Reliquiae Sanctorum in iis adservatae indicarentur.

Editum fuit hoc Calendarium anno 1611. optima sane methodo concinnatum; ejusque unicum quod sciam superest exemplum apud Rm̃um D. Matthaeum de Prosperis Basilicae istius Canonicum.

Ex eo discimus Tutelares jam tum Recanatensium Divos fuisse *SS. Fabianum et Sebastianum, Gregorium, Augustinum, Hieronymum, Ambrosium*[4], *Rochum*[5], *Ansovinum*[6], *Martinum*[7], *Georgium, Venantium*[8], *Vincentium Ferrerium*[9], *Dominicum, Nicolaum Tolentinatem, Barna-*

---

[1] Ne intra viginti passus prope Ecclesiam, dum divina solemniter fiunt, esculenta veneant; ne res sacrae, uti Cruces et similia depingantur ubi immunda fieri, vel projici solent etc.

[2] Pistoribus prohibet festis diebus panem coquere etc.

[3] Thomam Civitalem, Joannem Hieronymum Meulum, Ignatium Braccium, Innicum Confalonerium.

[4] Adscitos hortatu S. Jacobi de Marchia.

[5] Inde ab Anno 1578.

[6] Suasu Fr. Joannis de Cortona.

[7] Suadente eodem S. Jacobo de Marchia.

[8] Suasu dicti Fr. Joannis de Cortona.

[9] Instante familia S. Dominici.

bam, *Antonium de Padua*, *Catharinam*, *Luciam*, praeter SS. *Flavianum* Cleri, et *Vitum* Civitatis Patronos principales. praeterque eos Sanctos. quibus Civitatis et agri Ecclesiae sunt dedicatae, quosque statuta commemorant.

Sodalitates vero in eodem Calendario nominantur, S. Annae, S. Antonii, del Cordone, SS. Blasii, Georgii, Jacobi, Josephi. et Luciae, SS. Rosarii SS. Sebastiani, Rochi, et Venerae, praeter quas certum est sub Rutilio Episcopo complures alias floruisse.

Supplicationum mentio fit solemnium, quae singulis annis peragi apud nos solent. Proceditur nempe cum sacra pompa die 20. *Januarii* ad S. Mariam de Platea; die 25. *Martii* Clerus uterque, Sodalitates omnes, Senatus Populusque Recanatensis inde a pluribus saeculis inducto more Lauretanam Aedem ex voto invisunt. Die 2. *Maji* ad honorem S. Macarii pro deprecanda grandine fit processio, cujus auctor fuit Nicolaus Astius piae memoriae Episcopus. Die 3. *Maji* S. Spina Christi Servatoris olim Capiti infixa festiva ac devota pompa per urbis compita circumfertur. *Die* 15. *Junii* ad S. Vitum; 24. *ejusdem mensis* ad S. Joannem in Pertica; *die Dominica post* 20. *Julii* proximiore cum Capite S. Margaritae per vias Urbis; *die* 12. *Augusti* ad S. Clarae sive Capuccinarum; *Die* 16. *ejusdem* cum Reliquia et Icone S. Rochi per compita; *die* 14. *Septembris* ad Ecclesiam S. Dominici; *die* 24. *Novembris* solemnis fit supplicatio ad honorem S. Flaviani Patroni, instituta decreto Senatus An. 1483. pro vitanda peste; *die* 6. *Decembris* ad Aedem SS. Benedicti et Nicolai in regione Castri Novi; *die* 8. ad Ecclesiam S. Mariae de Varano; *die vero* 10. *ejusdem mensis* ad memoriam Adventus Almae Domus V. M. ternae supplicationes fiunt: prima est *Puellarum centum* (quae hodie ad aliam diem rejecta est) comitantibus octo Matronis, Viris quibusdam nobilibus, et Sacellano, quos deligunt Magistratus. Hae Lauretum abeunt cereos Reipublicae Recanatensis nomine oblaturae Virgini Deiparae (ex Senatusconsulto anni 1623.): secunda est *Cleri* utriusque intra Urbem; tertia *nocturna* (quae hodie instituitur die Dominica infra octavam) *Episcopi*, *Cleri* etc. comitantibus simulacrum Sacrae Domus Lauretanae Viris nobilibus cum cereis, instrumentorum musicorum concentu etc. Cantatis Litaniis Lauretanis sono campanae indicitur Salutatio Angelica ter ab omnibus recitanda. Sequuntur ignes artefacti festivi laetitiae indices. Ita Bonjoannius morem saeculi sui describens, a quo forte in nonnullis descivimus. Per triduum ante Dominicam infra octavam ejusdem Festi in Cathedrali Basilica precationes fiunt solemnes. Die Dominica a praestantiori quodam Oratore de S. Domus Lauretanae excellentia ac miraculis, et de fausta ipsius in agrum Recanatensem delatione oratio haberi solet e suggestu. Denique cantato Hymno

Ambrosiano, ac Litaniis Lauretanis, dataque benedictione SS. Sacramenti, solemnibus sacris finis imponitur. [1]

Edocet nos idem Calendarium, de quo hactenus disserimus, 1.° exponi jam tum consuevisse SS. Sacramentum Dominica Quinquagesimae, et sequenti biduo in Aede S. Viti, ac Rutilium ipsum his diebus Templum istud adire, Sacra in eo facere, populum publice alloqui, monere, et docere solitum fuisse. Musicis modulationibus a PP. Societatis Jesu alliciebatur populus, avertebaturque ab anniversaria illa Christianae plebis insania, qua praeludere consuevit poenitentiae quadragenariae operibus.

2.° Dominica secunda Quadragesimae a Concionatore in Aede S. Augustini publicos tradit enuntiari pacis conciliatores Viros octo, totidemque Foeminas probatae vitae, quo ritu solemnis renovatur memoria B. Hieronymi Girardutii Augustiniani Civis nostri, qui ad componendas discordias olim profectus flumen strato super aquas pallio tanquam phaselo trajecit.

3.° Ad diem tertiam Maji fidem facit idem Calendarium servari in Ecclesia Cathedrali partem de SS. Crucis ligno, quae puerilis brachii aequet crassitudinem, et unam e Dominicae Coronae Spinis, pontificia *Gregorii XII munera in hanc Aedem collata:* alteram Crucis particulam coli in Ecclesia S. Dominici, quam de illo ipso *Ligno, in quo Christus Dominus pependit, vere desectam esse, S. Petrus Martyr in hac ipsa Civitate ignis experimento comprobavit, mox eam Senatui Populoque Recinetensi dono dedit:* alteram denique Spinam in Ecclesia S. Francisci esse, ad quam venerandam hac die undique convenitur. Praeterea indicantur Festa Urbis peculiaria, ac Indulgentiae etc., ut nihil praetermissum

---

[1] In libris Aunalium decretorum frequens earum fit mentio, saeculo XV. in finem vergente, extantque in tabulis expensarum Fraternitatis S. Jacobi notulae pecuniarum eam ob rem solutarum Anno 1485., et sequentibus.

Advenientibus obviam fit Clerus Lauretanus ad portam Civitatis, excipitque Clerum nostrum honorifice ad dexteram, deducitque ad Virginis Domum. Quam consuetudinem summopere commendavit, ac perpetuis futuris temporibus servari decrevit Clemens VIII P. M. Brevi dato die 18. Martii 1605., idemque rursus Clemens VIII litteris datis die 27. Junii 1605., quibus conservatores hujus privilegii esse jubentur praeter Episcopum Recanatensem, Episcopus Maceratensis, et Auditor Generalis Curiae Camerae Apostolicae, concesso ipsis jure censuris in contradictores animadvertendi. Brevia habes in Bullario Recanatensi edito An. 1776. p. 138. et seqq. Solemnissima porro haec est supplicatio, aitque Bonjoannius, oblatis primum a Confraternitatibus, deinde a Senatu cereis, cantari a digniori de Capitulo Recanatensi in absentia Episcopi Missam in Sacello Virginis, cui soli adsunt Magistratus, qui genuflexi more Principum in pulvinaribus Eucharistico ibi pane reficiuntur. Processio haec octo diebus ante festum ter singulis diebus sonitu campanarum Palatii populo annuntiatur.

in eo fuisse videatur ex iis, quae ad publica hujus Ecclesiae sacra explicanda, suisque diebus assignanda pertinebant.

CCLVI. Ceterum Aedes Pontificias Recanatenses e fundamentis extruxit Rutilius Benzonius, ac parum abfuit, quin absolveret. Fornices navis majoris Ecclesiae suae Cathedralis iterum iterumque faciendas curavit [1]. Altaria quoque, portas, ac fenestras ejusdem Templi elegantiori et commodiori forma disposuit. Haec Rutilii sunt beneficia in Ecclesiam nostram collata.

Neque defuit ejus opera Ecclesiae universali. Nullum enim fuit ejus tempore negotium arduum, ad quod felicius perficiendum Rutilii a Romanis Pontificibus non fuerit exquisitum consilium, explorata sententia. Itaque et in disputationibus de auxiliis gratiae, quae sua esset opinio. scripto declarare jussus est, quod cum ingenti auctoris commendatione Paulus V perlegit. Libris editis immunitatem Ecclesiae adversus Venetorum Theologos propugnavit. Votum, Romae cum esset, singulari cum eruditionis et eloquentiae laude pro Canonizatione S. Franciscae Romanae emisit, idemque praestitit pro S. Carolo Borromeo, quem ea prosecutus est veneratione, ut opera ipsius nostra in Urbe ad Sancti illius honorem pia coaluerit Sodalitas, extructaque fuerit Ecclesia, cujus ipse primum lapidem in fundamentis collocavit. Auctor autem fuerat Rutilius aliarum quoque Sodalitatum, quarum munus esset Coelites speciali cultu venerari, exactius imitandos sibi proponere.

Indefessus fuit in componendis egregiis multisque Libris, quibus vel Ecclesiae jura defendit, vel pietatem aluit, ac Mariae Sanctae Genitricis Dei laudes et cultum promovit.

Recenset eos Prosper Mandosius in Bibliotheca Romana Centuria V. N. 35., et Mazzucchellius Comes Tomo II. *degli Scrittori d'Italia* pag. 2.

Praecipui sunt hi:

Speculum Episcoporum et Parochorum. Venetiis 1595.

Lettere Pastorali al Clero e Popolo di Loreto e Recanati, e Prediche o vero Omelie recitate quasi tutte in Loreto (ex dedicatione commentariorum in Canticum Magnificat).

Lettera Pastorale al Clero e Popolo di Loreto. Macerata 1591.

Lettera Pastorale ovvero Sermone sopra i misterj contenuti nella sacra cerimonia di serrar la Porta Santa. Roma 1600. 8.

Cathechismus.

De Anno Jubilaei. Venetiis 1599. etc. et Maguntiae.

---

[1] Fornicibus, eo quod ruinae obnoxiae essent, sublatis, navem laqueari pulcherrimo contexit postea Cardinalis Galaminius.

Pro Sancta Domo B. V. Lauretanae contra Petrum Paulum Vergerium haereticum apologia in 19. capita distributa. Venetiis 1599.

De fuga in bello, fame, et peste. (habetur etiam in Speculo Episcoporum).

De Ecclesiastica Immunitate dissertatio. Recaneti 1606. et 1607. 4., et *de justitia Pontificii Interdicti contra pseudo-Theologos.*

Commentariorum ac disputationum in Canticum Magnificat Lib. V. Venet. 1606. in f.

Expositio Psalmi 86. *de laudibus Deiparae Virginis cum tribus disputationibus de jurisdictione Ecclesiastica, et temporali.* Maceratae apud Petrum Salvionum 1612. in fol. Accedit *explicatio Salutationis Angelicae.* Hujus libri secunda editio Duaci prodiit 1626.

CCLVII. Si domesticos ejus mores inspiciebas, vir fuit Rutilius facilis, ad misericordiam pronus, atque erga reos, quos criminum poenitebat, minime severus: familiae pater, quamvis parcior justo, ac tenacior existimatus fuerit pecuniae. Deliciae ejus conversari cum viris Religiosis, iisque praesertim doctis. Familiariter usus est Sebastiano Fabrinio, qui Silvestrinae Congregationi bis praefuit, fastosque sui Ordinis concinnavit, Nicolao Massutio Theologo, et Ecclesiae Collegiatae S. Mariae Montis Morelli Rectore viro erudito, qui a Secretis fuit Cardinalis Cajetani, et Ignatio Braccio Theologiae Doctore, qui Praepositus postea fuit Ecclesiae Cathedralis, cujus aliqua sunt opuscula typis edita.

Tenerrima porro adversus B. V. Mariam flagravit devotione, cui toto vitae suae tempore inserviit, quum Canonicus fuerit S. Mariae in Cosmedin, et S. Mariae in Via Lata Romae, Episcopus Templi S. Mariae Lauretanae, cujus possessionem adiit die Mariae in Templo purificatae sacro. Plurima, imo fere omnia, quae composuit, ad Mariae gloriam conscripsit. Quid mirum igitur, si, quod Petrus Bonjoannius tradit, spiritus ac vita eum liquerit conantem verba illa efferre: *Maria Mater gratiae?*

CCLVIII. Obiit optimus Praesul, postquam hydropisi per annum fere laborasset, annos natus sexaginta tres pridie Kalendas Februarii An. 1613. in Civitate Lauretana, sepultusque fuit in Templo Mariano, teste Hippolyto Maraccio in Bibliotheca Mariana edita An. 1646. pag. 348., et Ughellio in Italia sacra.

Parentalibus sacris Recanati celebratis Populus universus et Senatus moestissimi adfuerunt. Laudavit eum Ignatius Braccius. [1]

---

[1] Orationem funebrem extare audio in Bibliotheca Nob. Viri Xaverii Brotii Ajani Comitis.

Reliquit scutorum triginta millia, summam illa aetate grandem, quam Paulus V in pauperes, fundato ex iis monte, ut ajunt, farinae, erogari voluit. Donaverat pretiosam supellectilem Sacrario Cathedralis Ecclesiae Recanatensis, ac ducenta scuta Capitulo, totidemque Collegiatae Ecclesiae S. Mariae Castrinovi, cujus ipse erat Praepositus, ut distributiones quotidianae ex iis augerentur; atque hujus doni causa annua pro ipsius requie Sacra in Recanatensi Basilica fiunt ex decreto Canonicorum, quod marmori insculpendum curaverunt, hoc exemplo:

» Anniversariis precibus et Missarum
» celebrationibus renovandam obitus
» memoriam Rmi Episcopi Rutilii
« Benzonii decrevit Capitulum scutis
» CC. ex illius testamento auctum.
» Obiit ultima Januarii M.DC. XIII.

Vicarios Generales adhibuit

Anno 1586. Aeneam Paduanum Brisighellensem Archidiaconum Lauretanum.
1587. Antonium Franciscum Constantini Recanaten. Primicerium Lauretan.
1588.-1592. Flaminium Spagnolium Forosemproniensem.

Recanati post restitutam Cathedram:

1593. Pier Hieronymum Leopardium Praepositum Recanatensem.
1595.-1596. Volumnium Gentilutium Montecassianensem Thesaurar. Lauretan.
1597. Martium Politum Decanum Recanatensem.
1597.-1600. Camillum Androtium Monticulanum.
1602.-1603. Ricciardum Falconum de Monte Luponis.
1604.-1605. Paulum Gnaldi.
1606.-1610. Alphonsum Blancum de Monticulo.
1611.-1613. D. Nicolaum Cardulum Nobil. Narniensem.

Laureti ejus vices obierunt post redintegrationem dioecesis Recanatensis.

Anno 1592. Jo. Paulus Gallerinius de Arciano.
1592.-1596. D. Fulvius Percivallius Recanatensis.
1597. D. Volumnius Gentilutius de Montecassiano Thesaurarius Lauretanus.
1608. Marcus Antonius Cuccinus Nepos, Primicerius Lauretanus.
1610. Volumnius Gentilutius iterum.

Post obitum Episcopi Capitulum Lauretanum elegit in Vicarium Capitularem Isidorum Matucci Archidiaconum die 6. Februarii.

Recanatensis electio irrita fuit.

Sub Rutilio Episcopo vixit puella piissima, cujus nomen ignoratur, quae decennio integro religiosam adeo vitam vixit, perpetuae castitatis voto

adstricta, ut Ecclesiastico pane quotidie fere se reficere solita, ut sancta ab omnibus haberetur. Obiit anno 1591. sepultaque est in Ecclesia S. Viti. Scuta 1500., quae moriens reliquit, impendi jussit alendis in Monasterio sacris Virginibus. (Calcaneus pag. 173).

AUGUSTINUS GALAMINIUS S. R. E. CARD.

EPISCOPUS RECANATENSIS XXX. LAURETANUS III.

CCLIX. Suffectus fuit Rutilio Benzonio *Augustinus Galaminius* Brisighellensis Ordinis Praedicatorum die 13. Februarii An. 1613., ac possessionem Ecclesiae utriusque adiit die 23. ejusdem mensis.

Hic anno 1552. natus est Fognani in valle Brisighellensi genere nobili [1], parentibus Mingolino Galaminio, atque Antonia Ricuperati. Faventiae S. Dominici familiae nomen dedit, in qua honoribus omnibus ea cum laude functus est [2], ut sacri Palatii Apostolici, et anno 1608. universi Ordinis Generalis Magister creatus fuerit; anno autem 1611. 17. Augusti Purpuratis Patribus adlectus est a Paulo V P. M. adscriptus Titulo S. M. de Ara Coeli.

CCLX. Ecclesias suas mox visitavit An. 1613. mense Octobris, iterumque An. 1619. et 1620. Synodum habuit 1614. in Ecclesia Recanatensi die 14. Novembris, Laureti autem die 23. Hujus decreta, ac praesertim ea, quae regulas continent in Choro observandas a Canonicis Basilicae Lauretanae, adoptata fuerunt pleraque a Julio Cardinali Roma, hodieque observantur. In Synodo Recanatensi hujus quoque Cathedralis Ecclesiae decori circa divinorum officiorum celebrationem consulere studuit.

Diuturna fuit Galaminio et perquam molesta disceptatio cum Antonio Maria Gallo Card. Auximano S. Aedis Lauretanae Protectore de jurisdictione in Almam Domum, ejusque Ministros, et famulos. Enimvero Episcopi Lauretani existimabant plenam, et perfectam in rebus spiritualibus aucto-

---

[1] Gens Galaminia, teste Fr. Paulo a Scio Dominicano, qui annis quindecim Augustino Cardinali familiaris fuit, ejusque res gestas memoriae mandavit, eadem est cum gente de *Galligais*, quae Florentiae diu ex illustrioribus fuit. De utriusque stirpis paternae Galaminiorum, et maternae Recuperatorum nobilitate plura Nicolaus Silvutius Montecassianensis in oratione coram ipsomet Cardinali habita, ac typis impressa Maceratae Anno 1614.

[2] Philosophiam ac Theologiam docuerat in Conventibus Ordinis Forilivii, Faventiae, Anconae, Mantuae, Regii, Bononiae, et Neapoli. Inquisitoris fidei officium exercuit Placentiae, Brixiae, Genuae, et Mediolani; Romae autem Commissarii sacrae et universalis Inquisitionis munus obivit.

ritatem in utrosque, ipsumque adeo Gubernatorem attributam sibi fuisse a Sixto V, dum Basilicam Lauretanam in Cathedralem erexit. Consenserat ipsemet Cardinalis S. Domus Protector in capitula quaedam *concordiae* jubente Sixto conscripta a Scipione Card. Lancellotto; et sub Benzonio quidem quaestio nulla exorta fuerat; Sed cum varia constituisset Galaminius Gallo neutiquam probata, controversia delata fuit ad Sacrae Rotae Romanae tribunal, quod pro Episcopis nostris sexies omnino sententiam tulit, nimirum Annis 1616. 21. Junii, 1617. 23. Januarii, 21. Aprilis. et 13. Novembris, 1618. 5. Martii. et 1. Junii. Verum defuncto non ita multo post Cardinale Gallo, translatoque ad Auximanam Ecclesiam Card. Galaminio, cum Scipio Card. Burghesius Pauli V nepos Lauretanae Aedis creatus fuisset Protector, rescissis Rotae decisionibus. edita fuit a Paulo Pontifice Bulla *Divina disponente* data pridie idus Julii 1620., qua Episcopis Lauretanis abjudicata fuit potestas *in S. Cubiculum, resque, ac personas ad illud spectantes; constitutus peculiaris Parochus, qui curam gereret Ministrorum, et colonorum ipsius, uti et peregrinorum, et infirmorum hospitalis; atque attributa Gubernatori deputatio Ministrorum, Cantorum, Parochorum in Ecclesiis Almae Domui subjectis*, cum praerogativis aliis juribusque, ita ut Episcopo nihil quidquam in ea peragere fas esset, nisi quod pro lubitu orare in ea, privatasque Missas celebrare ei permittebatur. Bullam Pauli in Appendice exhibemus. (Append. N. 146).

CCLXI. De cetero Cardinalis Galaminius Recanatensi Ecclesiae beneficum in primis et liberalem se praestitit: suffulsit enim Ecclesiam Cathedralem, cujus fornix major An. 1619. collapsa fuerat, auratis contignationibus, picturisque nobilissimis exornandam curavit impensis de suo, non de proventibus Ecclesiae Recanatensis, ut expresse protestatus fuit [1], scutis 1200.; simulacris quoque aereis pecunia sua conflatis Baptisterium undique cinxit. atque exornavit. Fenestras Ecclesiae Cathedralis aere ipsius constructas fuisse docent acta Visitationis peractae Anno 1621.

Palatium Episcopale a Benzonio inchoatum absolvit propemodum, pretiosaque supellectile, et picturis parergis instruxit. Adolescentium Seminario domum censumque attribuit, egitque cum Societate Mercatorum, ut Beneficium S. Blasii Seminario uniri consentiret. Excogitaverat etiam modum, quo Capitulo Canonicorum Recanatensium subveniretur, ut distributiones quotidianas perciperent, ac in Templo Episcopali, ut decebat, Horas Canonicas, aliaque officia celebrarent, honestiusque alerentur, quod se consecuturum videbat, si Beneficia sua Sodalitates in Canonicos conferrent.

---

[1] In decretis editis in visitatione Ecclesiae Cathedralis die 30. Julii 1619., et in Protoc. Ser Pontii Thomassetti ad ann. 1619. 22. Maji pag. 566. t.

Itaque enixius eas hortatus est An. 1618. mense Augusto, ut ne renuerent hac ratione de patria Ecclesia benemereri. Sed res confici tunc non potuit, conficienda demum a Successore Episcopo [1].

CCLXII. Longius excurrerem, si Galaminii Cardinalis virtutes, pietatem [2] inprimis doctrinam [3], abstinentiam [4], zelum [5], et charitatem [6], digno exornare vellem praeconio. Praesul certe omnium opinione extitit inter eos connumerandus, qui priscos illos sanctissimosque Ecclesiae Patres vita et moribus exprimere, ac repraesentare postremis hisce temporibus visi sunt.

Itaque mirum non est aegerrime tulisse Recanatenses nostros, et Lauretanos [7], cum tanto Pastore ad aliam Cathedram translato orbati fuerunt die 4. Kalend. Junii An. 1620. Abeuntem ingens turba cum lacrymis prosecuta est, cum Auximum proficisceretur Ecclesiae illi praefuturus.

---

[1] Anno 1618. die 15. Septembris Paulus V *cupiens Ecclesiam Cathedralem Recanatensem aliquo speciali munere illustrare, visitantibus in ea VII. Altaria a Card. Galaminio designanda, Indulgentias concessit easdem, quas consequuntur visitantes VII. Altaria Basilicae Vaticanae*. Exemplum privilegii Capitulum marmori incidendum curavit.

[2] Celebrabat quotidie, nisi valetudo impediret, Missae Sacrificium: Sacra Pontificalia ad finem usque vitae obibat ipsemet. Singulis fere Sabbatis plerumque pedes ad Lauretanam Aedem iter faciebat, sive Recanati habitaret, sive Auximi. Singulis diebus horas canonicas, atque Officium M. V. ex Breviario Romano ac dein ex Dominicano quoque Breviario recitabat: diebus lunae officium insuper defunctorum addebat statis illis et quotidianis precibus.

[3] Quod ipsi supererat otium litteris impendebat, amplamque ideo instruxerat Bibliothecam, quam moriens Conventui Faventino reliquit. Mensae quoque lectorem semper adhibuit.

[4] Diebus Veneris, atque in Vigiliis festorum dierum solemniorum pane tantum et aqua victitabat. Longus sim, si de fuga voluptatum, sensuum coercitione et puritatis amore Galaminii, quae habent Paolus a Seio, Compagnonius etc. exscribere velim. Quam fuerit pecuniarum contemptor, testis, verba sunt Nicolai Silvutii, prodeat *Maria* Galliae Regina, quae vel non recepto a Galaminio vel statim redonato regali munere persaepe moesta recessit. Subsidia, quibus Familia universa Dominicana ceteros Magistros Generales prosequi consuevit, ipse vel condonavit, vel neglexit, ut alia taceam innumera abstinentiae specimina.

[5] Uti e Synodis patet, quas tum Laureti, tum Recanati, ac deinde Auximi celebravit, e sacris Visitationibus summa cum diligentia peractis, ex edictis, et legibus sacris, et cumprimis ex assidua in Dioecesibus suis residentia.

[6] Aegrotos ipse invisebat; pauperibus stipem propriis manibus impertiebatur. Domesticorum maxime curam gerebat: cum his vesperi preces persolvere; hos Eucaristico Cibo singulis mensibus ipse reficere; morientibus adsistere consueverat. Anno 1629., ut e monumentis illius aetatis didicimus, 700.: fere pauperibus singulis diebus panes distribui curabat, eodemque anno ultra octo scutorum millia in pios usus expendit. De munificentia ejus erga Ecclesiam Auximanam confer Rmum Compagnonium in Commentariis de Ecclesia Auximana, ejusque Antistibus T. IV. p. 252. et seqq.

[7] Lauretani An. 1618. 19. Sept. Cardinalem Galaminium Civium suorum numero adscripserant.

Vicarios Generales habuerat *Recanati*
Anno 1613. Nicolaum Cardulum Narniensem.
1617. et 1618. Camillum Sermatei Assisiatem.
Laureti
1613. Volumnium Gentilutium Montecassianensem Thesaurarium Lauretanum.
1618. Nicolaum Cardulum Narniensem Canonicum Lauretanum.

CCLXIII. Obiit Galaminius Auximi An. 1639. die 6. Septembris annos natus 87., sepultusque est ibidem in Templo S. Marci Ordinis Praedicatorum. Sepulcro inscriptum est hoc epitaphium:

Ossa Fr. Augustini S. R. E. Presbyteri
Card. tituli Sanctae Mariae de Aracoeli
Episc. Auximatis.

Cenotaphium vero cum elogio honorificentissimo ipsi erexit Romae S. Congregatio de Propaganda Fide. quam haeredem ex asse fecerat. V. Ughellius Coleti in Episc. Auximan. In ultimis tabulis conditis An. 1638, 10. Junii, quae typis expressae fuerunt Romae, commonstravit Cardinalis Galaminius amorem, qui pectori ejus haeserat erga Ecclesias Recanatensem, et Lauretanam. Illi enim 40. loca montium donavit, ex quibus annua scuta 115. percipiebantur, jubens, ut quatuor Canonici majores, qui *Dignitates* vocantur, quotannis in festis Paschatis, et Nativitatis Domini singuli binas dotes e medietate fructuum pauperibus puellis, quae digniores Episcopo, dictis Dignitatibus, et Parochis puellarum viderentur, distribuerent; reliquam medietatem familiis inopibus elargirentur. Lauretanae vero Aedi 20. quoque montium loca dono dedit, ut ex eorum fructibus cera, seu oleum coemeretur, ipseque hac ratione particeps fieret precum, et sacrificiorum in Domo Virginis offerendorum[1].

Delibavimus pauca haec tum e documentis Ecclesiae nostrae, tum e vita MS. Galaminii, quam scripsit anno 1665. P. Paulus a Scio Dominicanus, auctor coaevus, et Episcopo familiaris[2].

---

[1] Nemo plane fuit, qui Cardinali aut necessitudine, aut familiaritate adstrictus esset, quem in testamento praeterierit. Legavit summas non contemnendas Brasighellae Patriae, ejusque loci pauperibus, filiis Mengolini, et Caesaris Galaminiorum, Joa. Antonio Galaminio Meldulensi, Joa. Baptistae, et Thomae Galaminiis Polentanis, Petro Galaminio Faventino, Recuperato Recuperati, familiaribus duodecim, Conventibus Ordinis sui, ubi aliquamdiu commoratus fuisset etc.

[2] Extat penes Illmos. DD. Marchiones Raphaelios Patritios Cingulanos, in Bibliotheca Casanatensi, apud PP. Dominicanos Forocornelienses, et Ravennae apud Monachos Camaldulenses.

Plura vero de eo habent Maraccius in Purpura Mariana p. 45., Fontana in Syllabo Magistrorum S. Palatii p. 152., Mandosius, Calcagnius p. 142., Romualdus Magnani Faventinus in vitis Virorum Sanctorum, Beatorum, et sanctitate illustrium Faventinorum, editis An. 1742., Compagnonius *Memor. della Chiesa Osimana* P. IV. p. 259. Joa. Baptista Tondinius in Libro inscripto — *Lettere d'Uomini illustri*, Maceratae 1782. 4. T. I. p. 12. Pleniorem Cardinalis Galaminii vitam parabant P. Magnacavallius Ordinis S. Dominici, et Cl. Joa. Baptista Tondinius; verum uterque ab inceptis destitit.

Vicarium Capitularem post Galaminii discessum elegit Capitulum Lauretanum mense Junio D. Volumnium Gentilutium Canonicum, et Thesauri Custodem; mense autem Octobris D. Tiberium Cencium Gubernatorem Civitatis Lauretanae. Quam vero electionem fecere Capitulum, Altaristae et Beneficiarii Cathedralis Ecclesiae Recanatensis, eam notis de caussis irritam fuisse Romae declaratum est.

Decessit ex hac vita d. 14. augusti A. 1621. Venerabilis vir P. Joannes a S. Guilelmo Augustinianus Discalceatus magnam post se relinquens hominum de sanctitate et virtutibus ipsius opinionem. Ortus est A. 1552. in oppido Montis Cassiani, ac primum quidem Heremitarum S. Augustini patrio in oppido amplexus est regulam, sed post quadraginta annos, inquit Herrera in communi ordinis provincia transactos, quo tempore perdiu Magistri Novitiorum et Prioris perfunctus est muneribus, plures edidit libros ad pietatem manuducentes, ac verbum Dei Romae, Senis, Lucca, Pisis, et alibi maximo cum auditorum fructu sparsit, reformationem Augustinianorum Discalceatorum anno 1621. mense Majo, paucis nimirum ante obitum mensibus ingressus est. Vitam ejus descriptam typis ediderunt A. 1629. P. Arsenius ab Ascensione, et A. 1733. P. Joannes Jacobus a Passione. Fusius quoque de ipso egit Rev.mus Compagnonius in accuratissimo de Ecclesia Auximana Commentario T. IIII. pag. 125.

JULIUS ROMA S. R. E. CARD.

EPISCOPUS RECANATENSIS XXXI. LAURETANUS IV.

CCLXIV. *Julius* Pauli Camilli filius *Roma* Mediolanensis, Advocatus Consistorialis, deinde utriusque Signaturae Referendarius, atque Aesii, Urbeventi, Camerini, et Perusiae olim Gubernator, purpureo Galero insignitus a Paulo V die XI. Januarii 1621., creatus fuit ab eodem Recanatensis et Lauretanus Episcopus. Cum vero Bullam electionis Paulus Pontifex morte praeventus expedire non potuisset, confici eam jussit Gregorius XV,

qui Titulo etiam, ut vocant, Cardinalitio, scilicet Cardinalis Presbyteri Ecclesiae S. Mariae supra Minervam Julium insignivit. Ecclesiarum suarum possessionem adiit mense Majo; sapientissimasque inde ab initio pro viris Ecclesiasticis leges constituit. Indixit enim Canonicis, ut frequentarent Chorum festis saltem diebus; Altaristis, ut pias benefactorum voluntates accuratius implerent; Beneficiariis omnibus, ut pro Sacristiae necessitatibus, et Ecclesiae decore quartam julii partem de Missis singulis in Ecclesia Cathedrali celebrandis persolverent. Meliorem ordinem in recitatione Divini Officii servandum praescripsit.

CCLXV. Peracta mox Dioeceseos visitatione Synodum Recanati celebravit die 29. Januari 1623., a nervosa brevitate, legumque sapientia commendandam. In ea memoratu in primis dignum est caput XIII. quo ea, quae in decretis Visitationis anno elapso circa discrimen Capitulum Canonicorum inter, et Congregationem Altaristarum constituerat [1], laudavit, atque confirmavit, restituitque pristino decori Cathedralem suam, atque dignitatum omnium praerogativa redonavit. Canonicos gradibus et sedibus suis reddidit, quibus quodammodo exciderant, eisque de annuis redditibus per applicationem beneficiorum, quae jurispatronatus erant Sodalitiorum, consentientibus sodalibus, providit. Hanc Beneficiorum applicationem sive unionem Urbanus VIII confirmavit edita Bulla die 23. Aprilis 1631., quam videsis in Appendice. (N.° CL.)

Ne porro Capitulo nostro ulla deessent munia, quae ex Sacri Concilii Tridentini praescripto Canonicis Cathedralium obeunda sunt, *Theologum* etiam, et *Poenitentiarium* eis adlegit, quibus e fructibus Beneficiorum quorumdam praebendas legitimas confecit. (Calcagni p. 287.)

Capite XIX. ejusdem Synodi Festa peculiaria hujus Civitatis declarat esse Festa *S. Viti* Martyris Patroni urbis nostrae primarii, S. Patris *Flaviani*, in cujus tutela est Ecclesia, et Clerus Recanatensis, tum vero *Adventus Almae Domus Lauretanae;* et haec quidem Festa observanda esse decernit de praecepto; alia vero, ut S. Petri Martyris, S. Dominici, S. Augustini, S. Luciae patronorum secundi ordinis observanda esse ex consuetudine, et in foro dumtaxat, ita ut intra domesticos parietes cuivis labori vacare liceret.

Alias postea Synodos habuit Recanati die 15. Novembris 1632., et die 18. Aprilis 1633., quibus prioris decreta auxit, atque explicuit. Synodus, quam Laureti celebravit die 8. Januarii Anno 1626., hodiedum obtinet; Cleri enim illius disciplinam, et Chori regulas adeo praeclare definivit, ut nihil melius sapientiusque constitui potuisse videatur.

---

[1] Anno 1621. 21. Decembris.

Extat in Archivo Ecclesiae Recanatensis libellus Constitutionum, quas Cardinalis noster An. 1630. die 5. Januarii Clero Monteluponensi ad augendam in Ecclesia S. Petri sive Plebis divini cultus Majestatem praescripsit. Hanc enim Ecclesiam jam tum in Collegiatam erexit, jussitque, ut Presbyteri omnes in eo Oppido commorantes diebus festis Missam et Vesperas solemni ritu cantarent *facientes inter se hebdomades*, eisque, ut Plebano subessent in hisce muniis obeundis, injunxit. Sed de Collegiata Ecclesia Menteluponensi, ubi de Episcopo Campagnolio agemus, accuratius disputabimus

CCLXVI. Recanati inde ab anno 1568. alebantur Puellae orphanae in Hospitali Sodalitii S. Mariae Castrinovi sito juxta viam, qua ab Ecclesia Cathedrali regio Castrinovi adiri solet. Plurimos in earum alimenta sumptus fecerat piissima mulier Barbara Massilla uxor Joannis Laurentii Massutii Patricii nostratis, quae Marthae, ut ajebat anno 1566. Vincentius Porticus Provinciae Prolegatus, apud Recanatenses munia circa pietatis opera fungebatur. Haec in ultimis tabulis, confectis Romae An. 1595. 3. Januarii, domum suam post mariti, et filii obitum in Coenobium viduarum converti voluit. Cum vero anno 1620. 5. Januarii pius vir Hieronymus Tonius Medicus Recanatensis bona sua omnia Collegio Orphanarum ex testamento reliquisset, ut nova ipsis extrueretur Ecclesia, in qua duo Sacra quavis hebdomada pro anima sua fieri jussit; cumque eo ipso tempore Antonius Massutius Barbarae Massillae filius e vita excessisset, neque vidua tunc esset quae vitam agere vellet monasticam in Aedibus a Barbara legatis, neque si qua fuisset, bona suppeterent, unde alerentur, hinc Cardinalis et Ecclesiam e Tonii facultatibus aedificavit, et Superiorem ac Protectorem Orphanarum seipsum fore solemni declaratione professus Massillae aedes iisdem destinavit. Ademta itaque Sodalibus S. Mariae auctoritate, qua gavisi fuerant hactenus in Orphanotrophium, leges novas puellis condidit die 9. Augusti 1625. delectis ex earum numero Magistra, Vicaria, Pedagoga, Ostiaria, Aeditua, et Curatrice aegrarum. Has coerulea veste, et *patientia*, ut vocant, *alba*, quibus a reliquis puellis orphanis discernerentur, uti voluit; jussitque eas adstringere se votis simplicibus castitatis atque obedientiae Episcopo praestandae, promittentes victuras sè ad obitum usque in Orphanotrophio, de cetero, ut in Choro quotidie Officium parvum Mariae Virginis, Litaniasque Lauretanas recitarent, praecepit. Primas Sanctimoniales fuisse comperimus (ex actis Camilli Pretiotti 1626. die 16. Martii) Franciscam Pantaleonam Priorissam, Franciscam Baldi, Mariam Joannis Pauli, Luciam Cinellam, Agnetem Stuppolonam, et Marcellam Vignatam, olim orphanas, et Elisabetham Sebastianam. His ita constitutis die 12. Julii An. 1626. puellas e priscis aedibus in novas ampliores, et commodiores

induxit « *Aedesque in Monasterium erexit, et sic erectum cum Ecclesia,* « *claustro, dormitorio, et aliis requisitis perpetuo puellis et Monialibus* « *supradicti loci Orphanarum assignavit,* easque ad idem Monasterium « transtulit cum omnibus illarum bonis, facultatibus, suppellectilibus, utensiliis, paramentis, et ornamentis, et rebus ejusdem loci, nec non cum « regulis, constitutionibus, et capitulis suis in eisdem terminis *ac statu,* « *in quibus ad praesens reperiuntur, et non alias* etc. Voluit autem « D. S. Illña, quod si futuris temporibus aliqua vidua, quae semper fuerit « bonae famae et probatis moribus, voluerit hunc locum pium ingredi, « recipiatur salvis regulis super hac re edendis adveniente casu etc. » Ita in actis translationis, quae extant in Archivo publico T. I. Camilli Pretiotti Notarii p. 210. Anno demum 1632. 15. Martii constituit claustrum, quo egressus et ingressus ad ipsas nisi cum bona Episcopi venia cuivis interdictus fuit. Atque haec fuerunt primordia insignis Asceterii, quod in Urbe nostra hodieque floret Virginum Deo sacrarum, cui *a Dei Genetrice in Coelum Assumpta* nomen est. Placuit enim vitae genus a Cardinale Julio Roma praescriptum matronis, puellisque nobilibus non paucis sanctioris quidem vitae cupidis, sed quae regulis austerioribus subjicere se nolebant. Hae singulae attulerunt dotem non modicam. e quibus dotibus insigniter auctus fuit Monasterii census. Finis instituti fuit, teste Petro Bonjoannio auctore idoneo, qui Poenitentiarius fuit Monasterii, Orphanas pauperiores, et alias puellas Urbis et agri in operibus Marthae et Magdalenae erudiri. [1] Hoc enim oneris eis imponunt et Episcopus fundator, et Templum e Tonii testamentum fabricatum, atque aedes Massillae, quas incolunt, et bona ac redditus, quae Orphanarum fuerant. [2]

Nunc octo ibi Orphanae aluntur e redditu annuo salmarum octo, quem Sodalitio S. Mariae testamento reliquerat in hunc finem Antonius Angeli de Juntis [3], atque e naulis domorum extructarum An. 1741. eo in loco,

---

[1] Petrus Bonjoannius in opere MS., cui titulus: *Descrizione Apolettica delle Chiese antiche e moderne in onore della B.ma Vergine dentro e fuori della Città di Recanati* (penes R.mum D. Canonic. Matthaeum de Prosperis) — Enimvero An. 1627., idest altero anno post erectum novum Monasterium, decem in eo numerabantur Orphanae, Sanctimoniales octo, et *Convictrices* octo.

[2] Victitabant e bonis Orphanarum Ao. 1625. puellae novemdecim, quarum aetas et nomina referuntur in actis Visitationis Episcopalis istius Anni. Annuus enim ex eis redditus colligebatur scutorum 292., summa pro illis temporibus satis conspicua. (Ex indiculo redditum puellarum orphanarum in Archivo Episcopali).

[3] Ser Petrus Antonius Fabritii de Constantinis de Penna S. Joannis in protocollo Ao. 1518. ad diem 18. Aprilis.

Redditus octo salmarum tritici ultimis hisce annis Seminario concessus fuit.

ubi Orphanotrophium olim extiterat, et e bonis Monasterii universis, quippe quod hunc in finem potissimum conditum fuit.

Sanctimoniales quoque Asceterii S. Benedicto dicati ad ultimam fere pauperiem redactas aere proprio juvit, collapsamque in eo disciplinam, vitamque communem restituit Cardinalis, perfecitque, ut An. 1631. Collegium Mercatorum scuta annua 30., Fraternitas S. Mariae scuta 40. et salmas frumenti quatuor conferrent (quod praestiterunt ad annum usque 1652.). Sodalitas vero S. Luciae curam susciperet eas alendi, ac bona et fundos administrandi. [1]

Anno 1624., ut ex Annalibus Reipublicae Recanatensis libris intelligitur, initium habuit mos utique piissimus, qui hodieque obtinet, quo Puellae centum comitantibus nobilibus quibusdam Matronis ac Viris Virginem Lauretanam eunt casta Matri castissimae vota oblaturae.

CCLXVII. Cardinalis Roma, Calcaneo teste, vir fuit insigniter pius, Sacra quotidie facere, Officium Defunctorum, Rosarium B. V. singulis diebus recitare; precationes canonicas flexis genibus persolvere, libros asceticos assidue versare, feminas nonnisi apertis januis audire, carnibus abstinere feria quarta, et Sabbato paucis oleribus victitare mos ei solemnis fuit. Pauperes, ut Ughellius auctor coaevus perhibet, munificentissime aluit, cultumque divinum effusis propemodum opibus promovit. Jubilaeum, sive indulgentiam peccatorum amplissimam cum facultate confessarium eligendi An. 1625. ab Urbano VIII pro civitate Recanatensi obtinuit octiduo duraturam; quo tempore Cardinalis ipsemet solemnissimam supplicationem cum Clero et Populo universo ad Ecclesiam Lauretanam instituit. Cathedralem Ecclesiam ornavit, nobilique suppellectile Sacrarium ditavit. Chorum impensa scutorum mille [2] exaedificavit, atque in eo organum pneumaticum conficiendum curavit. Palatium Episcopale amplius reddidit; ut verbo dicam, Patris ac Pastoris munere ita defunctus est, ut haud minus flebilis populo suo acciderit translatio Julii ad Ecclesiam Tiburtinam, quam Galaminii ad Auximanam. Discedere hinc jussus est Cardinalis Roma 12. Kalend. Augusti anni 1634. [3] A Tiburtina deinde gradum fecit ad Ecclesiam Tusculanam 13. Julii 1644., ad Portuensem 23. Octobris 1645., deinde ad

---

[1] Munus illud Sodalitas S. Luciae ad annum usque 1731. (V. acta Ser Marci Gentilis) gessit, donec nimirum solutis debitis, auctoque patrimonio Monasterium aliena non amplius indigeret ope.

[2] E Protoc. Ser Camilli Preliotti A. 1638. die 5. Novembr. p. 63.

[3] Eodem anno confecta fuit a Petro Paulo Jacometti sculptore Recanatensi nobili insignis illa immago aerea B. Virginem Lauretanam cum Aede ipsius sancta exhibens, qua Curiae Recanatensis anterior murus exornatur sumtibus S. P. Q. Recanatensis, et Sodalitatum nostratium.

Ostiensem 29. Aprilis 1652., quo anno de vita migravit die 16. Septembris. fuitque in lateritio tumulo depositus in Ecclesia S. Caroli ad Cursum, deportandus inde Tibur, ac in Cathedrali Ecclesia ab ipsomet magnifice extructa sepeliendus.

Vicarii Generales Cardinalis Julii Romae fuerunt *Recanati.*
Anno 1621. Octavius Figinus J. U. D. Protonotarius Apostolicus.
1622. Alexander Lucidus Archidiaconus Recanatensis.
1623.-1625. Valerius Andrejus.
1625.-1631. Camillus Ser Mattei Assisias.
1632.-1634. Sebastianus Ciuccius.
Laureti
1621. Isidorus Mattuccius Auximanus Archidiaconus Lauretanus.
1621. Mercurius Vulpianus Clericus Recanatensis J. U. D.

Vicarius Capitularis electus fuit Recanati die 28. Augusti contra morem majorum a Canonicis et ab Altaristis, quae proinde electio irrita fuit.

Laureti designatus fuit a Capitulo Vicarius Mutius Andreolius Canonicus.

CCLXVIII. Claruerunt apud nos pietatis praesertim fama, dum Julius Ecclesiae nostrae praesideret: *Vespasianus Bonamicius* e Societate Jesu, qui per triginta annos fidem Christi apud Indos docuit et propagavit.

Decessit e vivis die 8. Junii anni 1632. *P. Cornelius Lunarius* Capuccinus, vir sane paucis comparandus sanctitate vitae, zelo animarum, fervore caritatis, prudentia, ac dexteritate in rebus agendis, eruditione etiam sacra; in his enim omnibus excelluit. Quare Commissarius Ordinis sui in Sabaudiam missus maximo honore apud omnes, ipsosque Genevenses haereticos fuit, quorum non paucos ad Fidem Catholicam reduxit; Ordini vero suo iis in regionibus octo Conventus addidit. Virtutum quoque suarum odorem longe lateque sparsit cum in Hungaria, quo copias Pontificias in Turcas proficiscentes comitatus est, tum in Flandria, ubi Conventui apud Antuerpienses Hibernico praefuit, functus antea Commissarii officio. Inde Coloniam Ubiorum discessit eodem functurus munere. Hic Provinciae habenas ipso moderante fundati fuere Conventus Ordinis quinque. Tandem postquam socius fuisset P. Hieronymi de Castro Ferrettorum Ministri Generalis in visitandis Hispaniae et Franciae Conventibus, tot laboribus fractus, imo potius aegritudinibus impeditus in Patria substitit, ubi septem annis patientiae, omniumque religiosi hominis virtutum exemplar fuit. Carus in primis extitit Julio Cardinali, qui aegrotantem saepius invisit. Mortuo summi honores ab universo populo, atque cujusvis coetus viris religiosis habiti sunt, oratione autem funebri laudatus est a quodam e Societatis Jesu Patribus. Attulerat e Germania Brachium

S. Jacobi Majoris, quod a Sodalitate huic Sancto devota servatur. Libros complures ab ipso compositos, quos MSS. reliquit, recenset in Bibliotheca Capuccinorum Dionysius Genuensis.

Aliud ejusdem Ordinis insigne ornamentum extitit *Angelus* Fabritii Lepretti Recanatensis, et Annae Ghisleriae Matronae Aesinae ingenii ac eruditionis, ac poeticae inprimis artis laude celeberrimae filius, dictus postea *Josephus Maria,* qui vitam mortalem apud Capuccinos Patres exuit viginti et tres haud amplius annos natus, quorum tres in Ordine expleverat, apud omnes ob perpetuum praeclarissimarum virtutum inde a pueritia exercitium summam sanctitatis opinionem adeptus, ac miraculis etiam clarus. Obiit die 1. Aprilis 1633. [1]

Inter Jesuitas quoque eodem tempore floruit *Thomas Massutius* tum pietate, tum litteris. Hic in Polonia Theologiam docuit, deinde Romani Collegii Praefecturam gessit, quo in munere obiit mense Martio 1636. — Edidit *de coelesti conversatione per internam orationem, et exercitia spiritus* Libros VIII. Romae 1622. in 4., Volumen superna sapientia plenum, et commendatum maximopere a vitae perfectioris Magistris. Aliud volumen, cui titulus — *Paulus Apostolus*, sive *Vita S. Pauli Apostoli historice et dogmatice explicata* Libri XV., prodiit Lugduni 1633. in 4. Haec ex Alegambio f. 434.

Neque silere hic fas est *Hypermestram Massutiam* Joannis Laurentii et Barbarae Massillae filiam, quae piissimae matris exemplum imitata facultates suas Virginibus pauperibus, quae Deo seipsas, ac monasticae vitae devovere vellent, donavit. — « *La roba mia*, sic mentem suam explicat mu-
« lier optima in schedula autographa scripta die 22. Maji An. 1622., cujus
« exemplum descripsit Torquatus Botanus Notarius, *La roba mia serva*
« *per Dote di povere giovani vergini ben nate, cioè di buona e santa*
« *vita, e costumi, che si vogliono far Monache Capuccine, tanto di Cit-*
« *tadine come Artigiane, e Plebee,* pure che costino, che siano honorate,
« e che per impossibilità non si fanno Monache . . . . come sarà arri-
« vata al numero di ducento scudi si dia per dote *a una che veramente*
« *costi che sia povera et non abbia niente,* et se in detto Monasterio non
« ci fosse luogo . . . . entri in un altro, et così intendo che si facci sem-
« pre . . . ne resti la cura alla Compagnia di S. Giacomo et al Vescovo
« di quel tempo . . . . dichiarando, che mai per qualsivoglia pretesto di
« opra migliore e pia si possa commutare ne levarne pure una minima
« particella — »

---

[1] E foliis MSS. de vita ipsius in Archivo PP. Augustinianorum. V. Calcan. p. 180., Annales et Legendarium PP. Capuccinorum.

AMICUS PANICIUS

EPISCOPUS RECANATENSIS XXXII LAURETANUS V.

CCLXIX. *Amicus Panicius* ex Comitibus Castri Falcini, Horatii Panicii, et Pierae Nicolaae Ricciae filius, Maceratensis, natus die 10. Julii 1598. Praepositus primum fuit Ecclesiae S. Salvatoris in patria urbe, dein ab anno 1632. Sarsinae Episcopus, vir, teste Petro Bonjoannio, omnibus bonis artibus, mathematicis [1] in primis, et medendi scientia eruditus, de cetero affabilis admodum ac benignus, qui aspectu etiam probitatis indice animos sibi devinciret. Adfuit exercitui, quem Urbanus VIII contra Italiae Principes foedere junctos comparaverat, inque eo rerum victualium Commissarii, et Praesidis munere functus est.

Ad Recanatensem atque Lauretanam Ecclesias a Sarsinati translatus fuit Kalendis Januarii 1635.

CCLXX. Lustravit Dioeceses anno 1637., iterumque anno 1640., qua occasione, cum in Oppido Castri Fidardi ageret, Collegium instituit Presbyterorum in Ecclesia S. Stephani sive Plebis, quorum officium esset quotidie sacra omnia Canonicorum more obire. Hunc in finem Parochos S. Abundii, et S. Mariae de Muchia ad Plebem transtulit, eisque sex Sacellanos adjunxit, ita ut praeter Plebanum octo essent Sacerdotes huic Ecclesiae adscripti. Sic disciplinae Cleri Castrofidardensis optime consuluit Panicius, exemplum secutus Benzonii, qui in Synodo Lauretana anni 1592. leges pro Clero illo condiderat.

Jurisdictionem Lauretanae Sedis adversus Cardinalem Protectorem, quamvis eo promovente ad dignitates ascendisset, egregie et constanter defendit, plusque apud Panicium potuit officium quam gratia.

Lites quoque nonnullae cum Magistratibus Recanatensibus ei intercesserunt, levibus, ut quidam volunt, de causis. Sed nos hanc camarinam non movemus.

Cum orta esset inter Sacerdotes majores minoresque Ecclesiae Cathedralis controversia de jure eligendi Sacristam, Syndicos, ac Deputatos, de-

---

[1] In bibliotheca Nob. viri Marchionis Isidori de Robertis Patricii nostratis delitescit Codex in folio, ut ajunt, anno 1629. ab ipsomet Amico Panicio scriptus quo Astronomorum et Astrologorum dogmata exponit, ac demonstrationibus et figuris illustrat. Exemplum aliud ejusdem operis extat in bibliotheca Baptistelliana in Oppido Roccae Contradae. Hisce artibus per triennium operam dederat magistro usus Francisco Spina medicinae apud Maceratenses Doctore.

cretum prodiit a Sacra Congregatione Concilii latum die 14. Decembris 1646. . . . . *Computum redditum Sacristiae examinandum fore coram Episcopo,* ut statuerat in Synodo Card. Julius Roma, *praesente uno ex Canonicis, atque uno Beneficiato non participante, si adesse is velit.*

Anno 1650. Sodalitia nostra Romam Jubilaei causa adierunt.

Exornavit Panicius Chorum Ecclesiae Cathedralis gypseis ornamentis, elegantibusque picturis, quibus S. Viti Martyrium Carosius artifex percelebris repraesentavit, auro etiam fictisque marmoribus. Addidit organum alterum, statuasque aereas in Baptisterio collocavit. Neque Episcopali Palatio ejus sollicitudo defuit. Ceterum quae sunt Ecclesiastici muneris, caeremoniasque solemnes indefessus obivit. Cultum Dei ut promoveret, Sodalitia plura erexit, ac demum auctor fuit praeclarissimae Congregationis S. Philippi Nerii Recanati instituendae. Cum enim huc advenisset vir inter Oratorii istius alumnos longe celeberrimus Joa. Baptista Magnantius et populum exercitiis S. Ignatii excoleret, Sacerdotes quidam pii verbis ipsius inflammati, ut S. Philippo Nerio duce et auspice animarum saluti studerent impensius, rem promovente Panicio Episcopo, ac coepta probante Venerabili Viro Antonio Grassio, Carolum Anticium Congregationis Firmanae Presbyterum ac civem Recanatensem accersiverunt, qui Oratorio nostro superatis, quae obstare videbantur, initium dedit die 16. Maji An. 1656. qua de re fusius agunt Baldassinius in vita P. Magnantii, et Joannes Marcianus in commentariis suis de rebus Congregationis Sacerdotum a S. Philippo Nerio institutae.

CCLXXI. Demum hydropisi correptus, qui morbus perdiu eum tenuit, quemque constantissime tulit, postquam largissimas eleemosynas in egenos distribuendas curasset, piissime obiit die 16. Octobris 1661. ingenti cum dolore universi populi, qui pium. justum, humanissimumque Pastorem diu desideravit, depositusque est in Ecclesia Cathedrali Recanatensi prope Cappellam S. Ludovico sacram, sive prope Altare Confaloneriae gentis (ut ait P. Raimundus Zenobius Dominicanus Amico Panicio coaevus) alibi postea sepeliendus. Verum mansit corpus ejus eodem in loco, donec sublato illo Sacello, ut extrueretur aliud amplius, in cujus ara adservandum esset SS. Eucharistiae Sacramentum, auferri debuit Panicii corpus, collocatumque est ad laevam Chori sub scala quadam, ubi repertum fuit hoc ipso anno vix non incorruptum. Nunc in sepulcro Episcoporum quiescit post Aram maximam.

Cathedrali Ecclesiae vestes sacras quamplures testamento reliquit.

Vicarii ejus Generales fuerunt *Recanati.*

Anno 1635.-6 Deiphobus Cornazzanus Lauretanus.

1637.
1647. } Thomas Monaldus Canonicus Recanatensis.

1650.-51. Augustinus Alphonsus Blancus de Monticulo.

1651.-52.-53. Gabriel Pascoli Ravennas.

1654.-55.-57. Augustinus Alphonsus Blancus Proton. Apost.

1658.-60.-61. D. Antonius Franciscus Robertus Recanaten. I. U. D. Prot. Apost.

1661. D. Antonius Condulmarius Canonicus Recanatensis.

Laureti.

1635. Petrus Franciscus Busca Papiensis Canonicus Lauretanus.

1639. Camillus Androtii Monticulanus.

1640. Petrus Franciscus Busca iterum.

1642. Camillus Androtii Monticulanus iterum.

1645. Tiburtius Thomasii de S. Barbara Archipresbyter.

1648. Claudius Angelinus Maceratensis.

1649. Martinus Massutius de Guardia Proton. Apost.

1650.-1658. Casp. Lusignanus Cyprius J. U. D. Proton. Apost. et Archidiac.

1660. Joseph Capotostius Thesaurarius Lauretanus.

1661. Carolus Floravantius J. U. D.

CCLXXII. Amico Panicio coaevos habuit Patria Recanatensis complures virtutibus insignes viros. Et quidem annus 1639. emortualis fuit *Ludovici Anticii* Clerici Theatini, de quo V. Calcau. p. 183.

Anno 1656. 7. Septembris obiit Recanati *Franciscus* Petri Antonii filius *Massutius* natus anno 1610., vir ingenio pollens, ac musis praesertim etruscis familiaris, qui ab Innocentio X An. 1648. creatus fuerat Pennensis atque Adriensis Episcopus. Ingenii monumentum reliquit Poema heroicum de S. Viti patriae urbis Patroni martyrio etrusco carmine elaboratum, elegans admodum, ac luce publica dignum, quod manu auctoris exaratum possidet Bibliotheca Carradoria.

Ludovicus Centoflorenus J. C. e celebrioribus aetatis suae, auctor noti voluminis, cui titulum fecit: *Clypeus Lauretanus adversus haereticorum sagittas.* Romae 1643. 4., aliorumque commentariorum, quorum meminit Bibliotheca Picena Auximi edita An. 1793. Electus fuit a Clemente X Nicoterae in Calabria Episcopus.

Fratres Ludovici *Julius Caesar,* et *Constantius* Romanam Aulam secuti cum jam in eo essent, ut summos honores adipiscerentur, relictis saeculi vanitatibus societatem Jesu ingressi sunt ambo, provecti uterque aetate, inque ea ad 85. usque vitae annum egerunt.

Minime omnium hic nobis silendus est *Petrus Bonjoannius* Francisci Filius, Presbyter Recanatensis. Hic nobili et vetustissima stirpe pro-

gnatus inde a teneris annis non ambigua edidit ingenii ac probitatis specimina. Magnam aetatis partem exegit colligendis Patriae monumentis historicis, vindicandisque juribus. Etenim acta Senatus ab anno 1417. ad 1560. quae extabant, improbo labore in compendium redegit, quo quidem compendio egregie nobis profuit, ne pervolvere cogeremur tot volumina, quibus acta illa continentur. Idem Bonjoannius exscripsit vix non omnium Beneficiorum fundationes, Sodalitiorum pervolvit Archiva. historias affectavit aliquot Episcoporum, Ecclesiarum, Virorum illustrium, nobiliumque familiarum. Musas quoque maxime sacras coluit. Sed, quod doleas, pleraque ejus scripta aut perierunt, aut cum tineis blattisque luctantur. Quae vero supersunt, rudis indigestaque moles, praeter compendium, quod diximus, librorum annalium, nulli fere usui nobis fuerunt. Ceterum animarum curam gessit Bonjoannius Parochiae primum Castri Novi, deinde S. Michaelis in Ponticello, Poenitentiarius etiam pluribus annis Sanctimonialium Capuccinarum, et Orphanotrophii S. Mariae ad Coelos assumptae extitit, atque ad graviora quaevis negotia ab Antistibus adhibitus egregiam eis praestitit operam. Obiit anno circiter 1663.

Vacavit Sedes Episcopalis mortuo Amico Panicio annis fere quinque. Quo tempore lis inde ab anno 1634. mota de jure Vicarium Capitularem eligendi Canonicos inter et Sacellanos Ecclesiae Cathedralis Recanatensis denuo exarsit, quae demum An. 1701. 4. Junii in favorem Canonicorum decisa fuit. Itaque Vicarium deputavit Sacra Congregatio Concilii 12. Novembris 1661. Antonium Condulmarium Canonicum Recanatensem.

Laureti Vicarii Capitularis munus gessit Joa. Baptista Laurentinius Romanus ejusdem Ecclesiae Archidiaconus.

HYACINTHUS CORDELLA

EPISCOPUS RECANATENSIS XXXIII. LAURETANUS VI.

CCLXXIII. Nobili apud Firmanos genere ortus fuit *Hyacinthus* Lutii Cordellae filius, Hieronymi nobilissimi aevo suo medici, et Clementis VIII Archiatri nepos. [1] Ob singularem prudentiam. atque in rebus gerendis dexteritatem charus in primis fuit cum Urbano VIII P. M., tum principibus viris, quod patuit in legatione ad Sabaudiae Duces, quum a Secretis esset Legatorum. Etenim gravia, quae Duci cum Principibus Masseranensibus et Republica Genuensi intercedebant, dissidia ipse ita composuit, ut auctoritatem Pontificis fortiter tuendo, nihilominus Ducis animum sibi conciliaverit.

[1] Natus est Hyacinthus die 10. Iunii 1602.

Itaque Episcopus primum creatus est Venafranus inde ab anno 1635.; a qua Ecclesia ad nostras promotus fuit 15. Decembris 1666., earumque regimen suscepit 4. idus Januarii 1667. [1]; et Recanatum advenit die 7. Aprilis, easque tanto amore complexus est, ut nulla ratione ab ipsis divelli se pateretur, neque oblato sibi munere Nuntii ad Helvetios, neque Archiepiscopatu Urbinatensi, quo exornare eum voluerat Summus Pontifex.

CCLXXIV. Ecclesias visitavit annis 1667. 1668. et 1669.

Anno 1669. 26. Martii Parochiam S. Luciae ad Ecclesiam Cathedralem transtulit, ac transferre meditabatur ad Ecclesiam Cathedralem Altaristas etiam Castrinovi, et Montis Morelli, ut ex actis Senatus An. 1671. constat.

Lites eo fere tempore diuturnae intercedebant Capitulo Recanatensi cum Magistratibus ob coeremonias quasdam, aliaque levioris momenti. Tentata saepius concordia fuit frustra. Tandem post invocatum novendiali supplicatione Indiarum Apostolum S. Franciscum Xaverium inita est pax desideratissima. Quamobrem omnium calculo Sanctus ille in Patronum Urbis adscitus est, honorandus quotannis oblatione sex librarum cerae. (Annal. Recanaten. An. 1675. ad diem 14. Decembris.)

Morte sublatus est Hyacinthus Episcopus die 15. Decembris 1675., sepultusque est in Ecclesia Cathedrali Recanatensi, cui casulas aliquot aureis et sericis filis contextas, et calicem argenteum in testamento legavit.

Vicarii Generales *Recanati*

Anno 1667-72. Joseph Capitostus.

1673-75. Joa. Baptista Cocciotti.

Laureti

1667. Franciscus Croce de Caldarola Archipresbyter.

1667. Horatius Capotostus de Monte Ottone Canonicus Lauretanus.

1669. Silv. Passerinius de Nursia Protonot. Apost.

1670. Horatius Mattioli de Gualdo.

1671. Ignatius Cordella Canonicus Lauretanus.

De Hyacintho Cordella, ejusque avo plura Mandosius in Theatro Medicorum Summorum Pontificum p. 89. et Cl. Cajetanus Marinius de Archiatris Summorum Pontificum.

CCLXXV. Hujus Episcopi tempore obierunt sanctitatis famam post se relinquentes: die 3. Augusti 1666. *Camillus Massutius* Thomae et Mariae Anticiae filius, natus die 16. Septembris 1615., de quo Caleagnius p. 183., et Annal. Camald. T. VIII. pag. 525. — Hic per 17. et amplius annos quotidie pedibus iter emensus est, quod Lauretum inter et Reca-

[1] Archiv. Capitul. Recanaten.

natensem urbem intercedit, atque a summo mane donec Missae in Templo Lauretano celebrarentur, ex eo non discedere: iis demum finitis jejunus domum repetere solemne habuit. Hoc quidem singulare in eo fuit. Accessit reliquarum virtutum chorus, et constans pietatis exercitium. Quare inter Coelites receptum fuisse opinio invaluit, et opinionem miracula confirmaverunt Camilli. ut existimabatur, intercessione patrata. Hinc decretum, quod in actis Senatus habetur, editum die 20. Januarii 1673. rogandum esse Episcopum . . . . *affinchè si faccia l' esame delle continue grazie, e misericordie, con le quali si compiace l' Altissimo di onorare l' intercessione del già Sig. Camillo Massucci, perchè restino vive alla memoria de' posteri a maggior gloria di Sua Divina Maestà ed onorevolezza della nostra Città.*

Die vero 5. Februarii 1672. e vivis excessit *Maria Baptista Massaria* Sanctimonialis Capuccina, postquam in Monasterio quinquaginta et quinque annis Deo servisset, ac Sororibus saepius ut Magistra praefuisset, Firmumque accita Conventum ibi Ordinis. atque Instituti sui fundasset.

Vicarium Capitularem Hyacintho defuncto pro Ecclesia *Recanatensi* deputavit Sacra Congregatio Concilii, quod de jure illum eligendi lis adhuc esset sub judice.

Lauretanis jus dixit Horatius Capitostus Canonicus illius Ecclesiae et Vicarius Capitularis.

ALEXANDER CRESCENTIUS S.R.E.CARD.

EPISCOPUS RECANATENSIS XXXIV. LAURETANUS VII.

CCLXXVI. *Alexander Crescentius* Romanus Joa. Baptistae, et Annae de Maximis filius, Petripauli Cardinalis ex fratre nepos, cum omnia summa pro generis nobilitate sperare posset, contemtis mundi honoribus, Clericus Regularis Congregationis Somaschae esse voluit. Quam vivendi normam secutus adeo in omni virtutum genere profecit, ut apud omnes summo esset in pretio. Itaque An. 1643. creatus est ab Urbano VIII Episcopus Termulanus, et anno sequente Ortonensis et Camplensis. Ablegatus dein fuit ab Innocentio X ad Sabaudiae Ducem tamquam Nuntius Sedis Apostolicae ordinarius. Quo munere cum perfungeretur, Bituntinae Ecclesiae praefectus est, eamque ad annum usque 1668. piissime rexit. Quaesitoris etiam Fidei officium aliquandiu Neapoli obivit. Romae deinde substitit, cum Bituntinae Cathedrae valedixisset, variisque in Aula muneribus adhibitus est, Patriarchatu auctus Alexandrino die 19. Januarii Anni 1671. Demum a Clemente X Apostolici Cubiculi Praefectura decora-

tus fuit, renuntiatusque die 27. Maji 1675. Presbyter Cardinalis tituli S. Priscae.

CCLXXVII. Nostrarum vero Ecclesiarum Antistes creatus est die 24. Februarii 1676., iniitque Pontificatum, ut ajunt, per Procuratores die 22. Martii [1]. Recanati advenit die 6. Junii.

Visitavit Ecclesias suas Anno 1676. mense Julio.

Extinxit An. 1677. Societatem S. Luciae, iterumque die 22. Octobris 1680., subrogata Sodalitio nova quadam Congregatione, quae bonorum ac fundorum curam gereret, atque in hanc jura, praerogativas etc. pristinae Sodalitatis transtulit, cui dein 1683. 6. Aprilis domos tres donavit (Dominicus Biscia Not.)

Cum Ecclesias suas per sexennium rexisset, inque eis moderandis mirifice cultum divinum auxisset, munere Episcopali se exsolvit die 10. Januarii 1682. obiitque Romae 8. Maji anno 1688., postquam vixisset annos 80. menses 7. dies 26.

Scalam extruxit Palatii Episcopalis Recanatensis, donavitque Ecclesiae Cathedrali insignem thecam condendis S. Flaviani Reliquiis, duas quoque casulas filis auratis contextas.

Vicarii Generales *Recanati*

Anno 1676.-79. Bartholomaeus Stelluti J. U. D. Protonot. Apostolicus.

1679.-80. Marcus Tullius de Angelis J. U. D. Protonot. Apostolicus.

1680. Lucas Marthani Protonot. Apostolic. J. U. D., qui et Sede vacante Vicarius Generalis Apostolicus fuit a S. Congregatione Episcoporum et Regularium deputatus, quae Lauretanis quoque Vicarium Apostolicum dedit Jacobum Buccauratum.

Laureti

1676. Antonius Franciscus de Robertis Recanatensis, qui postea Archiepiscopus fuit Urbinas.

1679. Lucas Martani da Marta.

1680. Jacobus Buccauratus de S. Severino.

GUARNERIUS DE GUARNERIIS

EPISCOPUS RECANATENSIS XXXV. LAURETANUS VIII.

CCLXXVIII. *Guarnerius de Guarneriis* Francisci, et Magdalenae Leopardiae Patriciae Recanatensis filius, Auximanus, e nobili et antiqua familia Guarneriorum natus est die 20. Octobris An. 1615. Hic optimis

[1] (E libris Cancell. Lauretanae) Procurator fuit Recanati Bartholomaeus Stellutus Vicarius Generalis, Laureti autem Antonius Franciscus de Robertis.

in patria studiis excultus Bononiae juris scientiae adeo diligentem navavit operam, ut aliquot post annis, Romae cum ageret causas in celebriorum patronorum numero positus fuerit.

Signinus dictus fuit Episcopus die 20. Octobris 1655., Crescentio vero Cardinali postquam nostram dimisit Ecclesiam suffectus est 14. Kal. Martii 1682. [1] Guarnerii nomine possessionem adiit die 2. Martii Petrus Antonius Marefuscus nepos. Ipse Recanati advenit die 24. Martii.

Ecclesias visitavit eodem anno 12. Septembris.

Anno 1686. 29. Januarii, revocato more et jure antiquo, constituit, ut is qui Cantoris in Ecclesia Cathedrali dignitatem obtinet, perpetuus quoque sit musicae praefectus. Eadem die juxta normam Caeremonialis antiphonas a Diacono parato Canonicis praecinendas esse jussit, cum Episcopus solemniter celebrat sacra, non a Cantore. Adeo nihil eum fugiebat ex iis, quae observari debent, si rite Deo litare velimus. Idem vehementissime ursit, ut quivis Ecclesiasticis Ministeriis mancipati interpretationi publicae SS. Codicum, et explicationi, quae eodem apud nos tempore fieri solet, difficultatum insigniorum Theologiae morum, ac scientiis, quibus Pastores animarum exornatos esse decet, eximie excolerentur (1689. 18. Novembr.) Sic modestiam, ordinem, ac decentem cultum summopere commendavit observandum in caetibus suis a Rm̃o Ecclesiae Cathedralis Capitulo.

Optimi Pastoris munia obeuntem abstulit invida mors die 30. Decembris 1689. — dum Laureti consisteret, ubi depositum fuit ejus corpus prope Sacristiam Almae Domus [2].

Vicarii Generales *Recanati*

Anno 1682.-6. Petrus Antonius Marefuscus de Monte Sancto.
1686.-9. Lucas Marthanus.
1689. Raymundus Archangeli.

Laureti

1682. Lucas Martani de Marta.
1683. Jo. Carolus Vannarelli de S. Genesio Archipresbyter.
1685. Thomas Confalonerius Recanatensis.
1686. Jacobus Simonettus Canonicus Auximanus.
1687. Franciscus Bettinius Recanatensis.
1688. Cyriacus de Monte Anconitanus.

Vicarium Capitularem Recanati designavit S. Congregatio Concilii Tridentini die 28. Jannarii 1690. Hieronymum Lunarium Canonicum Recanatensem.

---

[1] Bullar. Archiv. Episc. Recanat.
[2] E libro Mortuorum Ecclesiae Lauretanae.

Laureti Vicarius a Capitulo delectus est Jacobus Aemilius Gentilutius ejusdem Ecclesiae Archidiaconus.

CCLXXIX. Guarnerii tempore patriam Recanatum illustrarunt tres Episcopi Cives nostri.

Philippus Condulmarius Marcelli, et Lucretiae Alemanniae filius, electus An. 1685. Archiepiscopus Nazarenus. Decessit An. 1688. mense Octobris.

Joa. Baptista Anticius Antonii, et Ludovicae Politae filius, natus An. 1630. Hic Ecclesiae Cathedralis Praepositus diu fuit, atque tum in Patria, tum alibi Episcoporum vices pari cum prudentiae ac doctrinae laude gessit. Amerinae demum Ecclesiae Episcopus creatus est ab Innocentio XI die 26. Martii 1685. Obiit in Patria 15. Julii 1690., sepultusque est in Templo Cathedrali.

Antonius Franciscus Robertus Tullii filius, qui postquam ut Vicarius Generalis Recanati, et Laureti, Viterbii. ac demum Nonantulae dioeceses rexisset, Archiepiscopatum Urbinatensem adeptus est An. 1685., eique ad annum usque 1701., qui extremus ei fuit, egregie praefuit.

RAYMUNDUS FERRETTIUS

EPISCOPUS RECANATENSIS XXXVI. LAURETANUS IX.

CCLXXX. *Raymundus e Comitibus Ferrettis* Anconitanus Caesaris et Magdalenae Silvestriae Matronae Cingulanae filius, natus est die 20. Novembr. 1650. Laurea utriusque juris decoratus Anconitanae Ecclesiae Archidiaconus fuit, ac Civitatis Templique Lauretani ab anno 1682. ad annum 1691. Gubernator, quod munus ita gessit, ut egregia ederet pietatis, doctrinae, ceterarumque virtutum Praesule sacro dignarum specimina. Quotidie Sacrum faciebat, quotidie vespertinis horis Templum adibat precibus vacaturus. Oratoria, ut vocant, quadragesimalia in Palatio Lauretano instituerat, solitus maximo cum fervore ad frequentes admodum auditores de Passione ac morte Servatoris verba facere, quas orationes miris eloquentiae et sacrae doctrinae luminibus illustrabat. Templo Lauretano minus diligenter a decessoribus habito nitorem restituit. Sacellum in carceribus aedificavit, ne quid dicam de sublatis civium dissentionibus, restauratis moenibus etc.

Ad Recanatensis et Lauretanae Ecclesiarum regimen vocatus est 6. idus Julii An. 1690. [1], quibus paucis mensibus praefuit, translatusque est

[1] Possessionem ipsius nomine adiit die 26. Julii Julius Abbas Bonjoannius Recanatensis.

postquam An. 1691. visitationem Ecclesiarum peregisset, ad Archiepiscopatum Ravennatensem die 8. Januarii 1692., eaque in sede obiit die 24. Martii 1719. De eo fuse Amadesius in Chronotaxi Archiepiscoporum Raven.

Vicarii Generales *Recanati.*

Anno 1690. Raymundus Archangeli.

Laureti

Cyriacus de Monte Anconitanus.

Sede vacante, cum duraret adhuc lis de jure Vicarium Capitularem eligendi, deputatus fuit a S. Congregatione Concilii Tridentini Vicarius dioecesis Recanatensis die 26. Januarii 1692. Hieronymus Lunarius Canonicus Recanatensis.

Laureti Vicarium Capitularem gessit Philippus Antonius Clementi Lauretanus ejusdem Basilicae Canonicus.

CCLXXXI. Obiit An. 1691. die 7. mensis Martii *Fr. Bonaventura de Massariis* Recanatensis, Capuccinus et Concionator Sacelli Pontificii, annos natus 77. — Orator sane fuit Bonaventura noster nulli ex iis, qui saeculo illo floruerunt, secundus, sive vim spectes rationum et argumentorum, sive pietatis sensus, quos ubique spirat, sive delectum verborum non fucatorum pro istius aevi more, sed simplicium, in quibus tamen neque elegantiam desiderasses. Ingenium, quod ipsi inerat plane oratorium, excoluerat cum solerti ac diuturno studio humanarum ac divinarum scientiarum, quas octodecim annis publice docuit, tum usu ipso dicendi per annos haud minus duo de quinquaginta continuato, quibus verbum Dei per omnem fere Italiam ingenti cum fructu disseminavit.[1] De cetero gessit Ordinis sui munia omnia atque honores, Guardiani. Ministri Provincialis. Definitoris pluries, Procuratoris ter, et Vicarii Generalis bis. Qualificator fuit S. Officii, et S. R. E. Cardinalium in Conclavi pro electione Pontificis coactorum a confessionibus. Demum per annos sexdecim Ecclesiasten egit in Palatio Apostolico. Conciones Romae typis excusae prodierunt An. 1693. ac secundis typis etiam Venetiis An. 1790. in tomos duos digestae, curante Didaco Calcagnio, qui et vitam Bonaventurae, ac Mariae Baptistae ipsius sororis Virginis Capuccinae italico vulgari sermone conscripsit, ac publicae luci commisit Messanae Anno 1702.

Paucis post Massarium mensibus (13. Julii 1691.) e vita excessit *Christophorus* Julii filius *Anticius* Oratorii S. Philippi Nerii Firmani Presbyter, vir gravis inprimis et doctus. Vitam edidit Venerabilis P. Antonii Grassi ejusdem Oratorii Presbyteri.

[1] Mediolani viginti et amplius hominum millia concionantem audire solebant, teste Archiepiscopo Mediolanensi in Epist. adservata in Archivo Capituli Recanatensis.

LAURENTIUS GHERARDI

EPISCOPUS RECANATENSIS XXXVII. LAURETANUS X.

CCLXXXII. *Laurentius Gherardius* Hieronymi filius Montalbodiensis [1] natus die 10. Augusti 1646.; Patricius Parmensis et Placentinus, Juris utriusque Doctor, Praelatus Domesticus, utriusque Signaturae Referendarius fuit; dein, postquam per annos viginti et unum insigniores Provinciarum Pontificiarum civitates, Maritimamque, et Campaniam rexisset, dum Viterbiensi urbi, et Provinciae Patrimonii cum imperio praeesset, designatus fuit Recanatensis et Lauretanus Episcopus die 8. Junii 1693. [2] Iis Ecclesiis triginta quatuor omnino annis eam curam impendit, ut inter optimos vigilantissimosque Pastores suae aetatis haberetur. Ecclesias suas visitavit saepius, extantque acta Visitationum An. 1694. 1697. 1703. 1706. 1710. 1712. 1715. 1719. 1722. et 1725., quas ipse obiit etiam in locis dioeceseos Lauretanae senex octuagenarius.

Notavimus ex iis pluribus horis nonnunquam Antistitem ipsum rudes elementis Fidei imbuere solitum fuisse, ac distribuere inter ipsos actus contritionis typis editos, liberculos etiam continentes — *L' esercizio del Cristiano da farsi ogni giorno* —: instituisse juxta mandata P. M. Innocentii XII Societatem a Charitate denominatam, cujus munus foret suppetias ferre pauperibus coecis, contractis etc., assignasse huic usi eleemosynas quas Sodalitia quotannis nullo delectu habito erogabant: hospitalia peregrinorum, ubi errones, ac otiosi, et noxii homines asylum nanciscebantur, solis peregrinis aegrotantibus aperta fore denuntiasse.

CCLXXXIII. Laureti vix umquam moram traxit, exemplum imitatus Julii Romae, aliorumque Decessorum, pertaesus nimirum litium, quibus ob jurisdictionem continuo decertandum erat, quod universa fere civitas ex lege Pauli V mandatis soluta esset Episcoporum.

Equidem Innocentius XII die 5. Augusti 1698. *sciens, e forma regiminis Ecclesiae Lauretanae, quae hactenus viguerat, non eam, quae sperabatur, utilitatem provenisse*; namque imminuta nimis Episcoporum

---

[1] Anno 1544. Magnificus D. Bartholus de Girardis de Montebodio Praetoris munere apud Recanatenses functus est. Pyrrhus Laurentii nostri atavus Parmae Gubernator fuit. Hieronymus pater bis ad Innocentium X Orator missus est Placentinum, bis eisdem Gubernatoris vice praefuit.

[2] Possessionem ejus nomine cepit Abbas Julius Bonjosnnius Patricius Recanatensis die XI. Junii. Advenit ipse Recanati die 5. Julii.

auctoritate disciplinam Ecclesiasticam dissolvi, et Cleri, populique mores relaxari, mortuo Palutio Alterio Protectore Almae Domus Lauretanae, Episcopis ablatam a Paulo V auctoritatem restituit, ita tamen, ut ea uterentur ex Delegatione Apostolica; et Congregationi S. R. E. Cardinalium tunc institutae, ut Lauretanas res dirigeret, facultas relinqueretur declarandi Bullam, si quid controversiae circa ipsius observationem exoriretur.

Neque tamen hac Innocentii Constitutione omnis litium sublata fuit materia, ut videre est e synopsi resolutionum Sacrae Congregationis Lauretanae auctoritate Benedicti XIV typis vulgata, et ex actis causarum jurisdictionalium, quae ad obitum usque virum optimum vexarunt.

CCLXXXIV. Feliciores fuerunt Gherardii conatus, dum Clerum Oppidi Montis Cassiani ad pristinam disciplinam revocare studuit. Mos obtinuerat ibi vetustissimus, ut Sacerdotes Beneficiarii omnes Dominicis festisque diebus in Ecclesia S. Mariae Missae adessent ac Vesperis, sacrisque in choro canticis canendis operam darent, diebus lunae pro defunctis, ac diebus Sabbati ad honorem Virginis Deiparae facerent. Hujus enim moris meminerunt acta Visitationis An. 1587., durabatque adhuc An. 1693.: sed aberant tum Beneficiarii complures, chorique ideo negligentius peragebantur officia. Itaque pius vir *Caesar Tullius* in tabulis testamenti dicto anno exaratis e praedio quodam suo quatuor Sacerdotes ali praecepit, qui Plebano, ubi opus foret, adesse deberent, singulisque diebus sacrum unum pro ipsius anima facerent. Quatuor hosce Sacellanos ob imminutos redditus S. Congregatio Concilii Tridentini paulo post ad binarium numerum reduxit. Quae cum ita se haberent, coaluit anno 1704. die 27. Octobris octo Sacerdotum Collegium sive *unio*, qui diebus festis Canonicorum more divina officia in Ecclesia Plebis celebrandi onus susceperunt, institutum adeo sanctum promovente Sodalitio SS. Jacobi et Philippi. Hoc enim salarium Presbyteris constituit, ac libros et suppellectilia de pecunia sua procuravit.

CCLXXXV. Non minus felix fuit Gherardius in componendis rebus Ecclesiae Cathedralis Recanatensis. Etenim cum dissidia quaedam circa praerogativas Capituli exorta fuissent inter Sacerdotes majores et minores, prodiit An. 1698. die 20. Martii Decretum a Sacra Rituum Congregatione, quo componebantur illa, statuit enim *ut vestimentis sacris uterentur Canonici pretiosioribus, diversis in locis Canonici atque Altaristae ad sacra facienda se pararent; campana minori Altaristae convocarentur ad eorum Congregationes, majori autem ad Capitulum suum Canonici; uterentur etiam Altaristae cruce minori, cum soli non accedente Capitulo, funera comitarentur.* Decretum hoc confirmatum fuit An. 1764.

Seminarium novis aedibus redditibusque auctum solemniter aperuit An. 1700. mense Aprili, idque bonis Ecclesiae *S. Michaelis in Ponticello*

auxit. Anno insequenti 1701. 4. Junii decisa tandem fuit diuturna lis de jure eligendi Vicarium Sede vacante, de qua saepius verba fecimus. Decisum est Praesbyteris minoribus in electione Vicarii nullum jus competere. Hanc decisionem a se factam confirmavit S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum die 30. Augusti 1704.

Episcopus vero Gherardius constitutione typis edita Kalendis Januarii An. 1711. declaravit, quo ordine in Ecclesia Cathedrali Recanatensi horae canonicae essent cantandae, quae poenae absentes manerent, quod officium Altaristarum, Aeditui, Curionis etc., ut decore omnia et ordinate peragerentur.

Anno 1713. 4. Martii Societatem piam erexit in Castro Portus, cujus institutum esset precibus juvare animas purgatorio igne nondum satis expiatas, legesque praescripsit.

Capitulum deinde duobus Canonicatibus auxit. Etenim anno 1713. procuravit, ut duodecim, quibus olim componebatur Capitulum Recanatense, Canonicis adderetur decimus tertius, addicto ei Beneficio [1], cujus patronatum Reipublicae Recanatensi An. 1633. die 5. Martii donaverat Julius Bosonus stirpis suae postremus. Decimus quartus vero Canonicatus institutus fuit An. 1720. mense Februario ex Beneficio S. Petri in Ecclesia S. Mariae Castrinovi, ob cujus patronatum diuturna lis Episcopo utpote Praeposito istius Ecclesiae cum Sodalitio S. Mariae intercesserat. Coaluerant enim lapsu temporis duo Beneficia ejusdem tituli in unum, alterum quidem fundatum An. 1480. a Stachiolina quadam, cujus patroni fuere Sodales Mariani una cum Praeposito; alterum vero erectum An. 1490. a Mathia uxore Colutii Fulginatis, quod solius Sodalitatis patronatum agnoscebat. Verum consensu contendentium intercisa lis est, erecto, ut diximus, decimoquarto Canonicatu, eo pacto ut alterna vice Episcopus et Sodales Canonicum eligerent.

Anno 1717. Kal. Decembris Praebendae Canonici Poenitentiarii exiguae hactenus, et alendo pro dignitate Canonico minime sufficienti, auctoritate Clementis XI (ut ex Bulla data An. 1716. Kal. Februarii) Beneficium, olim Coenobium S. Joannis in Pertica Ordinis S. Benedicti, annexum fuit atque unitum. Alteri etiam Canonicatui Beneficia SS. Michaelis sive Angeli, Jacobi de Galitia, et Andreae a Benedicto XIII per Bullam datam XI. Kal. Februarii 1727. uniri curavit. Quo tempore splendor Capituli

[1] SS. scilicet Antonii et Nicolai in Ecclesia S. Mariae Castrinovi. Canonicos novos nominandi jus habet Senatus, qui civem Recanatensem nobilem, cumque e pauperibus, si quis sint, nominare debet. Canonicatus vero hic ex eorum numero est, qui *integrae provisionis* dicuntur.

Ecclesiae Cathedralis, ut narravimus, tanta incrementa cepit, eo ipso interiit Capitulum aliud, quod secundum in Ecclesia Recanatensi locum tenebat, Capitulum inquam S. Viti, translatum inde ab anno 1579. ad Ecclesiam S. Mariae Montismorelli. Massam id habebat $\breve{a}$ 3000., sed tot fundationibus officiisque gravatam, ut Altaristae expedire sibi censuerint servitium chori deserere, atque anniversariis, aliisque statis precibus, uti et distributionibus renuntiare; quod factum est An. 1712. Itaque Sacra Congregatio, quae Fabricam Vaticanae S. Petri Aedis procurat, lata sententia An. 1719. 19. Januarii et Capitulum extinxit, id quod ingentem maerorem Episcopo attulit, et massam praedictam occupavit. Anno sequenti Jesuitae adjudicari sibi procurarunt nemine scilicet se opponente, jus atque oblationes Processionis S. Viti, quae Collegii Presbyterorum Ecclesiae Montismorelli fuerant, quasi suppresso Capitulo, suppressa etiam fuissent Beneficia Altaristarum ad Ecclesiam illam translata, et jura Parochi.

CCLXXXVI. Quam studiosus fuerit Gherardius salutis animarum et cultus divini, tot edicta docent, quibus aut a vitiis avertere subditorum animos contendebat, aut institutis supplicationibus, communionibus, ut ajunt, generalibus, Missionibus etc. eos ad meliorem vitam inducere. Celeberrima sane tum ob frequentiam concurrentis populi, tum ob mirabiles fructus, quos produxit, fuit Missio, quam Recanati An. 1714. instituerunt PP. Joannes Crivellius, et Felix Lana S. J. per novem dies, quibus decem et amplius hominum millia Eucharistico cibo se refecerunt; processionibus vero, et benedictionibus saepe viginti millia interfuerunt. Exusti tunc infiniti libri haeretici, et curiosi, abjecta tela vetita, conciliati animi a multis retro annis odiis mutuis ardentes, infinitaque alia id genus bona opera peracta sunt. Laureti operam dedit Gherardius, ut Societas conflaretur piorum hominum, qui Sacerdotes comitarentur Augustissimum Eucharistiae Sacramentum ad aegrotos deferentes. Hanc Societatem, quam SS. Viatici dicunt sive S. Barbarae a se in Fraternitatem laicam erectam An. 1723. die 24. Octobris sapientissimis legibus munivit, quas continet Libellus — *Regole della Venerabile Congregazione del SS. Viatico di Loreto, ordinate da Monsignore Illmo et Revmo Lorenzo Gherardi etc. Macerata* 1724. 8. —

De cetero charitate in primis erga pauperes ac viduas, ac liberalitate in Ecclesiam enituit Gherardius. In maxima illa annonae caritate, quae orbem An. 1714. afflixit, non omnem solum, quam habebat, frumenti copiam, et pecuniam in pauperes effudit; sed ut haberet, quod largiretur, argentea vasa omnia, et sex equos, quibus utebatur, divendidit. Seminario, quod redditibus auxerat, novas aedes extruxit. Ad novum Sacrarium pro Canonicis condendum scuta quingenta de suo contulit, Canonicosque

veste, qua Praelati utuntur [1], et Sacellanos Cappa [2] auctoritate P. M. Benedicti XIII (ut in Bulla data anno 1725. 11. Kal. Februarii) decorandos curavit. Consanguineis ne teruncium quidem ex redditibus Ecclesiae clargitus est. Ecclesiam vero Recanatensem aulaeis, candelabris, cruce, statuis, thecisque argenteis, ac pretiosa suppellectile donavit. (E Protocollo Caroli Fausti Frontoni 1715.) Quibus rebus motus Senatus Recanatensis, ut grati ob tanta in hanc Civitatem et Ecclesiam beneficia animi extaret testimonium, die 6. Novemb. An. 1721. Antonium Gherardium Episcopi ex fratre nepotem Patriciorum Recanatensium ordini adscripsit.

Octuaginta jam annos attigerat, nec tamen aut a functionibus Episcopalibus abstinebat, imo ne concionem quidem unam quadragesimalem praetermittebat, cui non adesset, visus saepe lacrymas profundere, oculos a concionatore non dimovere.

CCLXXXVII. Obiit Recanati nonis Aprilis 1727. postquam annis 81. et mensibus fere 8. vixisset, et Ecclesias suas gubernasset annis 33. mensibus 9. diebus 25., fuitque sepultus in medio Presbyterii Ecclesiae Recanatensis. Sepulturae locum indicat Epitaphium lapidi incisum, quod sequitur:

Laurentio Gherardi Episcopo Recin. et Lauret.
in Montebodio apud Picenum nato
in pauperes liberalitate claro
et in Ecclesiam suam Sponsam
munificentia clariori
zelo, pietate, et religione clarissimo
dilectissimo Patruo
Joseph Benedictus Gherardi pronepos
utriusque Signaturae Referendarius
ex Judicibus Sac. Congreg. boni regiminis
moerens posuit Anno sal. MDCCXXVII.
aetatis suae LXXXI. mens. VIII. dies XXV.
Episcopatus vero an. XXXIII.

Die anniversaria obitus, et proxime sequentibus 80. Missas pro Anima sua per Canonicos celebrandas esse quotannis e donatis Ecclesiae quatuor

[1] Id est: *Cappa magna cum pellibus armellinis albi coloris hiemali, aestivo vero tempore Mozzetta violacei coloris supra Cottam seu Rocchettum.*

[2] Id est: *Cappa seu Capputio cum pellibus cinericiis supra Rocchettum absque manicis hiemali, aestivo vero tempore Cotta.*

locis montium constituit (1715. 9. Martii) Instrumentum scripsit Notarius Carolus Faustus Frontonius.

Vicarios adhibuit viros lectissimos *Recanati*

Anno 1694. Petrum Paulum Puntelli Nob. Cortonensem Proton. Apostol. Franciscum Mariam Guiducci Eugubinum.

1696.-8. Bartholomaeum Pantaleoni Protonot. Apostolic.

1699. 1700. Annibalem Carrara Soranum Protonot. Apostolic.

1700.-1. Theodorum Pongelli de S. Anatolia, qui Episcopus postea creatus fuit Amerinus.

1702.-3. Nicolaum Guarini Protonot. Apostolic. Canonicum Theologum Ecclesiae Metropolitanae Barensis.

1703.-7. Bonaventuram Mazza Protonot. Apostolic.

1710. Petrum Paulum Salvinum.

1711.-12.-13. Joannem Andream Tria J. U. D., et Sacrae Theologiae Professorem, Protonotarium Apostolicum, qui postea scriptis apologeticis pro S. Sede contra Giannonium aliosque claruit, fuitque Episcopus Caryatensis, deinde Larinensis, ac demum Archiepiscopus Tyri. Edidit Romae anno 1744. *Memorie Istoriche civili ed ecclesiastiche della Città di Larino*, aliaque plura.

1714.-15. D. Petrum Augustinum Scorzia J. U. D. Sacrae Theologiae Professorem, Protonot. Apostolicum.

1717. Camillum Laurentium Terrosi Canonicum Politianum.

1719.-20.-25. Antonium Cajetanum Angelinum J. U. D. Prot. Apost. Canonic. Lauretan.

1726. D. Franciscum Antonium Abbatem Antonelli.

1727. D. Joannes Condulmarius Vicarius Capitularis Dioecesim sede vacante rexit. Quod Laureti praestitit Antonius Cajetanus Angelinius de Monte Leonis Canonic. ejusdem Basilicae.

Laureti

Anno 1693. Philippum Antonium Clementi Canonicum Lauretanum.

1694. Petrum Paulum Salvini Auximanum.

1697. Josaphat Baptistelli de Palatio Episcopum postea Fulginatensem.

1698. Dominicum Ciccolini Maceratensem Archipresbyterum.

1701. Theodorum Pongelli de S. Anatolia.

1703. Nicolaum Guarini Canonicum Barensem.

1706. Dominicum Ciccolini iterum.

CCLXXXVIII. Sequitur pro more nostro Virorum illustrium, quos Gherardi aetas protulit, necrologium: *Albertus Maria Recanatensis* Eremita Coronensis post vitam sancte et pie peractam An. 1695. decessit, de cujus virtutibus vide Conditores Annal. Camaldul. Tom. VIII. pag. 511.

Gabriel Maria de Bettinis e Congregatione Clericorum Regularium S. Pauli operarius indefessus in vinea Domini obiit Spoleti die 12. Octobris 1702 ingens sui apud omnes desiderium relinquens. De eo Didacus Calcaneus pag. 190.

Anno 1712. die 21. Februarii Tossiciae apud Aprutinos e vivis excessit *Hieronymus Centoflorenus* Societatis Jesu Presbyter, qui triginta fere annis Missionarium, ut ajunt, per totam fere Italiam egerat ea cum laude sanctitatis, eloquentiae, et patientiae in quibusvis ferendis laboribus, ut Episcopis, Principibus viris, Populisque aeque fuerit acceptissimus. Immortuus est, ut ita dicam, muniis Apostolicis. Quarto antequam obiret die, cum lethali jam detineretur febri, ad populum de rebus divinis, morumque facienda mutatione verba fecerat. Quare corpus, facto subitaneo populi concursu infinitis accensis cereis, cum musicorum undique accitorum concentu, triumphantis in morem per oppidum solemniter circumlatum, biduo expositum, aromatibus conditum, ac demum loco honoratiori depositum fuit.

Eodem ferme tempore supremum diem explevit *Didacus Calcagnius* nobili et antiquo apud Recanatenses genere ortus, qui Societatis Jesu institutum amplexus pietate, doctrina, ac prudentia, et in rebus gerendis dexteritate praefulsit. Quare gubernatio ei concredita fuit An. 1695. Abbatiae Miletensis, cui ampla subest Dioecesis a cujusvis Ordinarii, ut ajunt, jurisdictione exempta. Huic cum praeesset Calcagnius Synodo coacta leges Clero sanctissimas, ad quarum normam viveret, praescripsit, quas paulo post typis quoque edendas curavit. Vitam deinde P. Bonaventurae Massarii Capuccini Sacri Palatii Apostolici Concionatoris, ac civis sui, atque orationes sacras ab eodem habitas in lucem emisit. Hoc munere defunctus, quod superfuit vitae tempus Deo primum, Vicarium enim Praepositi egit in Domo Professorum Ordinis sui Romae, consecravit, tum Patriae, quam effusissime diligebat: scripsit enim luculentum opus, quo res Recanatenses, ac Virorum insignium Civium suorum gesta complectebatur, absolvitque jam septuagenarius, ac Messanae edidit An. 1711.

Antonius Baldassarri S. J. obiit anno 1724. octogesimum annum agens, vir pius, prudens, quippe qui honoribus in Societate sua perfunctus est, Poenitentiarius fuit Romae ad S. Petrum, ac nonnullis Cardinalibus et Episcopis a consiliis. Libros edidit complures sacra eruditione refertos.

1. La sacra Liturgia dilucidata consegnata alle stampe nel 1695.-1700. Parti quattro — Forlì 1703. in 12. Tomi 2. — L'istesso libro, edizione seconda ampliata. Venezia 1714. in 4. — Venezia 1717. — Venezia 1723. T. 2. — e separatamente: Aggiunta di 22. Capitoli alli 124. della sagra Liturgia dilucidata. Venezia 1723.

2. Esplicazione dell'Orazione Domenicale, e del Simbolo Niceno — Forlì 1696. in 12. e nella sacra Liturgia dilucidata l'istesso libro edizione seconda.

3. Il Sacerdote sacrificante a Dio nell'Altare con la norma delle Rubriche. Pistoja 1699. in 12. — Faenza 1703. — iterum Macerata — Parma, e Venezia 1713. in 12. Edizione settima.

4. Il Cristiano pellegrinante in Roma fatto pratico nel santo Giubileo. Roma 1700. in 12. — e Venezia 1717. in 12. — Aggiunta al Cristiano pellegrinante. Venezia 1725. in 12.

5. I Pontefícj Agnus Dei dilucidati. Roma 1700. in 12. — Roma 1703. in 12. — Venezia 1714. in 4.

6. Compendioso ristretto delle Vite di quasi tutti gli Autori allegati ne' libri della Sacra Liturgia. Pistoja 1703. in 12. — ibid. 1699. 12.

7. Istoria compendiosa dei Concilii Ecumenici dell' Oriente e dell' Occidente. Macerata 1704.-12. parte prima. Parti 2. Venezia 1708. in 12. T. 2. — Venezia 1715. in 4. T. 3.

8. Compendio de Concilj Ecumenici in 12. senza data di anno. Fuligno.

9. Scelta de Concilj Nazionali e Provinciali — Aggiunta alla scelta de'Concilj Nazionali, e Provinciali etc. Venezia 1721. 4.

10. Ristretto della Storia del Concilio di Trento. Fuligno in 12. — Venezia 1721. in 16. edizione quarta.

11. La Rosa d'oro, che si benedice nella quarta Domenica di Quaresima. Venezia 1709 in 8. — ibid. 1759. cum additionibus.

12. Il Pallio Apostolico dilucidato. Venezia 1719. in 8.

13. Compendioso ristretto delle vite di Personaggi, alcuni illustri per la scienza, ed altri celebri per santità e dottrina. Fuligno 1711. in 12., ed in Venezia 1724. in 8.

14. Ragguaglio compendioso dell' Apostolica legazione del Cardinale Ulisse Giuseppe Gozzadini seguita in Parma nelle nozze di Filippo V Rè di Spagna con Elisabetta Farnese. Venezia 1723. 8.

15. Canonizazione de' Santi dilucidata. De quo opere Vid. *Biblioteca Picena*. T. 2. p. 24.

16. Raccolta di lettere dedicatorie ec. Venezia 1716. 12.

BENEDICTUS BUSSIUS

EPISCOPUS RECANATENSIS XXXVIII. LAURETANUS XI.

CCLXXXIX. *Benedictus Bussius* Romanus, utriusque Signaturae Referendarius, nepos ex fratre Joannis Baptistae Bussii Cardinalis et Episcopi Anconitani, in cujus disciplina diu Anconae versatus fuerat, cujusque vice Concilio Romano An. 1725. interfuit, et Ecclesiae Lauretanae Visitator extitit, electus est Ecclesiarum nostrarum Episcopus a Benedicto XIII 8. Kal. Julii 1727., iniitque earum possessionem die 9. ejusdem mensis. Die 14. ab ipsomet Pontifice Summo in Basilica Vaticana ordinatus fuit Episcopus. Recanatum venit die 4. Septembris. Vidit hunc tantum Ecclesia Recanatensis, et vix visum probavit, atque suspexit. Adeo admirabilibus suis virtutibus omnium sibi amorem conciliaverat, ut immaturo ejus funeri universa Civitas illacrymata fuerit, vehemensque ac diuturnum sui desiderium reliquerit. Visitavit Ecclesias suas An. 1727. et 1728. diligentissime[1]; Consecravitque in Oppido Montis S. Mariae in Cassiano Ecclesiam Plebis, et in agro ejusdem Oppidi benedixit Ecclesiam S. Mariae, ut dicitur, *del Palazzo*.

Anno 1728. die 3. Maji Benedictus XIII Ecclesiae Lauretanae titulum et honores *Basilicae* concessit.

Obiit Benedictus Firmi, dum processui de vita et gestis Ven. viri Antonii Grassii Praepositi olim Firmanae Congregationis S. Philippi Nerii Apostolica auctoritate instruendo operam daret die 2. Octobris 1728. annum agens aetatis 39. cum magna inter acerbos pleuritidos dolores constantia ac pietate animi, teste Alexandro Borgia Archiepiscopo Firmano amicitia ei conjunctissimo, qui aegrotanti adstitit, ac mortuo supremos quos potuit maximos honores detulit (in Chronicis Eccl. Firm. MSS.). Corpus, ut ipse supremis tabulis jusserat, translatum fuit Recanatum die 21. Junii A. 1735., ibique tumulatum cum hoc epitaphio:

Ossa
Rmi Dni Benedicti Bussii
Episcopi
Recineten. et Lauretan.

---

[1] Anno 1728. die 4. Aprilis renuntiante D. Josepho Benedicto Gherardio Laurentii olim Episcopi nostri ex fratre Nepote Beneficiis *S. Angeli in Platea*, *S. Jacobi de Galitia* in Ecclesia Cathedrali, et *S. Andreae* in Ecclesia S. Mariae Castrinovi, unita fuerunt haec Beneficia in perpetuum Canonicatui, quem tum obtinebat D. Bernardinus Aquinus. Annuerat huic unioni Benedictus XIII P. M. An. 1727. 11. Kalend. Februarii.

In lapide muro Templi inserto haec leguntur.

D. O. M.
Benedicti Bussii Romani
Recineten. et Lauretan.
Episcopi
inter primas Pastoralis officii
curas
dum Firmi ex Apostolico mandato
negotium obiret
VI. non. Oct. An. Dom. MDCCXXIIX.
aetatis suae XXXIX.
immatura morte sublati
Fratres [1]
mortalibus exuviis
ex decedentis voto huc translatis
moerentes PP.

Vicarii Generales Rmi Bussii fuerunt *Recanati*
Joannes Condulmarius Pro-Vicarius.
Xaverius Mucciarelli Asculanus Vic. Generalis.
Laureti
Antonius Cajetanus Angelini de Monte Leonis.
Sede vacante. D. Marcus Antonius Massuccius Canonicus Recanatensis Vicarius Capitularis Laureti
Antonius Cajetanus Angelini de Monte Leonis Canonicus Lauretanus.

VINCENTIUS ANTONIUS MARIA MUSCETTOLA

EPISCOPUS RECANATENSIS XXXIX. LAURETANUS XII.

CCXC. *Vincentius Antonius Maria Muscettola* e Ducibus Spezzani Neapolitanus dum Romae ageret Academiae, quam vocant Ecclesiasticam, adscriptus, magnaque in existimatione esset cum ob doctrinam, tum ob vitae innocentiam, a Benedicto XIII, qui aquis eum baptismalibus abluerat, nomenque Vincentii, quo Pontifex tunc appellabatur, indiderat, eumdemque postea chrismate etiam confirmaverat, Sacerdotemque creaverat, concessus fuit Antistes Ecclesiis nostris die 15. Decembris 1728., ac die 25. ejusdem mensis ab eodem consecratus. Episcopatum iniit idibus Aprilis 1729. Recanatum ingressus est solemniter die 19. Aprilis.

[1] *Petrus Franciscus S. Rotae Auditor, et Comes Rainerius.*

Ecclesiam Recanatensem visitavit An. 1729.-1732.-1737. et 1743. In obeundo hoc munere plerumque comites sibi adsciscebat Presbyteros Missionarios, qui vias asperas monitis suis planas redderent, ac rectas. Anno 1730. die 29. Julii Caput B. Benvenuti Ordinis Minorum in Ecclesia Conventualium adservatum in urnam novam solemni ritu transtulit. — Quo commodius sustentari posset Canonicus apud nos Theologus, qui tenui admodum praebenda gaudebat, perfecit, ut Clemens XII P. M. eidem Beneficia S. Sebastiani, et S. Severini fundata in Ecclesia S. Mariae Montismorelli annecteret. — Discordiam et lites, quae plurimis annis inter Monasterium S. Benedicti Virginum sacrarum, ac Deputatos Hospitalis S. Luciae exarserant, quas sopire Episcopi decessores diu frustra adlaboraverant, extinxit. Perfecta enim inter eos fuit concordia die 8. Augusti An. 1731., extatque inter acta Marci Gentilis Notarii Recanatensis f. 130.

Populum sibi commissum a vitiis ut avocaret, remedium adhibuit, quod efficacissimum expertus est, sacras Missiones; peropportune vero opera usus est viri, et ob vitae innocentiam, et ob eloquentiam ea aetate clarissimi, Leonardi a Portu Mauritio ex Ordine Fratrum Minorum Reformatorum, qui postquam ea, quae muneris essent Missionarii, apud Anconitanos, explesset, die 4. Julii An. 1739. Recanati eodem munere perfuncturus advenit, exceptus solemniter ab Episcopo ipso, Canonicorum Capitulo, Magistratibus, Populique immensa multitudine, quibus verbum Dei in foro majori, occurrentibus etiam maxima frequentia advenis, assistentibus autem quotidie Episcopo ipso, Clero, et Magistratibus eo cum fructu quindecim omnino diebus praedicavit, ut diutissime perseveraverit laborum ejus utilitas atque memoria. Haec annotanda ideo potissimum duxi, ut eum, qui Patrum nostrorum amorem et reverentiam sibi conciliavit vivus, eundem nobis ex quo inter Coelites adnumeratus est a Pio VI P. M. patronum fore confidamus invocatum.

Denique, cum zelo domus Dei eximie flagraret Pastor optimus, nulli labori pepercit, ut Synodos Dioecesanas cogeret, quo Ecclesias suas institutis optimis. sanctissimisque, quibus equidem florent, exornaret magis magisque. Multa, ut id adsequeretur, fecit, tulitque; acta Visitationum a Decessoribus peractarum, Synodos, edicta summa cum diligentia legerat, quaeque in iis utiliora sibi viderentur, annotaverat accuratissime; sed conatus omnes, quibus de causis non facile dixero, irriti fuere. Vidimus acta Congregationum praeliminarium An. 1732. saepius habitarum, et decreta pro Ecclesia Recanatensi omnibus numeris jam absoluta [1].

[1] De Synodo Dioecesis Lauretanae habenda saepius cogitatum fuit. Aooo 1708. 7. Aprilis Sac. Coogregatio Lauretana consulta, ao compelli possint ab Episcopo

Anno 1742. 7. idus Januarii Benedictus XIV Synopsin resolutionum Sacrae Congregationis Lauretanae editarum super controversias Episcopos inter et Gubernatores Lauretanos circa regimen spirituale et oeconomicum Almae Aedis, ejusque Ministrorum et rerum, alphabetico ordine digestum probavit, ac dubia 34. ipse resolvit, e quibus notamus resolutionem dubii 32., qua decidit *Episcopum esse Delegatum Apostolicae Sedis perpetuum*, neque adstrictum esse ad recurrendum ad Congregationem Lauretanam pro exercitio jurisdictionis delegatae etc. V. Bullarium Benedicti XIV T. II. in Appendice [1].

CCXCI. Obiit Vincentius Episcopus Laureti die 16. Januarii 1746. annos natus 49. morbo colico abreptus, in quo perferendo insignia edidit patientiae documenta. Sepultus est in sepulcro Rmi Capituli Lauretani. Luctuosam et acerbam universis accidisse accepimus Vincentii Episcopi mortem. Etenim vir fuit sanctitate conspicuus, omnibusque bonis moribus ornatus; celebratur adhuc charitas, qua complectebatur pauperes, eos inprimis, qui adversa fortuna in egestatem inciderant. Elargiebatur clam omnibus praeter sacros redditus illos etiam, quos e patrimonio percipiebat, et vasa pretiosa. Itaque post obitum nullae repertae sunt pecuniae resve alicujus pretii, cum ea in thesauris pauperum reposuisset. Ministro usus est plerumque ad pietatis haec opera Petro de Rubeis Canonico Recanatensi, qui adhuc superstes est, cujus venerabilis senis fide haec retulimus.

Equidem ad negotia tractanda parum aptus videbatur. Studiis enim solummodo et precibus assueverat. Catechizabat ipsemet parvulos, Viaticum ad aegrotos omnes cum cereo accenso comitabatur. Quotidie Mysteria Passionis D. N. J. C. pio ritu, qui quatuordecim stationum dicitur, meditaba-

---

auctoritate delegata Ministri Almae Domus ad interveniendum, nil decidit. Benedictus XIV ad idem dubium ab Episcopo Muscettola propositum respondit, compelli posse. Sed cum idem Pontifex ad dubium 19. resolverit, Ministros Almae Domus ad necessaria pro dicta Synodo subministranda minime teneri, et Episcopi, qui ut Ordinarii exiguos, ut Delegati nullos habent redditus, sumptibus faciendis impares essent, Synodus ad hanc usque diem haberi non potuit, licet ad eam celebrandam et necessitas invitet, et Patres Sacrosancti Concilii Interpretes Episcopos hortati saepius fuerint.

[1] Anno 1743. 6. non. Octobris a Benedicto XIV P. M. erectum est in Ecclesia majori Castrofieardi *Collegium Canonicorum*. Res sacras in ea curaverant inde ab anno 1639. Presbyter Plebanus, Parochi duo, et Sacellani sex. Nunc vero extinctis Parochiis S. Abundii, et S. Mariae, unitisque Collegio compluribus aliis Beneficiis conflatus fuit coetus Praepositi, et Canonicorum tredecim, qui Chori muneribus omnibus quotidie perfunguntur: Canonicatus nempe sex confecti sunt ex Beneficiis Plebis; quinque e Beneficiis Ecclesiarum S. Abundii, et S. Luciae; reliquos tres privati quidam homines fundarunt.

tur. Deiparae autem Virgini adeo devotus erat, ut cum pinguior ipsi Episcopatus offerretur, enixe reluctatus fuerit, asseverans se malle Sacristae, aut viliori quovis ministerio in Templo Virginis Lauretanae mancipatum esse, quam honoribus quibusvis aut divitiis alibi perfrui. Piissimum hunc Praesulem cum fratre Hyacintho Civibus suis honoris causa adscripserunt Recanatenses Anno 1730.

Vicarii ejus Generales fuerunt *Recanati*

Anno 1729. Marcus Antonius Massuccius.

1729.-31. Christophorus Abbas Rugerius Civis Romanus.

1731.-35. Uldericus de Nardutiis Canonicus, et Patritius Maceratensis.

1736. Michael da Luca.

1738. April. }
1743. } Dominicus de Amato Patritius Montis Pelusii.

1745. Franciscus Gianarelli Patritius Civitatis Castelli.

Laureti

1728. Antonius Cajetanus Angelini Canonicus Lauretanus.

1736. Uldericus de Nardutiis Maceraten. Canonicus Lauretanus.

1738. Joseph Lari Luccensis.

1739. Hieronymus Isaiae Fabrianensis.

1742. Dominicus Monti Praepositus Senogalliensis.

1746. Antonius Cajetanus Angeliuius iterum.

Vicarii Capitulares *Recanati*

1746. Carolus Centoflorenus Praepositus Recanatensis.

Laureti

Idem Antonius Cajetanus Angelinius.

CCXCII. Praeterire hic silentio nefas est *Leonardum*, et *Jo. Albertum de Colleonibus* fratres ex illustri apud Bergomates et antiquissima familia ortos, quorum primus 66., alter 55. annis Sanctae Basilicae Recanatensis Canonici fuere. Post vitam inter pietatis exercitia et sacra studia peractam bonorum suorum omnium haeredem scripserunt Ecclesiam, cui tamdiu inservierant. Piis eapropter animabus Collegium Fratrum tot Beneficiorum memor annua parentalia facit die 6. Novembris.

Obierunt. Leonardus An. 1739., Joannes Albertus An. 1740. 24. Martii.

Die vero septima Julii ejusdem anni mortuus est *Carolus Ludovicus Mazonius* Canonicus Poenitentiarius, Collegii nostri egregius benefactor annum agens supra octuagesimum. Hic bibliothecam legavit optimis libris instructam, bonaque sua omnia, eo pacto, ut redditus omnes in Missarum stipendia impenderentur.

Circa idem tempus (die 22. Octobris 1739.) ad meliorem vitam transiit *Balthassar Galaminius* Recanatensis, qui annis 40. in hac Ecclesia digni-

talem gessit Archidiaconatus. Hic scuta 300. Sacrario donavit. Scuta item 50. largitus est, ut ex iis Missae octo in Festis S. Mariae Magdalenae (die 22. Julii), et S. Alberti (die 7. Augusti) celebrarentur.

Hoc tempore e Recanato sonus fidei in remotissimas Orbis regiones exivit. Enimvero in Bullario Benedicti XIV (T. 1. N. 53. et 54.) geminae extant Bullae datae Kalendis Maji An. 1742., e quibus habemus, hunc Pontificem rogatu *Fr. Viti Recanatensis Capuccini*, et Apostolici in regno Thibetano Missionarii, ac Regum Butgao et Bittià, nonnullos ejusdem Ordinis viros Religiosos ad eas regiones misisse, qui fidem ibi Christi praedicarent, populosque in viam salutis aeternae dirigerent. Missio illa eximie postea floruit floretque adhuc.

JOA. BAPTISTA CAMPAGNOLIUS

EPISCOPUS RECANATENSIS XL. LAURETANUS XIII.

CCXCIII. *Joannes Baptista Campagnolius* natus Centi, quod est Dioecesis Bononiensis oppidum, postquam plurium Episcoporum vices longa annorum serie gessisset in dioecesibus Urbinati, Civitatis Castelli, Comensi, et Mediolanensi, annum jam agens 60. Recanatensis et Lauretanus electus est Episcopus 5. Kal. Aprilis 1746. [1] et [2] suarumque Ecclesiarum pos-

---

[1] Anno 1748. 3. Junii Benedictus XIV Sodalitatem extinxit S. Mariae Castrinovi, ejusque bona Seminario donavit, jubens tot ex iis ali Alumnos, quot alendis suffectura forent. Una cum bonis in idem Seminarium transtulit jurapatronatus, quae ad Sodalitatem spectaverant, scilicet in Beneficia S. Agatae, S. Barnabae, S. Joannis Evangelistae, et S. Petri erecta olim in Ecclesia S. Mariae Castrinovi.

[2] Eodem anno 6. Kal. Octobris ortum habuit Collegium Canonicorum Monteluponensium. Cum enim Campagnolius Episcopus Parochias Ecclesiae S. Petri sive Plebis, S. Joannis de Castello, ubi nunc Monasterium Virginum sacrarum, et S. Luciae univisset, unionem hanc non tantum auctoritate sua ratam habuit Benedictus Pontifex, sed Plebanum Archipresbyteri dignitate donavit, atque Ecclesiam ipsam Collegiatae honoribus insignivit. Canonicos in ea constituit octo, Mansionarios duos, quibus An. 1768. curante Cyriaco Vecchionio Episcopo adjuncti fuere alii duo. Ac initio quidem sacra canonica frequentari ex officio debuere festis solummodo, et Dominicis diebus, tempore Adventus Domini, et Quadragesimae: quotidie chorum adeundum fore decrevit Pontifex mox ubi mortuo Hercule Gallo redditus Ecclesiarum S. Joannis, et S. Luciae accessissent massae Capituli. Cum igitur dudum Hercules Gallus e vita decesserit, spes est Canonicos brevi muniis suis quotidie, ut lex pontificia jubet, perfuncturos.

Animarum curam, quam gesserat Plebanus, nunc gerit Archipresbyter; cui subsidio esse jussi fuerunt Canonici duo. Anno autem 1801. satius visum est expensis Archipresbyteri, Capituli, et Sodalitii cujusdam Sacellanum alere, cujus id munus sit parochialia officia obire.

sessionem adiit die 10. Aprilis per Carolum Centoflorenum Praepositum Ecclesiae Cathedralis Vicarium suum, easque adiit die 23. Maji.

Hisce peractis, et postquam Ecclesiarum suarum visitationem, cujus tamen acta desiderantur, explevisset Campagnolius, supervixit parum, mortuus Recanati die 7. Kalend. Julii 1749., sepultusque prope Aram S. Carolo Borromaeo, quem praecipuo affectu coluerat, dicatam. Epitaphium sequens ei positum fuit.

D. O. M.
Joanni Baptistae Campagnolio Centensi
Bononiensi et Fanensi civitate donato
Archiep. Mediolanen. olim Vicario Generali
Mox Recineten. ac Lauret. Ecclesiae Pastori amantissimo
Viro opt. pientiss.
ad hanc S. Caroli Borromaei
quem vivens praecipue spectaverat
Aram sepulto
Alex. Campagnolius Fr. moerens
Hoc mon. posuit
An. Aerae vulgaris MDCCLI.
Natus annos LXI. mens. IX. dies XIII.
Obiit VII. Kal. Julias
An. MDCCXLIX.

Vicarii fuerunt *Recanati*

Anno 1746.-48. Franciscus Cinnami Bergomensis.

Marinus Onofri de S. Marino.

Vicarius Capitularis D. Franciscus de Leopardis Eques Hierosolymitanus Recanatensis. Canonicus Poenitentiarius.

Laureti

1746. Ant. Cajetanus Angelinius.

1749. Joseph Valeriani Camers.

Vicarius Capitularis Antonius Cajetanus Angelinius Canonicus.

CCXCIV. Initia Episcopatus Joannis Baptistae Campagnolii illustravit obitus Thomae Antonii Arbuatti Augustiniani. Hic Laureti ortus die 14. Novembris 1673. parentibus Jacobo Benedetti, cui agnomen Arbuatti, et Diambra, qui exigui agelli cultura se et familiam sustentabant. nono decimo aetatis anno Institutum Eremitarum S. Augustini amplexus se totum exercitiis virtutum ac religionis mancipavit. Quod ut liberius praestaret, postquam cursum studiorum absolvisset, ac nonnullis Coenobiis Ordinis sui, uti et Novitiis summa cum laude praefuisset, relicta patria Eremum

adiit Terralbae *in* ditione Venetorum, ibique totos 23. Annos exegit. Auximum urgente Cardinale Lanfredinio revocatus An. 1735., undecim ibi annis in Monasterio suo ita vixit, ut cellae foribus nunquam egressus fuerit, nisi cum adeunda erat Ecclesia, aut interesse oportebat processionibus sacris, quamvis Prioris officio bis, ac Syndaci etiam per septennium, cogentibus fratribus. perfunctus. Toto eo tempore, *innocentiae, humilitatis, atque obedientiae clarissima documenta et exempla praebuit,* verba sunt elogii urnae ipsius funerariae inclusi, *procul ab hominum consuetudine, dies noctesque vel orando vel jejuniis ciliciisque sua membra macerando transigere consuevit.* Excessit e vivis die 27. Julii An. 1747., ac statim miraculorum fama, ut vivus virtutibus, claruit. Haec e Commentario de vita ejus ac gestis italica vulgari lingua edito Fani An. 1749.

JOANNES ANTONIUS BACHETONI

EPISCOPUS RECANATENSIS XLI. LAURETANUS XIV.

CCXCV. *Joannes Antonius Bachetoni* de Castro Precum Spoletinae Dioecesis postquam litteris, scientiisque severioribus, Juris praesertim scientiae diligenter ac diu operam Cremonae primum, et Bononiae, deinde Romae navasset, Canonicus delectus est in Ecclesia Spoletina, ut dicitur Theologus, eidemque Ecclesiae praefuit munere fungens Vicarii Generalis, quod munus gessit Tuderti etiam. Septempedae, Arimini, et Reati; Fanensem Ecclesiam moderatus est nomine Pontificis, fuit enim in Civitate illa Vicarius Apostolicus. Eam ubique sibi conciliavit doctrinae, pietatis, ac prudentiae laudem, ut dignus habitus fuerit, qui Episcopali fulgeret dignitate. Hinc An. 1737. creatus est Ecclesiae Anagninae Episcopus, cui etiam summa cum laude praefuit; etenim Seminarium ampliavit aedes Episcopales perfecit, atque exornavit, Cathedrale Templum vestibus sacris instruxit, Clerum vero ac popolum mira cum dexteritate rexit, verbisque et exemplis viam Domini edocuit. Quare Bachetonium delegit sapientissimus Pontifex Benedictus XIV, quem Romanae urbis Pro-Episcopum sive Vicegerentem constitueret, quod vero onus suscipere abnuit modestia Bachetonii; necesse tamen habuit parere jussis ejusdem Summi Pontificis, cum renitentem licet ac invitum ab Anagnina ad Recanatensem et Lauretanam Ecclesias transtulit Kalendis Decembris 1749. Possessionem adiit 3. *i*dus per Joannem Baptistam Stellam civitatis Lauretanae, Almaeque Domus Praesidem.

CCXVI. Mox Ecclesiam suam Recanatensem visitavit, licet acta Visitationis interierint. Hujus Episcopi cura Seminarii aedes restauratae, atque

in commodiorem formam redactae sunt, ac Alumni Convictores primum in eo recepti, Academiam in Seminario instituit *Fantasticorum* ubi philomusorum singulis mensibus bis exercerentur ingenia, cujus consessibus frequens interfuit, uti ex examinibus sive ordinariis, sive extra ordinem saepissime institutis. Idem perfecit, ut in Seminario binae instituerentur scholae. Philosophiae altera, altera Theologiae Moralis. Anno 1764. 29. Januarii constitutionem edidit, qua Sodalitatibus convivia facere e pecuniis, quas usibus magis piis Majores designaverant, interdixit, quam constitutionem vide in Appendice ad Synodum Recanatensem An. 1781. Ecclesiam Cathedralem Recanatensem in elegantiorem formam redegit, Sacellumque sumptuosum ex integro faciendum curavit, Augustissimae Eucharistiae conservandae. Hospitia virorum Religiosorum, quae Laureti sunt, clausurae legibus a Benedicto XIV adstringi curavit. Orphanotrophium puellarum, cui moriens mille aureos legavit, primus constituit, quod Caroli Fausti Frontonis, Silvestri Corradini, aliorumque benefactorum munificentia auctum majora in dies accipit incrementa, fructusque polliectur insignes. [1]

Eloquentiae, qua valuit, sacra monumenta supersunt edicta pastoralia, et panegyricus Laureti S. Ludovico Galliae Regi dictus, qui typis editus magnopere a rerum ejusmodi peritis probatus fuit. Obiit Bachetonius die 30. Augusti An. 1767. in Oppido Montis S. Mariae in Cassiano, quo valetudinis causa sese contulerat, ibique sepulturam naetus est in Templo Patrum Ordinis S. Francisci Observantium. Epitaphii exemplum hoc est:

Joanni Antonio Bachetoni
Nobili Interamnensi et Spoletino
qui cum per annos XII. Anagninam
per XVIII.
Lauretanam et Recinetensem
Pastorali zelo, gravitate, et doctrina

[1] Cum opera Decessorum Oppida Castrificardi, et Montisluponis Collegiis ornata essent Canonicorum, operam dedit Bachetonius, ut ne id decoris Oppido *Montiscassiani* deesset. Itaque ipso procurante Clemens XIII litteris Apostolicis datis die 25. Novembris An. 1760. Ecclesiam S. Mariae sive Plebis in Collegiatam erexit, ac bona ipsius, ac Sodalitii S. Jacobi et Philippi in unam Massam conflavit, e cujus redditibus alendi essent Archipresbyter, Canonici septem, et Mansionarii quatuor; praecepitque, ut canonica officia quotidie peragantur quamprimum redditus annui singulorum Canonicorum 42. scuta aequabunt: ad id usque temporis festis tantum diebus, statisque anni temporibus Chori muniis adstringuntur.

Parochi instituti fuerunt duo, adsignatique singulis annui viginti et octo ducati aurei.

tum effusa in pauperes largitate [1]
rexisset Ecclesias
valetudinis gratia
huc loci secedens
Die XXX. Augusti A. MDCCLXVII.
aetatis suae LXXVII.
piissime execssit
Joannes Antonius
Bachetoni
Patruo amantissimo
M. P.

Vicarios Generales habuit *Recanati*

Anno 1750. Franc. Cinnami Patrit. Bergomensem.

1757. Petrum Coelestinum Galli.

1762.-63. D. Angelum Antonium Sacrati J. U. D. et Theol. Doctorem Protonot. Apostolicum.

1765.66. Martinum Cordella, qui Episcopus postea fuit Balneoregiensis.

1767. Hieronymum Mazzagallium Comitem, Recanatensis Ecclesiae Praepositum.

Laureti

1749. Josephum Valeriani.

1752. Marinum Onofrii de S. Marino.

1755. Sebastianum Vandini Forosemproniensem, qui postea Archid. Lauretanus.

1762. Petrum Coelestinum Galli de Gatteo.

Post obitum Bachetonii Ecclesiae nostrae per aliquot menses praefuit An. 1767. D. Bernardinus Noja Vicarius Apostolicus, nominatus ob discordiam Capitularium ab Episcopo Auximano jussu Sacrae Congregationis Concilii.

Laureti Vicarius Capitularis Gaspar Basvecchius Monteluponensis Canonicus Ecclesiae Cathedralis.

CCXCVII. Sanctitate vitae hoc tempore floruit Comes *Franciscus Leopardius* Canonicus Poenitentiarius. Huic in more positum erat totos dies cum socio Jesuita agros obire, ut christianam doctrinam rudes agricolas, eorumque filios et servos doceret. Missionarium quoque egit aliquando apud nautas in Portu degentes. (Ex Annal. MSS. Collegii Soc. Jesu.) Excessit e vita vir piissimus die 23. Decembris An. 1758.

[1] Quae tanta fuit, ut vasa argentea saepius vendiderit, ut haberet quod pauperibus elargiretur, equos etiam et rhedam venditurus, nisi cohibitus fuisset a suis.

Alios tres eadem tempestate Recanatensis patria protulit viros sanctitatis fama posteris notos gente *Michelonia* prognatos, *Joannem Baptistam* Agricolam, ejusque ex fratre nepotem Josephum Antonium, ac pronepotem Josephum Sebastianum. Ille ob mores innocentissimos ac singularem in Deum pietatem vir sanctus, dum viveret, existimatus fuit, ejusque cadaver post quindecim annos incorruptum inventum est. Obiit Kalend. Aprilis 1744., tumulatusque est in Templo parochiali Montis Morelli.

Josephus Antonius natus 18. Januarii 1698. sexto decimo aetatis anno Instituto Patrum Minorum Observantium nomen dedit, in quo ita vixit, ut sanctitate vitae insigniter omnibus praeluceret; memoratur in primis modestia ipsius omnino singularis, oculis enim in terra fixis semper incedebat, silentium continuum, ac solitudinis amor. Corpus, ne rebellaret contra spiritum, duriter tractabat, parcissimo nunquam non cibo, lectuloque pauperrimo et aspero usus, verberibus quoque frequentissime in id saeviens. Quocumque incederet, precationibus divinum numen invocabat: praeter horas canonicas officium Deiparae Virginis quotidie recitabat, ac preces illas sibi vel maxime familiares, quibus Passio et mors Salvatoris sive *Via Crucis* in memoriam reducitur. In Ecclesia habitare videbatur, adeo diu noctuque in ea assiduus fuit. Neque sibi soli ita vixit, sed confessionibus excipiendis, juvandisque aegris miro cum fructu operam dabat. Sic viginti totis annis Patriae et exemplo, et precibus, et exhortationibus profuit.

Vivunt adhuc complures, qui meditationibus *Viae Crucis*, quibus populo jubentibus superioribus praeibat, interfuere. Meminerunt ii copiosas lacrimas, suspiria creberrima cum ipsius Josephi Antonii, tum populi universi, quem ad peccata detestanda, atque ad amandum Deum Optimum Maximum precibus suis ac vel ipso vocis sono, atque expressione sensuum animi sui excitabat longe efficacius, ac facere plerumque soleant eloquentissimi, ut vocantur, Missionarii.

Obiit vir piissimus die 6. Februarii An. 1761. morte, ut credimus, Sanctorum; moxque innumerabilis populi multitudo adfuit cadaver veneratura, et reliquias ablatura. Gratiarum, quas ipso intercedente complures a Deo se obtinuisse asseruerunt, authentica testimonia extant in Ecclesiae Recanatensis tabulario. Senatus vero duodecimo ab obitu die duumviros constituit nobiles viros Josephum Melchiorium, et Gasparem de Turri, quibus id negotii publice datum est, ut Civi venerando maximi, quoad fieri posset, honores haberentur. (E libro Actorum Senatus et Populi Recanatensis ad diem 18. Febr. An. 1761).

Apertum denuo fuit sepulcrum, in quo conditus fuerat, 27. post mortem die, cumque deprehensum fuisset flexibile et illaesum, sanguinemque

e vulnere jam inflicto emittens, capsis geminis probe sigillatis inclusum depositum fuit in Sacello SS. Crucifixi, visitaturque adhuc sepulcrum ab indigenis et exteris.

Josephi Antonii vestigiis inhaesit *Josephus Sebastianus* ipsius e fratre Michaele nepos, natus An. 1733., qui et ipse Institutum amplexus est Fratrum Observantium adolescentulus. Remissiori hic vitae deditus aliquamdiu fuit, surdasque patruo monenti aures exhibebat, donec Anno aetatis 25. permittente Deo a Satana obsessus est, quo agitante ululatus persaepe edebat horrendos, doloribusque et cruciatibus afficiebatur acerrimis. Tunc enim agnoscens Dei manum poenitenti vitae totum se dedit, adeo ut liberatus a Daemone rursus ab eodem, si animae saluti id proficuum foret. obsideri atque affligi expetierit. Quod et contigit. Post haec magistro usus patruo in pietatis omnigenae operibus se exercuit, in afflictationibus praesertim corporis, et affectuum impugnatione, abstinentia a cibis delicatioribus, ac paupertate. Mortuo patruo liber evasit ab hospite inferno, ut ille praedixerat, eujus deinceps virtutes ad vivum in se expressit, ejusque exemplo Viae Crucis mysteria contemplanda populo praebuit magna cum omnium aedificatione. Cum superstes fuisset patruo tribus annis, et tribus mensibus, maturus jam coelo, eo ipso, quem praedixerat, die et hora 21. Maji 1764. annos natus 31. menses 4. animam Deo reddidit, sepultusque est in eadem Cappella SS. Crucifixi a latere Epistolae e regione patrui.

CCXCVIII. Civitatis Lauretanae ornamentum singulare hac ipsa aetate floruit *Franciscus Antonius Gervasii* e Conventualium S. Francisci sociorum familia, qui gallicis, latinis et graecis literis doctus eloquentia vero sacra maxime enituit. Quare ad quadragesimales conciones habendas accitus fuit Florentiam, Taurinum, et Neapolim, ubi et rhetoricam artem aliquamdiu docuit. Mirus erat in conciliandis affectibus artifex, cum et vehementi dicendi genere uteretur, ac lacrimis etiam ubertim profusis ex audientium oculis lacrimas eliceret. Cumque insigni praeterea esset probitate et innocentia vitae, amicitiam sibi conciliavit eum populi tum principum etiam virorum, e quibus nominasse sufficiat Joannem Gastonem III Etruriae Ducem. Caraffae Principem, Elisabetam Mastrilliam Mariliani Ducissam, Marcum Fuscarinium Venetum Senatorem praestantissimum, Vincentium Mariam Muscettolam Episcopum Lauretanum et Recanatensem, doctrinaque celebres Joannem Baptistam Vicum, et Paulum Matthiam Doriam Neapolitanos. Lauretani suis civibus eum An. 1721. adscripserunt: coetui suo Arcades. Conventualium Ordo Definitorem perpetuum declaravit. Benedictus vero XIV Episcopali etiam dignitate oblata quanti cum faceret declaravit. Sed vir ab honoribus alienus reliquam in patria vitam privatus agere constituit: neque tamen otiosae quieti indulsit. sed adole-

scentes complures, quibus locum, ubi convenirent, in Coenobio concessit. in litteris, pietate, ac eloquentia instituit; eivesque e suggesto ad vitam recte agendam inflammare perrexit, apud quos et concionum ejus, pietatisque, ac innocentissimae vitae adhuc viget memoria.

Obiit die 5. Januarii An. 1755. Funus honoris causa Clerus universus. et Canonicorum Collegium cum civibus magno numero prosecuti sunt.

Reliquit Coenobio selectorum librorum copiam, posteris vero ingenii sui aliquot monumenta, panegyricos in laudem Conceptionis Immaculatae Virginis Mariae impressos Neapoli An. 1734., aliasque orationes sacras editas Aesii anno 1738. et 1748. ac Venetiis anno 1774.

CYRIACUS VECCHIONI

EPISCOPUS RECANATENSIS XLII. LAURETANUS XV.

CCXCIX. *Cyriacus Vecchioni* Anconitanus [1] Canonicus antea et Vicarius Generalis in urbe patria, electus est Episcopus Recanatensis et Lauretanus die 14. Decembris 1767., consecratus die 16. ejusdem mensis a Cardinale de Rubeis, ac die 20. possessionem adiit.

Visitavit Ecclesias suas An. 1768. et 1769.

Missionibus sacris dioecesanos ad meliorem vitam excitari curavit, opera usus Oratoris sacri longe celeberrimi Bartholomaei del Monte Bononiensis Sacrae Thelogiae Doctoris. Puellis etiam expositis, quae in Nosocomio S. Luciae alebantur, Magistram praefecit, quae moribus, doctrina christiana, et artibus sexui convenientibus eas imbueret. Orphanotrophium vero a decessore fundatum redditibus nunc auctum solemniter erexit An. 1773. Kal. Martii, quod vero nonnisi triginta post erectionem annis, ut videbimus. constitutiones formamque Orphanotrophii nactum est. Eidem moriens aliquot scutorum millia testamento reliquit, e quorum fructibus dotes puellis dignioribus quotannis elargiendas esse constituit.

Anno 1771. Curatores Hospitalis obtenta licentia a Sacra Congregatione die 9. Augusti loca illa 117. Montium Genuae, quae Sodalitati legaverat bon. mem. Nicolaus Astius Episcopus noster (efficiebant summam scutorum 3800., de quibus quotannis percipiebantur scuta fere 78.) vendiderunt, summaque ex eis confecta posita fuit ad usuras.

Anno 1773. die 2. Martii approbavit Vecchionius Congregationem piorum hominum cultui B. Placidi dicatam, cujus etiam honori promovendo instituta fuit die 10. Junii Societas literaria, (Academiam vocant B. Placidi).

[1] E majoribus Cyriaci Franciscus Vecchionius ann. 1525. Praetor fuit Cinguli.

Quamvis plurimae olim in agro Recanatensi extiterint Ecclesiae campestres, in quibus ruricolae convenire, sacris interesse, ac de rebus ad religionem pertinentibus erudiri potuere, conciderant tamen illae, sive quod translatae fuissent intra moenia sive ipsa vetustate, quae omnia consumit. Quo factum est, ut infinita hinc nascerentur incommoda tum pro Sacerdotibus, qui ex urbe, cum opus esset, advocandi erant, tum vel maxime pro colonis ipsis, qui ingenti dispendio animaeque periculo e longinquo petere cogebantur salutis praesidia. Haec considerans Vecchionius nihil non egit, ut malo remedium afferretur. Quare An. 1775. die 28. Novembris novam erexit Parochiam et Ecclesiam S. Francisco sacram in regione sive colle olim castello Balneoli (Bagnolo.) Dotem scutorum 70. annuorum Curioni constituit, Templumque sumptibus suis erexit Societas, quae S. Mariae Mercatorum vocatur, cui proinde juspatronatus veluti parenti et fundatrici Parochiae concessum est. Fundum pro construenda Ecclesia, aedibusque Parochialibus donavit nobilis familia de Constantinis.

Egregie non ita multo post agricolis nostris consuluit Episcopus Vecchionius, translata ad Ecclesiam S. Mariae Montis Morelli Sodalitate tituli S. Mariae Pietatis, unitaque alteri, quae S. Sebastiani venerationi se dicavit. Ecclesiam porro campestrem, in qua imago *Deiparae Pietatis* miraculis collucens colebatur, bona cum venia Sodalium illius Ecclesiae quondam dominorum, et annuente anno 1780. die 30. Martii Pio VI P. M. donavit Clericis Regularibus Congregationis Passionis Domini nostri Jesu Christi, qui extructo prope illam amplo Asceterio, et Ecclesia ipsa e fundamentis excitata eleganti sane et longe ampliori, ac antea fuerat, impigre agrum dominicum excolere coeperunt, agricolis in primis pabula saluberrima praebentes doctrinae ac Sacramentorum Ecclesiae.

Societatibus *Mercatorum* et *Pietatis* praeiverat exemplo e civibus nostris vir egregius, qui majorum aemulatus pietatem bona sua terrena Deo obtulit, ut ex iis Ecclesiae ruri extruerentur, Parochi alerentur, ruricolarum commodis, et animabus consuleretur. Fuit is *Tiberius Crucianus* ex ultima nobilium Recanatensium stirpe prognatus, qui in tabulis testamenti scriptis die 19. Augusti 1751. per Nicolaum Paliarinium Notarium haereditatem suam omnem intra sexennium post mortem uxoris ad pium illud opus explendum convertendam esse jussit. Judicatum fuit An. 1786., defuncta paulo ante Maria de Melchioribus Tiberii olim uxore, tres omnino Parochias novas e facultatibus Tiberii erigi posse. Reliquerat enim is praeter domos etc. 170. jugera, sive modiolos agri. Erecta igitur statim fuit ab Episcopo Vecchionio Parochia haud procul a finibus agri nostri versus Oppidum Montis Cassiani in regione dicta *Molie Vecchie*, ubi postea extructa fuit Ecclesia, atque honori SS. Crucis dedicata. Alias duas Paro-

chias erigendi facultatem indulsit Sacra Congregatio Concilii Tridentini interpres die 26. Septembris 1795. — Verum ob temporum, quae secuta sunt, infelicitatem res confici necdum potuit. Geminae intra Civitatem Recanatensem Ecclesiae, altera S. Petri in regione Montis Morelli, ut instauraretur, altera S. Michaelis in Ponticello, quae nunc Suffragii animarum in Purgatorio igne detentarum vulgo dicitur, ut e fundametis reaedificaretur, Vecchionius auctor fuit.

CCC. Anno 1775. exorta est controversia inter Capitulares Lauretanos super mutatione horarii choralis, quod constitutum olim fuerat a Cardinale Augustino Galaminio, sancitumque in Synodo dioecesana Julii Cardinalis Romae, cujus proin mutandi arbitrium spectare videbatur ad Episcopum. Verum Capitulares aliqui Praesulis sui judicium refugientes rem detulerunt ad Secretarium Congregationis Lauretanae, qui decretum edidit Episcopo adversum. Sed huic decreto reluctantes Episcopus et Capitulum ad tribunal Signaturae justitiae causam detulerunt. *Circumscripto dein decreto* Congregationis Lauretanae petente Episcopo rejecta fuit causae decisio ad Sacram Congregationem Concilii, quae triennio post provocante Promotore Almae Domus *perstitit indecisis.*

Enatae sunt mox in eodem genere functionum Ecclesiasticarum Canonicos inter et Beneficiarios Lauretanos quaestiunculae quaedam de celebratione Missae Conventualis in Synodo Dioecesana praescriptae, itemque de praeminentiis quibusdam, de ordine egrediendi e Sacristia ad Missas celebrandas, de subsellis, ordine sedendi, paramentorum usu etc. At vero spreta jurisdictione Episcopali, sicuti antea de mutatione horarii, ita nunc institutum nulliter judicium fuit per Beneficiarios coram Secretario Sacrae Congrationis Lauretanae, qui sententiam dixit pro Beneficiariis die 6. Octobris 1782. — Ita enim tunc agi mos erat, teste in actis litis Reverendissimo Vecchionio. Cancellarius, Beneficiatus aliquis, aut ignotus, nescio quis, patentatus lites excitabant. Causas postea suscipiebat Promotor, actoribus primis intra latebras se recipientibus. Scripturae et expensae multiplicabantur sumptibus *Almae Domus*, ac summa cum molestia Praesulum, quibus litigandum erat *sumptibus suis* et pauperum. Turbabantur hoc pacto Praelatorum, subditorumque officia, collabebatur disciplina, rixae, odia seminabantur, fovebantur. Verum die 9. Septembris anno 1783. decisum fuit in Signatura gratiae coram sanctae memoriae Pio VI — *Congregationi Lauretanae competere jurisdictionem in personas ad S. Cappellam pertinentes in iis tantum, quae ministerium ipsarum concernunt: Episcopo vero competere in easdem personas jurisdictionem quidem* DELEGATAM, *ubi de rebus ad ministerium ipsarum spectantibus agitur;* ORDINARIAM *vero in iis caussis omnibus, quae ad mi-*

nisterium ipsarum non pertinent. Neque huic decisioni obstare debere deinceps aut Synopsin Benedicti XIV, aut quamvis aliam juris dispositionem — Sic litibus illis sempiternis finis impositus est.

Recanati etiam Episcopalem jurisdictionem adversus Sodalitatem S. Jacobi, quae immunem se esse contendebat, quippe quae Basilicae Lateranensi Urbis unita esset, Ecclesiamque haberet in ipsius solo aedificatam, fortiter constanterque defendit, obtinuitque removenda esse insignia Basilicae ab Ecclesia S. Jacobi. Demonstravit enim ex actis Visitationum priscis, Ecclesiam illam et Sodalitatem numquam non a decessoribus Episcopis fuisse visitatam, qui cetera quoque ecclesiastica munera in Sodales pro re nata exercuerunt. Addere poterat Ecclesiam ipsam S. Jacobi, ut e Bulla constat Innocentii IV data XI. Kal. Aprilis Anno 1249. immediate subjectam esse Episcopis Recanatensibus, concessamque An. 1401. die 6. Martii Societati Frustatorum S. Jacobi ab Angelo Episcopo, rursumque An. 1441. die 23. Julii a Nicolao Astio, ut in ea conventus suos peragerent: Ecclesiam vero in solo Lateranensi aedificatam eam fuisse, quae existebat olim una cum hospitali ejusdem Sodalitii extra muros Civitatis haud procul a Porta Lauretana, quae vero circa annum 1440. omnino concidit, ut nequidem vestigia ejus supersint.

Alia lis diuturna equidem ac dispendiosa Vecchionio intercessit cum Magistratibus Monteluponensibus, cujus universa ratio ut melius intelligatur rem ab ovo, ut ajunt repetiisse juvabit.— Anno 1393. die 12. Septembris nobilis vir Androtius D. Francisci Monteluponensis bonorum suorum fructus inter pauperes quotannis et perpetuo distribuendos esse testamento constituit. Bona vero illa per homines a Communitate delectos administranda esse decrevit An. 1423. die 22. Septembris Vicarius Generalis Episcopatus Firmani. Testamentum Androtii, ac Decretum Vicarii in Archivo Societatis Mercatorum Recanati adservantur. Accesserunt postea bona alterius cujusdam viri pii Petri Chiodii, qui die 7. Junii An. 1530. eorum fructus eodem pacto inter pauperes patriae suae dispertiendos fore mandavit. Horum porro fructuum *pars canonica* sive *quarta* ab Episcopis Firmanis, quibus tunc Oppidum Montisluponis suberat, quotannis percipiebatur pro more in harum partium dioecesibus eo tempore recepto. Eodem jure gavisi sunt post Firmanos Episcopi Lauretani ad tempora usque Vecchionii; quando, rogatu Magistratus Monteluponensis solutionem suspendi jussit Sacra Congregatio *boni regiminis*. Episcopus vero in actis sacrarum Visitationum An. 1770. et 1773. nihil innovandum esse decrevit, imo rationem a Communitate reddi postulavit bonorum deperditorum. Vicit tandem bona Lauretanae Ecclesiae causa, cui finem imposuit transactio de fructuum non solutorum restitutione.

CCCI. Extant Constitutiones et leges mandante Vecchionio confectae pro Basilica Recanatensi, ejusque Clero, quibus ea continentur, quae a decessoribus Episcopis circa officia divina, Ecclesiae nitorem, et singulorum Clericorum munera decreta olim fuerunt: explicantur consuetudines et jura, quae a Majoribus accepta pretiosi instar depositi servata, atque ad nos trasmissa fuerunt. Librum quoque paraverat inscriptum. — *Ceremoniale sacro* ovvero *Regole da pratticarsi in* Coro *nella celebrazione de'divini Uffizj per commodo delle due sue diocesi, acciocchè il culto divino in tutte le loro Chiese sia esatto ed uniforme:* quo complexus fuerat mira cum claritate et brevitate quae a singulis juxta praecepta liturgica receptiora cum in recitandis horis canonicis, tum in celebrando Missae Sacrificio, processionibus, exeqiis etc. observanda essent. Legimus exemplar ejus manu exaratum paginis constans 460. in forma, ut ajunt, quarta, quod possidet Rmus Bellinius. Cur in lucem non prodierit opus sane perquam utile, divinando adsequi non possumus.

Anno 1781. diebus 29. et 30. Aprilis, et 1. Maji habuit Vecchionius Synodum Recanatensem, cujus decreta typis vulgata fuere anno sequenti.

Eodem anno edi curavit compendium statutorum Archiconfraternitatis Romanae, quae dicitur *Mortis et Orationis* [1], eaque observari mandavit a Fraternitate Mortis Lauretana, quae instituta fuerat anno circiter 1566., regulasque paulo post condiderat probatas a Rmo Rutilio Benzonio Episcopo.

Die 8. Septembris 1783. Constitutiones Capituli Recanatensis unanimi Canonicorum consensu probatas auctoritate sua confirmavit. Idem singulis fere annis donum aliquod insigne in Cathedralem suam Recanatensem conferebat, sacras vestes auro intextas, aut vasa argentea, aliamve praetiosam suppellectilem. Aram quoque maximam argenteo opere anaglyptico elegantissimo exornavit.

Vecchionii liberalitati debetur Reliquia insignis unius e Clavis, quibus Salus mundi patibulo Crucis adfixa fuit, quae adorationi fidelium exponi solet Dominica secunda temporis Paschalis; adsignata etiam summa pecuniae quotannis solvenda, ut suppetant sumtus in ea expositione fieri soliti.

Coenobium Virginum Benedictinarum, quod est in Oppido Castri Ficardi, cum esset ruinae proximum, nova e fundamentis aedificatione indigebat; quod ut quam minimo Sanctimonialium incommodo fieri posset, transtulit eas Episcopus Recanatum An. 1775. in aedes Templo S. Viti proximas, ubi Collegium olim extiterat Presbyterorum Societatis Jesu. Ibi

[1] *Compendio delli Statuti della Venerabile Archiconfraternita della Morte ed Orazione . . . . adattati alla Venerabil Compagnia della Morte di Loreto.* Loreto 1782. in 4.°

tamdiu permanserunt, donec perfecta esset Monasterii fabrica. Ne deessent sumptus in eo opere faciendi impetravit a Summo Pontifice Pio VI, redditus Sodalitii SS. Nominis Jesu per triginta annos percipiendos in reaedificationem Monasterii impendi debere.

Anno 1782. Pius VI P. M. Germaniam ecclesiasticae necessitatis causa petens, indeque redux die scilicet 2. Martii, ac 9. Junii Lauretanam urbem et Ecclesiam adventu suo, et commoratione beavit. Die vero 10. Junii Basilicam quoque Recanatensem invisere dignatus est, exceptusque a Clero, et Senatu Populoque urbis Principi suo devotissimae cum honoris ac reverentiae testificationibus, quibus poterant, maximis. Vide Diarium itineris a Josepho Dinio pontificiarum ceremoniarum Praefecto editum pag. 64.

Decessit Vecchionius apud Recinates die 12. Junii 1787. aetatis anno 76., sepultusque est ibidem in Basilica. Sepulcrum signat lapis, cui insculpta sunt haec:

CYRIACI VECCHIONI
EPISCOPI B. M.
OSSA
I. P.

Orphanotrophio nostro puellarum, quod vivus paterno affectu foverat, summam non exiguam testamento reliquit, e qua puellis duabus quotannis dos constituta est.

Vicarii Generales fuerunt *Recanati*

Anno 1768.-1773. Carolus Joseph Bettanzi de Rocca Contrada Canonicus.
1775.-1782. Joannes Hieronymus Leonorius J. U. D. de Monte S. Viti Canonicus Ecclesiae Collegiatae et Patricius Nursinus.
1785. Joseph Petrelli J. U. D. Canonicus Poenitentiarius Recanatensis Pro-Vicarius.
1787. *Vicarius Capitularis* Philippus de Robertis Marchio Ecclesiae Recanatensis Archidiaconus.

Laureti

Anno 1767. Joseph Antonius Leonori de Monte S. Viti Canonicus Lauretanus.

. . . .

. . . .

Vicarius Capitularis Joseph Antonius Leonorius de Monte S. Viti Canonicus Lauretanus.

CCCII. Sub Cyriaco Vecchionio obiit Serva Dei *Soror Maria Rosa Augustini* Virgo Lauretana Tertium Ordinem S. Dominici professa, cujus memoria, ut commentarium hunccе nostrum exornemus, instituti nostri ratio jubet.

Nata est Maria Rosa Laureti die 3. Maji An. 1722. patre Carolo Agostini Aesinate, matre Petra Bellini mercaturam facientibus. Inde ab in-

fantia eximia dedit futurae sanctitatis indicia; etenim uti olim S. Nicolaus Myrensis, ita ipsa feriis sextis lacte matris abstinuit; vixque loqui didicerat, cum precationibus diu noctuque intenta non alia fere animi relaxatione uteretur, quam pietatis exercitiis.

Cum vicesimum aetatis annum attigisset habitu tertii Ordinis S. Dominici se induit, neque aliud deinceps magis in votis habuit, quam ut venia sibi daretur solemni sacramento ad sacri illius instituti observationem se adstringendi. Compos facta est voti An. 1749. die 15. Augusti annuente Generali Ordinis Magistro, quamvis legitimam aetatem nondum attigisset, nam juxta leges nonnisi quadragenariae ad professionem admittuntur.

Tum vero vitam instituere sanctissimam; summo mane surgere, horam saltem precando, et meditando terere; solitudinem impensius amare, noctes insomnes ducens Deo ac sibi vigilare; corpus jejuniis, disciplinis, ciliciis affligere, invisere mulieres aegrotantes, iisque deservire; adolescentulas instituere tum ad opera manuum, quae sunt victui comparando, tum ad vitam pie agendam; singulis diebus ad S. Synaxim accedere; singulis mensibus per diem unum, quotannis vero per hebdomadem spiritualibus vacare exercitationibus; ceterum abhorrere ab affectatione extraordinariae pietatis operum, a superbia, otio, injustitia: delectari opprobriis, derisione, contumeliis, ac vilioribus ministeriis: Deo soli vivere.

Neque tamen latere potuit ejus eximia virtus, imo fama de sanctitate Rosae non Laureti tantum convaluit, sed per finitimas etiam, longiusque dissitas civitates sparsa est. Etenim praeter alia constitit, secreta cordium, et quae futura erant, ipsi a Deo, ab ipsa aliis persaepe manifestata fuisse.

Cum igitur Dei serva constantissime tolerato per viginti dies morbo, qui ei postremus fuit, ex hac vita decessisset die 16. Martii 1768., maximus statim ad Basilicam Lauretanam populi concursus factus est ad visendum Virginis corpus emortuum, certatumque quis quid de rebus ipsius auferret. Tandem humo traditur, sed post sex et viginti dies quam sepultum fuerat e sepulcro extractum est integrum, et suave olens, iterumque terrae mandatum in Sacello SS. Rosarii, ut ipsa petierat. Ex quo tempore non desiit miraculis collucere, et invocantibus se patrocinari, quod testimoniis compluribus probatum agnovit Sacra Rituum Congregatio die 19. Aprilis An. 1791.

(E processu super introductione causae Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Rosae Agostini typis edito Romae 1798.*)*

Coaevus Mariae Rosae fuit vir ex ordine Fratrum Minorum Observantium piissimus *Carolus Silva* et ipse Lauretanus. Hic postquam philosophiam, ac sacras literas docuisset, ac Lectoris jubilati gradum consecutus esset, abdidit se in Asceterio sui Ordinis Lauretano, Deoque soli et sibi ita

vixit, ut viginti ac duobus annis extra claustra visus nunquam fuerit pedem efferre, quo tempore perfectioni religiosae unice studuit, ac in primis patientiae, et corporis contra spiritum rebellis afflictationi. Ultimus ei vitae dies fuit quartus Februarii Anni 1786., tantaque fuit omnium de Caroli sanctitate opinio, ut mox a plurimis auxilium ejus ac preces imploratae fuerint, precibusque responderit effectus. Miraculorum ne periret memoria, diligenter per Ignatium Brunium Episcopalis tabularii Praefectum ea conscribenda curavit Reverendissimus Vecchionius.

DOMINICUS SPINUCCIUS

EPISCOPUS MACERATENSIS ET TOLENTINENSIS VICARIUS APOSTOLICUS

CCCIII. Defuncto Vecchionio Ecclesia Recanatensis et Lauretana proprio compluribus annis caruerunt Pastore. Etenim die 21. Junii anno 1787. delectus fuit a Pio VI S. M. *Dominicus Spinuccius* Episcopus tunc Maceratensis, nunc Archiepiscopus Beneventanus, qui Vicarii Apostolici munere apud nos fungeretur, cui muneri equidem sic ille satisfecit, ut brevi animos omnium vel maxime sibi devinxerit, et supersit etiam nunc, diuque superfutura sit apud nos regiminis ejus suavissima recordatio.

Hic Sanctimoniales Benedictinas Castrificardenses, quas sub Vecchionio Episcopo Recanatum concessisse diximus, ad Monasterium suum, in quo jam habitari poterat, reduxit.

Templum Parochiale Castri Portus, sumptus suppeditantibus jussu Superiorum Civitate et Sodalitiis Recanatensibus e fundamentis excitandum curavit; et B. Placiti Corpus recognovit, dum ad Ecclesiam suam referretur e collata a piis hominibus stipe nuper instauratam. Antiquissimam vero Ecclesiam S. Mariae Castrinovi solemni ritu consecravit die 20. Septembris a. 1795.

Die 30. Martii 1789. Patrum Cardinalium Senatui adscriptus fuit Thomas Josephi filius Anticius, Marchio, Patricius Recanatensis, pluribus antea legationibus, muneribusque publicis perfunctus. [1]

---

[1] Thomas Antonius natus VI. id. Maji A. 1731. patre Josepho e nobilissima et vetustissima apud Recanatenses Anticiorum stirpe, matre Antonia Cypriania domo Nursia foemina lectissima. Liberalibus studiis operam navavit cum Auximi in Gymnasio Campano, tum Bononiae in Collegio Montaltensi. Juris deinde civilis et canonici disciplina animum excoluit Romae eo profectu, ut brevi clarum sibi inter Jurisconsultos nomen comparaverit. Quare cum lis effervuisset de Episcopatu Leodiensi, Thomas delectus est, qui Outremontii Comitis electionem adversus Cle-

Anno 1796. Rmo Spinuccio ad Metropolim Beneventanam translato Vicarii Capitulares Ecclesiam hanc Recanatensem per quadriennium administrarunt, videlicet Joseph Petrellius Canonicus Poenitentiarius, et Septimius Comes Mazzagallius Praepositus Ecclesiae Cathedralis: Lauretanam Antonius Maria Buzi Fluminensis Primicerius Lauretanus.

Anno 1797. Pius VI san. mem. sublato Beneficio tituli SS. Jacobi minoris et Antonii Mansionarios quatuor ex illius fructibus alendos in Ecclesia Cathedrali constituit, ut e majori Presbyterorum inservientium numero augmentum ei accederet honoris, atque augustiori ritu sacrae peragerentur ceremoniae.

Praesbyteros hosce deligendi jus habet Sodalitium majus SS. Sacramenti.

---

mentem Saxoniae Principem vindicaret, quod et feliciter praestitit. Suis igitur negotiis Romae agendis opera ejus usi sunt Maximilianus Fridericus Comes Koenigseckius, Maximilianus Joseph Bavaricus, et Carolus Theodurus Palatinus, S. Imperii Romani Electores, Dux Parmensis, Rex et Respublica Polonorum.

Anno 1777. Germaniam et Poloniam peragravit, quo in itinere Friderico Magno Borussiae Regi adeo se probavit, ut intimis consiliariis adlectus, ac Regiis per Italiam, ac apud S. Sedem negotiis gerendis praepositus fuerit. A Rege Poloniae inter Equites, ut ajunt, S. Stanislai, et Albae Aquilae cooptatus, indigenis Poloniae Magnatibus adscriptus, atque Abbatia Paradisiensi ditatus est.

Apud Carolum Theodorum Bavariae Electorem, quem bis hospitio Romae exceperat, gratia et auctoritate effecit, ut peculiaris ad Aulam Bavaricam a Sede Apostolica Nuntius deinceps designandus esset, qui per eas regiones Pontificis negotia procuraret, atque ut Melitensium Equitum corpus Bavaricum institueretur, quam ob rem ex voto confectam Cruce ejusdem Ordinis majori decorari promeruit, ac pensione annua ex aerario Bavarico auctus est.

Paulo post caussam Lepriam satis notam composuit.

Virum adeo praeclare de se, de Apostolicae Sedis dignitate, Principibusque Christianis compluribus meritum, suffragante Rege et Republica Polonica, Purpuratis Patribus accensuit Pius VI die 30. Martii 1789., maximo equidem omnium applausu, sed Patriae in primis, quae Civis sui honoribus vetustam gloriam instaurari gaudebat. Itaque Senatus fratri Philippo publice gratulatus est; Cardinalem sibi in patronum adscivit, scutatis argenteis mille donatum: advenientem in Patria die 10. Septembris honorificentissime exceperunt, feriisque solemnibus atque cujusvis generis laetitiae signis novam dignitatem celebrarunt omnes patriae Urbis Ordinis.

Nec immerito: Thoma enim curante restitutae fuerunt Recanatensibus nundinae: Magistratus aureo laticlavo, atque umbellae insigniis decoratus est.

Plura cum sperarentur, quod gratia summa esset apud Pontificem, a quo anno 1793. die 25. Septembris Praefectus constitutus fuerat Cardinalium S. Concilii Tridentini interpretum, incidimus in eam calamitatem, quae fortunas omnes, universumque Reipublicae ejecto Principe Pio VI statum afflixit. Thomas Purpuram die 7. Martii 1798. deposuit, atque privatam inter suos vitam deinceps agere constituit procul negotiis et Aula.

Obiit die 5. Januarii An. 1812.

CCIV. Secuta sunt luctuosa illa tempora, quae meminisse horrescit animus, seraque exhorrescet posteritas, cum Francorum natio potentissima a se ipsa degener, trucidato Rege optimo suaeque gentis amantissimo, et oppressa Religione, quam tot saeculis tutaverat, nescio qua vertigine acta cum susque deque omnia vertisset in Galliis, ceteras quoque gentes iisdem malis involvere conata est, eversis passim legitimis imperiis, fraenisque licentiae vulgi laxatis, nubem quandam callide sibi objectam sophismatum et errore pro junone idest pro expetita ab omnibus felicitate amplexantis. Vidimus tum incautam multis in locis juventutem, eam praesertim, quae arrogantia quadam abrepta Patrum contemnens experientiam sapientior sibi videbatur, fascino quodam in praeceps agi; avitas leges, ac majorum mores et instituta contemnere; Magistratus, quorum paternae curae ac beneficiis omnia debebat, abjicere; proscriptionem optimorum civium moliri, ut non tam ipsi, quam exteri eorum bonis et sanguine saginarentur. Vidimus exspoliari sacrilego ausu Templa; ejici e Sarcophagis et Lipsanothecis venerandas Reliquias; claudi scholas et gymnasia, aut in scelerum et impietatis paedagogia transformari; vendi, imo dissipari bona Ecclesiarum, quae Majores honori divino, publicaeque utilitati consecraverant; exturbari e Claustris viros Religiosos, Virginesque Sanctimoniales, ut virtutis ac pietatis asyla et professio ex impiorum oculis evanescerent. Vidimus denique optimum Principem Pium VI Pontificem Maximum, grandaevum et infirmitatibus corporis oppressum obtentu calumniarum putidismorumque mendaciorum e Sede sua abripi, atque itineribus difficillimis fatigari, donec effaetum corpus inauditis vexationibus (Majestas Successorum Petri Gothis, Hunnis ipsis, Longobardis, et Normannis veneranda fuerat visa) succubuit Valentiae in Delphinatu. Eo transcensis media hieme Alpibus pervenerat, Parisios perducendus, ut triumphum Antichristi exornaret, nisi Deo Religionis vindici aliter visum fuisset. Triumphavit enim vero in Galliis de impietate Pius, prostravitque inimicos [1]. Ab illo sane tempore caput extulisse visa est Sancta Religio, morumque disciplina, larvaque detrahi pseudophilosophis. Nostrum non est ea narrare, quae deinceps contigerunt. Nota enim sunt omnibus. Eminuit his temporibus Cleri Recanatensis pietas et constantia, et Capituli praesertim Ecclesiae Cathedralis, quod semper in officio mansit; quin impensa sua, ne festa solemnia Ecclesiarum, quae clausae fuerant, aut exercitia pietatis, quae in iis peragi mos fuerat, intercciderent curavit.

[1] Triumphum sanctae memoriae Pontificis, cujus ossa anno demum 1802. die 18. Februarii Romam advecta fuerunt, cum toto orbe Christiano nos quoque Recanatenses pro modulo nostro celebrare adnisi sumus, factis ei in Basilica lugubribus undique contecta aulaeis quam solemnissimo ritu justis funeribus.

Vergente ad finem anno 1799. interiit demum hydra lernaea, Respublica inquam ut falso dicebatur Romana, postquam civitas Recanatensis [1] depredationem a colluvie quadam gallicorum militum ac perditorum hominum nostratium iterum iterumque passa fuisset. [2] Electus fuit Venetiis Pii VI Successor Optimus Maximus Pius VII, cujus auspiciis confidimus fore ut reviviscat saeculo hoc XIX. fides prisca, justitia, caritas; emoriantur arrogans illa pseudosophia in Deum et leges perduellis, juvenum petulantia, foeminarum impudentia et protervia, fastusque nefarius primatum; coerceantur usurae, illegitimaeque ditescendi ex injuriis et oppressione rationes. Ea omnium proborum vox est, id votum. Servet Numen Divinum nobis, servet Ecclesiae, servet liberis nostris multos in annos sanctissimum amantissimumque Principem!

CCCV. Sub idem ferme tempus e vita excessit Vir pietate non minus quam avita nobilitate [3] conspicuus Marchio Josephus Antonius de Constantinis Recanatensis Patricius. Hic a teneris annis pietatem eximie coluit, fuitque omnium exemplar virtutum, quas assecutus esse videtur Lauretanae inprimis Deiparae praesidio, quam adeo tenero prosequebatur affectu, ut compluribus annis vix diem amiserit, quin Aedes ejus venerabundus adiret, quod vero iter conficiebat capite detecto ac precationibus sacris intentus.

Amisso filio, quem habebat unicum e conjuge Maria Coloccia Matrona Aesina nobilissima, ut liberius Deo ac sibi vacaret. Romam petiit anno 1775. nudis pedibus, ac primo quidem inter Colossei ruinas sub dio, deinde in angusta Eremitae ibi commorantis cellula egit aliquamdiu. Iter postea suscepit in Lusitaniam Indias aditurus desiderio ductus exosculandi reliquias S. Francisci Xaverii; sed repugnante votis Rege coactus fuit pedem referre. Itaque redux Romam comitem se dedit cuidam Presbytero nomine

---

[1] Die 23. Junii 1799.

[2] Anno 1800. die 3. Maji particula SS. Crucis a S Petro Martyre huic urbi donata, et hactenus in Ecclesia S. Dominici adservata, quam impii e theca avulserant, Canonici autem nostri recuperaverant, ac pie custodierant, illata fuit denuo solemnissimo ritu comitantibus Clero ac Populo universo in Ecclesiam S. Dominici ritualibus precibus (etenim in equile conversa fuerat) antea expiatam.

[3] Gens Constantinia ex earum numero est, quae serius id est anno demum 1493. Nobilium praerogativis, quod cives aegerrime eas paterentur, renuntiaverunt. Ceterum Guelfa fuit, quod vel ipsum stemma indicat, liliis aureis ac rastello, ut ajunt, rubeo insignitum. E majoribus *Prior Baligani* cum fratre *Vanne* sive Joanne Canonico Recanatensi inter exules fuerunt, quo tempore patria urbs impio adversus Ecclesiae Romanae principatum bello decertabat (An. 1322). *Baliganus* tamen *Guilelmi*, *Prioris* nepos eo quod Florentinis adversus Gregorium XI favisset, Anno 1377. capite plexus est. Hujus Baligani frater Thomas progenitor fuit eorum, qui nunc florent, Constantiniorum.

Mancinio, qui modum quemdam excogitaverat mendicos ad pietatem informandi. Is quotidie eum egenorum turba praecedente Crucis vexillo pias precationes recitans Colosseum adibat, ibique mysteria Passionis Domini nostri et Salvatoris (Stationes vocant) recolere et venerari: Pauperes deinde Christi praeceptis et doctrina imbuere, ac post visitatam eodem modo Basilicam Lateranensem, et Scalam Sanctam stipe inter eos distributa, quam vel de sua pecunia dabat, vel vias Urbis obeundo ipsemet emendicaverat, remunerari erat solitus. Die jovis Basilicam S. Petri, ac die veneris ceteras Urbis Basilicas eum iisdem adibat, quos dein eleemosyna pauli unius in singulos, saepe etiam prandio reficiebat.

Quod pium institutum prosecutus est, dum vixit, Constantinius, qui et aes alienum a Mancinio pauperum gratia contractum ipse dissolvit, suaque omnia impendit, nihil sibi residuum faciens, ita ut nisi ad prandium quotidie adhibitus fuisset a Marchionissa Petronilla Sinibaldia de Maximis, inedia sive miseria pereundum sibi fuisset.

Quod egenorum institutioni, ac supplicationibus consuetis supererat temporis, id omne ita insumebat, ut a summo mane ad vesperum usque divinis vacaret. Corpus Christi quotidie sumere, officiis ecclesiasticis omnibus interesse, iis etiam quae extra ordinem in Urbis Ecclesiis celebrantur.

Aegritudine, quae postrema ei fuit, correptus in Nosocomium Clericorum infirmis ministrantium se recepit, ubi morbo diebus duo de sexaginta patientissime hilarique animo tolerato animam exhalavit die 18. Maji anno 1800. Corpus, ad quod visendum maximus populi concursus factus fuerat, tertia demum die humatum est in sepulcro Sacerdotum in Hospitali mortuorum.

Constantinii imaginem coloribus exprimendam curavit Rm̃us Pinchettius Episcopus Amerinus, quo patre et magistro spirituali usus fuerat.

FELIX DE PAULIS

EPISCOPUS RECANATENSIS XLIII. LAURETANUS XVI.

CCCVI. Quo tempore Orbis Catholicus novo laetatus est Pastore Pio VII, eodem fere [1] post tredecim viduitatis annos Antistitem acceperunt Ecclesiae Recanatensis et Lauretana *Felicem de Paulis* Episcopum antea Forosemproniensem; factumque est, ita res disponente Deo, ut eo ipso die, quo diripientibus urbem patriam militibus Francicis extrema omnia passi fueramus, elapso anno [2] exciperemus intra moenia Sanctissi-

[1] Die 4. idus Maji 1800.
[2] Die 25. Junii 1800.

mum Patrem et Principem Pium VII, eademque die nobis novum illucesceret sidus Episcopus Paulius.

Felix Paulius Patricius Cingulanus, Alexandri et Magdalenae Gabrieliae Roma oriundae filius, natus est Cinguli die 28. Maji An. 1738. (qua die Cingulani memoriam S. Exuperantii Patroni solemnissimo ritu colunt). A teneris annis pietatis ac litterarum studia unice coluit, abhorruitque a frequentia hominum, atque oblectationibus juvenilibus, ut sibi et musis vacaret unice. Cum ingenio praeterea valeret plurimum ac memoria, mirum dictu est, quantum in literis profecerit, praesertim cum ipsa in patria magistri ei obtigissent egregii. Plurimum quoque debuit insigni Bibliothecae Raphaelianae, et Francisco Mariae Raphaelio, qui nobilitatem generis altissima eruditione, pietate, ac litteratos juvandi studio ornabat, ac Paulium paterno prosequebatur amore. Severioribus disciplinis animum sic adjiciebat, ut tamen laetioribus quantum poterat otii indulgeret, poesi praesertim utrique latinae et etruscae. Delectabatur musicis artibus, antiquitatibus patriae, et ecclesiasticarum historiarum notitia, ita ut nullae deliciae potiores ei fuerint hisce studiis ad postremam usque aetatem.

CCCVII. Cum igitur hisce morum ac doctrinae praesidiis animos sibi conciliasset omnium, delectus fuit, auctore Pompejo Compagnonio Episcopo tunc Auximatium et Cingulanorum acerrimi judicii viro, atque in dignoscendis hominum ingeniis, virtutibusque probandis exercitatissimo, Canonicus Templi Cathedralis in urbe patria die 17. Decembris An. 1757. cum nondum viginti annos aetate exegisset.

Quo munere cum fungeretur, quamvis adolescentulus Canonici Theologi vices saepenumero obivit, cum explicandi essent casus conscientiae, aut interpretandi publice libri sacri. Itaque anno 1761. Kalendis Maji diaconatus tantum ordine insignitus Parochiae SS. Exuperantii et Nicolai praefectus est, Coadjutor datus Exuperantio Palpacellio, retento bona cum venia Pontificis Maximi eo, quem in Ecclesia Cathedrali obtinebat, Canonici gradu. Parochorum vero istius Ecclesiae ea erat dignitas, ut nulla esset in Cingulana dioecesi post Canonicos potior; praeerant enim Sacellanis duobus et Presbytero Sacristae, incedebantque in publicis supplicationibus pallium pluviale induti. Hanc Parochiam, postquam Sacerdotio ab eodemmet Compagnonio, ante aetatem legitimam, quod nemini alii contigit sub Antistite illo legum Ecclesiasticarum observantissimo, initiatus fuisset, Felix adeo praeclare rexit, ut non modo Ecclesiam ipsam sacris ornatibus destitutam ac pene desertam ad pristinam celebritatem reduxerit, atque insigniter decoraverit, sed revocaverit etiam et auxerit collapsum aut valde imminutum S. Exuperantii Cingulanorum Patroni cultum, benedicente Deo ejus conatibus, ita ut prodigiis quoque insignibus Sancti illius inter-

cessione patratis [1] ostenderet invocationem Exuperantii cultumque sibi esse gratissimum.

Mira fuit in eo cultu promovendo Paulii felicitas, sive cum fidem excitaret aegrotorum undique accurrentium, sive cum exorcizaret a daemone obsessos, quorum non paucos eum liberasse ex actis constat. Quam accurate porro adimpleverit pastoralis officii munera quis dicendo adsequatur? Enimvero adsiduus fuit Paulius in administrandis Sacramentis: quotidianis allocutionibus fervorem fidelium accendebat: festis vero diebus ternas persaepe habebat conciones: homilias solemnioribus diebus ad populum recitabat, non ab eloquentia magis ac nitore styli, quam a spiritu pietatis et caritatis commendatas: populum quadragesimalibus concionibus per annos duos divina edocuit: piis vero, ut ajunt, exercitiis ad praescriptum S. Ignatii Loyolae institutis persaepe tum Seminarii Alumnos, tum alios ad rectiorem vitam inflammavit. His laboribus dies cum transigeret, noctes scribendo et orando fere insomnes agebat. Corporis tam exigua ei cura, ut saepissime inter graviora negotia aut studia cibi oblitus videretur, aut caperet eum animo aliis intento, quod in familiarem ei morem deinde transiit. Rem omnem suam pauperum et Ecclesiae, quae, cum eam regendam suscepit, ornamentis carebat, usibus impendebat.

CCCVIII. Quibus rebus factum est, ut Compagnonius Episcopus ipsum, quod paucis contigit eo in aetatis flore, audiendis Sanctimonialium Coenobii S. Catharinae confessionibus invitum, nihil certe ejusmodi suspicantem aut petentem admoverit, concionibusque ad eas habendis, quo munere tam arduo, totque spinis obsepto per sexennium insigni cum laude defunctus est, ita ut extra ordinem postea saepius trium Asceteriorum, quae Cinguli sunt, Virginibus id efflagitantibus destinatus fuerit poenitentiarius.

Idem Episcopus opera Paulii continuo fere usus est ad probandos examinandosque eos, qui ad sacra ministeria admitti petebant. Quae quidem cum ad aures Clementis XIII pervenissent, commovere Pontificem sanctissimum, ut Ecclesiam S. Exuperantii Bulla amplissima data die 12. Aprilis An. 1764. Collegiatam esse voluerit, cujus magisterium sive Prioratum *die* 28. *Maji* ipsimet Paulio detulit. Fructus tamen ac redditus Ecclesiae mortuo demum Severino Antonio Cavallinio Patricio Cingulano, qui tunc Prioratus titulo fruebatur, ab ipso percipi potuere. Verum Paulius impigre munia Prioris et Parochi obire perrexit, non modo nullo suarum fortunarum incremento, sed abjecto etiam Canonicatu quo gaudebat in Ecclesia Cathedrali. Id fuit initium Collegii insignis Canonicorum Cin-

[1] Horum examen die 6. Augusti 1762. Auditori suo Bernardino Nojae commisit Pompejus Compagnonius Episcopus.

gulanorum ad S. Exuperantii Templum auctore Paulio conditi, cui An. 1786. dum Episcopus jam esset Forosempronieusis jubente ac probante Cardinale Calcagninio Cinguli Episcopo sanctissimas prudentissimasque leges praescripsit typis deinde Romanis vulgatas, ad quas et Canonicorum vita et divinorum officiorum celebratio tamquam ad normam exigitur.

Non ita multo post Compagnonius Paulio Poenitentiarii munus cum facultate a casibus reservatis absolvendi in recens erecta Collegiali Ecclesia commisit.

Anno 1768. die 30. Augusti judicem ipsum deputavit ad conficiendum processum de virtutibus ac miraculis Lucretiae Brunettae Sanctimonialis, quae in Coenobio S. Catharinae Ordinis Cisterciensis magna cum sanctitatis fama vixerat; qui processus terminatus etiam ab eo, atque ad Sedem Apostolicam transmissus fuit. Circa idem fere tempus miraculorum per S. Exuperantium ab aliquot jam annis patratorum judiciali examine explorata et perspecta fuit veritas.

Anno 1769. dictus est Paulius ab eodem Compagnonio Examinator synodalis pro utraque et Auximana et Cingulana dioecesi, accitusque ut Ecclesias suas pro more visitanti Convisitator, ut ajunt, adesset.

CCCIX. Fervescebat tum maxime contentio diuturna admodum et pertinax Auximates inter et Cingulanos aliquot ante annos exorta, eo quod ab aucto S. Exuperantii cultu erectoque recens Collegio Canonicorum, et restituto Cingulanis Episcopatus honore metuerint nonnulli honorum Auximanae civitatis studiosiores, ne ex aliena gloria ipsis quidquam decederet, aut ne detraheretur patrimonio Ecclesiae Auximanae, si, quod putabatur, Cingulani proprium quoque et peculiarem obtinuissent Antistitem. Quare primum quidem inficiari coeperunt, Cingulanis unquam Episcopos fuisse: deinde S. Exuperantii historiam, antiquam sane et monumentis priscis suffultam impugnare, Sanctumque illum neque Cinguli Episcopum, neque Confessorem, sed Martyrem nescio quem fuisse omni nisu adstruere conati sunt. Quibus vero ita responsum fuit primo quidem a doctissimo clarissimoque viro Francisco Maria Raphaelio in Commentariis de Ecclesia Cingulana, et S. Exuperantio, Pisauri editis anno 1762., ac demum Libro omni selectissimae eruditionis copia referto, quem doctissimus vir Hermannus Christianopulus Dominicanus de actis S. Exuperantii anno 1771. Romae edidit, ita ut obmutescerent adversarii, victosque sese ipso faterentur silentio. In conficiendo vero laudatissimo illo volumine non parum adjutus fuit Christianopulus a Paulio, qui antiquitatum sacrarum et ipse studiosus semper fuerat, tum vero solertissime undique conquisierat, quae ad res Exuperantianas magis magisque illustrandas pertinere videbantur. Victores igitur omnium sententia judicati sunt Cingulani. Enimvero cum impetrasset

Paulius An. 1788., ut causa illa denuo discuteretur, lectiones proprias de S. Exuperantio Historiae ipsius antiquae innixas Roma probavit, legique publice inter statas Clericorum preces non Cinguli tantum, [1] sed et in pluribus aliis dioecesibus [2] permisit.

Nuper [3] Pius VII Sanctum hunc Cingulanorum Patronum Martyrologio Romano inscripsit ad diem 24. Januarii: eodemque jubente ac probante hymnis propriis duobus, lectionibus fusioribus secundi nocturni, lectionibus propriis tertii nocturni, et Missa propria ex decretis praedictae S. Congregationis editis die 13. Novembris 1804. et die 16. Martii, ac 31. Augusti 1805. liturgia S. Exuperantii aucta et exornata fuit.

CCCX. Delectus est subinde Paulius in Vicarium Capitularem a Collegio Canonicorum Ecclesiae Signiensis; atque An. 1768. a Canonicis Septempedanis. Missus Romam anno 1770. ob gravissima Cleri Populique Cingulani negotia jussus est a Compagnonio, quem aetas provecta domi detinebat, ipsius vice Sanctorum Apostolorum limina visitare, atque ad Sacram Congregationem Concilii Tridentini de statu utriusque dioeceseos referre. Anno autem 1773. idem Compagnonius caussas foeminarum et pupillorum ejus curae concredidit.

Postquam vero is fatis cessit, Canonici Cathedralis Ecclesiae Cingulanae, etsi quatuor Doctores in gremio, ut ajunt Capituli essent, Paulium delegerunt, (Kal. Augusti 1774.) qui dioecesi sede vacante pro Episcopo praeesset. Quo in munere mensibus viginti et duobus ita se gessit, ut nihil in se desiderari passus fuerit, quod ad boni Praesulis partes pertinere videbatur; prudentia vero ejus, doctrina, recti justique amor, et singularis mansuetudo ita eminuerit, ut commendaretur ab omnibus. Praeclarum inprimis illud fuit. quod Sodalitia complura Laicorum, quorum disciplina collapsa erat, restituit, correxit, legibus ornavit. Quocirca Cardinalis quoque Calcagninius Pompejo Compagnonio Successor datus Paulii opera maximo suo commodo uti voluit, Vicariique Generalis vices ei commisit

[1] Decreto S. Congreg. Rituum die 16. Julii anno 1791.

[2] Decreto nempe ejusdem S. Congregationis die 13. Martii An. 1792. in Piceno universo, ac dioecesibus Senogalliensi, Urbinati, Forosemproniensi, et Feretrana; atque alio decreto die 18. Februarii 1794. in Ecclesiis Foroliviensi, Fulginati, Engubina, Tifernati, ac Civitatis Plebis.

Die 26. Januarii 1793. S. Exuperantius in Patronum electus fuit oppidi Montis Felcini dioecesis Forosemproniensis, cultusque ejus, dum haec scribimus, ad ultimam usque Lusitaniam propagatus est, ubi visus fuit a Regno illo pestem, et naufragia a nautis avertisse invocatus. (Decret. S. Congreg. Rituum die 16. Aprilis An. 1806.)

[3] Ex decreto S. Rituum Congregat. die 16. Julii anno 1805.

An. 1776., et Convisitatorem habuit An. 1778., adhibuitque ad conscribenda decreta synodalia, peragendaque ea omnia, quae ad Synodum pertinebant.

Dum his laboribus distineretur Paulius sui neutiquam oblitus est Exuperantii, sed Aram ejus, quae in crypta subterranea est, marmoream ex aere collatitio fecit, eamque die 20. Junii An. 1777. ab Eminentissimo Calcagninio consecrari, ac die 27. Julii anni ejusdem Reliquias recognosci, et in augustiorem sarcophagum ingenti cum civium laetitia ac solemnissimo ritu transferri curavit, caeremoniam praesentia sua decorantibus Domino Prospero Episcopo Septempedano, Dominico Spinutio Maceratensium et Tolentinatium Episcopo; Philippo Raphaelio Cingulano Praeside Reatino, utriusque Signaturae Referendario, et Barnaba Belli Praefecto civitatis et agri Septempedani, Praesulibus Aulae Pontificiae praeclarissimis.

CCCXI. Quum itaque fama virtutum ac doctrinae maxime floreret, altiori dignitatis gradu virum sibi exornandum esse existimavit Pius VI P. M., eumque die 20. mensis Septembris An. 1779. Episcopum concessit Forosemproniensibus, a quibus eo plausu, qui maximus esse potuit, exceptus est, honoribusque omnibus auctus. Adscripserunt enim ipsum die 24. Septembris Patriciorum suorum ordini; quem honorem in patria, cujus ornamentum erat ac deliciae, Civi praestantissimo deesse cum indignum videretur, hinc eumdem honorificis admodum verbis die 13. Novembris Senatus Populusque Cingulanus ipsi decreverunt.

Breviores erimus in recensendis iis, quae dum Forosemproniensem gubernaret Ecclesiam, gessit Paulius. Consecravit An. 1700. Archidiaconum Calliensem Paulum Antonium de Augustinis Zampcrolium in Episcopum Urbaniae et civitatis S. Angeli. Inauguravit Cinguli Templum S. Spiritus, et parochiales Ecclesias S. Mariae in fundo Trevidiano, et S. Petri in fundo Labieniano, sive de Turri. Perfecit Ecclesiam Cathedralem Forosemproniensem, eamque die 4. Maji 1783. solemni ritu dicavit, qua occasione permissu Apostolicae Sedis Virgines Benedictinas Monasterii S. Agathae in eodem Templo Deo desponsavit. Die autem 5. Augusti S. Aldobrandi Episcopi decessoris sui, aliorumque Coelitum sanctorum reliquias illuc post supplicationes triduanas cum incredibili pompa et celebritate intulit.

Dein Visitator Apostolicus datus fuit Asceterio Pisaurensi Virginum sacrarum, quod dicitur *Corporis Domini*, quod saluberrimis sanctissimisque legibus instruxit. Mox Anconam se conferre jussus est, ut res Hebraeorum componeret, ac jurgia tolleret inter ipsos exorta, eo quod vici sui angustia non caperet omnes, cum spatium aedibus dimensum locupletiores in aedificando occupassent.

Denique Romam anno 1788. ad finem vergente cum Episcopis Xaverio Marinio Reatino, et Angelo Antonio de Anselmis Terracinensi, atque Theologis compluribus a Pio VI vocatus egregiam operam navavit detegendis et profligandis Scipionis Riccii Pistoriensis Episcopi, ejusque pseudosynodi versutiis atque erroribus. Quam ob causam Pontifex Paulii labores remuneratus est concessa ei Abbatia S. Cristophori ad ripas Metauri sive de Foeniculis.

Sed haec; atque ea quae fecit pertulitque, dum pestifera bellici furoris lues hasce oras pervasit, ceteraque tunc ab eo gesta Forosemproniensis Ecclesiae rerum scriptoribus memoriae posterorum commendanda relinquimus.

CCCXII. Anno 1800. die 4. idus Maji S. D. N. Pius VII Paulium Venetias ad se evocatum, ut in rebus Ecclesiae quam maxime arduis ad consilium adhiberet, a Forosemproniensi, ut diximus, ad Recanatensem hanc et Lauretanam Ecclesias transtulit, ac Visitatorem quoque, ut ajunt, Apostolicum constituit, qui res Sacrae Lauretanae Aedis hisce annis mire pessumdatas, et vix non eversas restitueret, quod etiam egregie, ut primum Venetiis redux Ecclesiarum suarum regimen capessivit, praestitit Paulius. Mox aedes Episcopales cum Laureti tum Recanati, quas superiorum temporum calamitas expoliaverat et fere dejecerat, restauravit et elegantius exornavit. Utriusque Ecclesiae Canonicos novis honoribus insigniendos curavit. Etenim anno 1801. 6. idus Junii Pius VII amplissima Bulla Canonicis Recanatensibus in Missarum etiam solemnium celebratione usum *Canonis* et *Lychneoli* (della Bugia) indulsit, atque in memoriam miraculi a S. Petro Martyre patrati cum cives nostros ad Ecclesiae obedientiam et melioris vitae institutionem revocaret, Crucem e lamina aurea elaboratam cum imagine ab uno latere B. Virginis atque Aedis Lauretanae, et ab altero S. Flaviani gerere concessit: Dignitatibus vero Capituli nostri *vestem talarem violaceum cum asulis et globulis sericis cremisinis, et mostris sericis ejusdem coloris super manicis* portare permisit, contestatus dignos esse Canonicos Recanatenses hisce praerogativis, quod infelicibus temporibus constanter et fortiter quae sui erant officii praestitissent, egregiaque pietatis et fidei documenta edidissent.

Anno autem 1804. die 17. Augusti ejusdem S. D. N. Pii VII munificentia is insuper Ecclesiae Recanatensi honos accessit, ut *Basilicae* minoris titulo et praerogativis frueretur, qui honos ipsi habitus fuit ob sacratissimum Lauretanum Templum, quod tamdiu filia fuerit, ut ita dixerim, Basilicae S. Flaviani, nostraeque dioecesis pars et decus luculentissimum.

Bullam Pontificiam, qua haec sanciebantur, Paulius die 12. Junii 1805. festivos inter apparatus, ac maxime, qua fieri poterat solemnitate praelegi

jussit, mandavitque executioni, ac luculento sermone honoris Ecclesiae suae incrementum celebravit.

Mox ad Ecclesiarum visitationem et correctionem conversus dici non potest, quam suaviter, quam praeclare difficili huic muneri satisfecerit. Enimvero Seminarium apud Recanatenses redditibus et Magistris auxit, ita ut celebrioribus id genus gymnasiis aequiparari, multis anteferri posset: Nosocomium ab interitu, cui proximum erat, vindicavit, ac puellas projectitias, quae in Nosocomio alebantur, aedibus propriis et magistris instruxit, ut non vitae solum ac alimentis ipsarum, sed moribus etiam, animarumque saluti prospiceretur felicius.

Orphanotrophium vero puellarum, quod dum haec scribimus magnificentius exurgit, sub decessoribus quidem Paulii initium habuit, sed ab ipso insignia incrementa accepit, et magistras nactum est plures ac selectiores, a quibus non tantum alimentarias, sed puellas Recanatenses universas, pietate, moribus, litterisque excolendas curavit An. 1803., dotibus constitutis munerari solitus adolescentulas, quarum eminuisset diligentia in addiscendis praesertim Christianae Doctrinae praeceptis atque dogmatibus.

Anno 1805. *B. Hieronymi Girardutii*, et An. 1806. *B. Placiti* Civium Recanatensium honores Paulii opera aucti sunt, quod superiorum Episcoporum aetate vel numquam tentatum fuerat, vel perfici non potuit. Itaque festum utriusque nunc ritu solemniori colitur, vitae acta in officio divino perleguntur, et auxilium liturgia peculiari invocatur.

Eodem anno idibus Februarii sub Ara Basilicae Recanatensis maxima collocata fuerunt solemni ritu Corpora SS. Martyrum Christi Donati, Privati, et aliorum trium, quorum ignorantur nomina: item particulae corporum quingentorum amplius coelitum Sanctorum. curante Reverendissimo D. Septimio Mazzagallio Collegii Canonicorum Praeposito, qui Aram ipsam aere suo extrui, chorumque ad divini cultus augendam majestatem dilatari, ac pavimento novo insterni curavit.

Anno 1806. die 26. Martii S. D. N. Pius VII a Paulio exoratus B. Placitum Apostolinum sepulcro, unde a sacrilegis ejectus fuerat, cum solemni pompa restitui jussit. Itaque reliquiae Beati Viri, quas die 22. Decembris rite recognoverat, in Altari majori Cathedralis Basilicae fidelium venerationi expositae fuerunt, habitaeque ad eas supplicationes publicae tridnanae 15. 16. et 17. Junii. Die vero 18. translatio ipsa summo cum jubilo cum Episcopi tum universi populi Recanatensis peracta est per Reñum D. Petrum Leopardium Capituli hujus Decanum, quem Paulius ipse proximis Kalendis Maji aeger licet ac pedibus impeditus maxima cum alacritate Episcopum Aconensem consecraverat. Fusiorem hujus Translationis historiam lege si lubet in opuscolo, cui titulus: *Notizie sulla solenne trasla-*

zione del Sacro Corpo del B. Placido di Recanati avvenuta li 18 *Giugno* 1806. — *Loreto* 1806. *in* 4.°

Atque haec summatim dicta sufficiant de iis, quae ad Recanatensem Ecclesiam pertinent per Episcopum Paulium publice gestis.

CCCXIII. Non minus egregia fuerunt ejusdem in civitatem atque Ecclesiam Lauretanam merita, e quibus nonnulla jam attigimus.

Anno 1802. 7. idus Decembris Iconem Almae Virginis Lauretanae, quae in Franciam quinque abhinc annis asportata fuerat, cum triumphali pompa Eminentissimus Cardinalis Archetti Episcopus Sabinensis cum Archiepiscopo Larissaeo, et Episcopis Montisalti, Nuccrino, Maceratensi, Constantiensi, Forosempronicnsi, Tiberiadis, et Lauretano, aliisque Romanae Aulae Proceribus sedi pristinae restituit; faustissimi ac laetissimi successus post Summum Pontificem auctor praecipuus, et promotor fuit Paulius, qui et epistola pastorali eruditionis selectae et pietatis erga B. Virginem Lauretanam plenissima populos suae curae creditos edocuit tum quae esset antiquitas et Majestas Statuae istius venerandae, tum quo pacto, quo animo suscipienda foret et colenda, ut obsequium rationabile praestaretur Virgini Deiparae. Historiam rei gestae luculente descripsit Rmus Antonius Maria Borghius S. Basilicae Lauretanae Archidiaconus, ediditque inscriptam: *Ragguaglio del viaggio da Roma a Loreto della miracolosa Statua della SS. Vergine Loretana, e delle onorificenze, con cui fù accolta in questa Città e sollennizzato il di Lei sospirato ritorno. Loreto* 1802.

Anno 1803. die 10. Januarii Conservatorium et scholam, quae pro puellis egenis maxime orphanis Laureti in aedibus a familiis Polydoria et Vicia donatis instituerat Petrus Antonius Christianopulus Canonicus, postquam redditibus atque haereditate Francisci Antonii Simi Romani auctum fuisset, solemniter probavit atque erexit, titulumque ei concessit SS. Annunciationis B. V. Mariae, et SS. Cajetani et Hieronymi Aemiliani. Rectorem vero Parthenodochio praefecit ipsummet Rmum Canonicum Petrum Antonium Christianopulum fundatorem, qui cum lectissima foemina sorore sua Antonia, quae totam se instituto huic piissimo consecrasse videtur, nihil non agit ut floreat magis magisque.

Kalendis Julii hujus anni Pius VII Canonicos Lauretanos honoris caussa constituit, Praesulum instar Crucem in pectore gerere, vestibusque violaceis indui; Beneficiarios vero, et Clericos Beneficiatos Numismate sacro deaurato decoratos, cum sacris intersunt, incedere.

Paulii, ut reliqua brevibus complectar, in civitate ac dioecesi Lauretana opera atque auctoritate refloruit disciplina arctior, revixerunt studia, Theologiae Moralis in primis, et Casuum conscientiae ac sacrarum coeremoniarum, quorum menstruas collationes diu intermissas reduxit; cathe-

chesium usus denuo frequentatur: leges ubique Sanctimonialibus sunt praestitutae: praebendae theologales in Ecclesiis Collegiatis erectae aut decretae: constitutum in Oppido Montis S. Mariae in fundo Cassiano ergastulum coercendae mulierum improbarum lasciviae.

CCCXIV. Melioris vitae praecepta Clero populoque utriusque Dioeceseos per litteras pastorales, sacrasque homilias frequenter atque efficaciter inculcata, sed vel maxime et creberrime viva voce et exemplo. Ipse enim Episcopus forma factus gregis sui cum pietate erga Deum et Virginem Matrem, sanctosque Coelites, tum zelo domus Dei, constantiaque in laboribus pro Ecclesia, et fortitudine in perferendis adversis rectam viam suis vestigiis signavit. Sed hae virtutes in primis eluxerunt in eo morbo, qui ei extremus fuit, quique diu admodum (correptus est enim apoplexia die 13. Januarii 1805. mensibus viginti et uno antequam e vita excederet) eum vexavit.

Incredibile porro fuit, ut illuc redeat oratio quo mens et sermones Paulii ferebantur assidue, incredibile, inquam, studium, quo Ecclesiam suam S. Exuperantii ad ultimum usque vitae prosecutus est, amorque ac devotio erga patronum hunc suum coelestem, ad quem omnia referre solitus erat, quae fausta sibi obvenerant. Hinc Ecclesiam ejus, dum vixit, perrexit ditare reliquiis, suppellectilibusque pretiosis: adibat eam quotannis, dicatos honoribus Exuperantii dies celebraturus: neque frigorum immanitas, neque aestivi solis fervor a sancta ista peregrinatione ipsum retrahere potis erant. Aram praeterea, quae a pluribus jam saeculis in Ecclesia S. Mariae Castri Novi Monachorum olim Avellanensium domicilio, nunc vero Mensae Episcoporum Recanatensium adscripta, Exuperantio sacra erat, restauravit exornavitque, Divi festum ibi quoque solemnius celebrare solitus. Quo pacto autem Sancti cultum promoverit, atque, ut diffunderetur latius, et ornaretur amplius, allaboraverit, superius narravimus. Quae quidem, uti et alia pleraque feliciter peracta consequutum eum fuisse precibus ad Deum fusis constans est opinio; fuit enim Paulius, uti norunt qui familiarius ei convixerunt, Vir sane Dei et orationis amantissimus, cui vacabat per magnam diei, et non exiguam noctis partem eo cum fervore, ut qui orantem, ac in primis horas canonicas distinctissime ac devotissime recitantem audierunt, summo et voluptatis et pietatis sensu mulceri se persentiscerent. Saepissime profestis etiam diebus chorum adibat Basilicae, ut psallentibus socium se praestaret atque exemplum.

Cum itaque tantopere pietati in Deum esset deditus, mirum non est, nullum fuisse virtutum genus, quod ab ipso esset alienum. Erat mortificationum suimet studiosus, pecuniarum contemtor, sui prodigus; nullum periculum, nullum laborem defugiebat, ubi de Dei, Coelitumque gloria, et

salute animarum procuranda ageretur. Abhorrebat a saecularibus pompis et vanitatibus, quae adeo potenter ad oblivionem Dei ejusque legum inducunt. Quare non tantum mulierum insectatus est impudicitiam, sed vel speciem ipsius, quam vestitus praesefert, e medio tollere per salutaria edicta conatus est. Spectacula etiam scenica, tot scelerum incunabula jam inde a primis Ecclesiae saeculis damnata, quae SS. Patribus et Christianis priscis horrori, ut gentilibus in deliciis fuere, ne in usum redirent dum vixit, sedulo allaboravit, obtinuitque ne Recanati temporibus poenitentiae dicatis aut calamitosis exhiberentur: Laureto vero ut penitus exularent, quippe quae civitas sanctae religionis esse deberet, et filia, et alumna, et custos peculiaris. Animi ceteroqui fervidi impetus insigni mansuetudine temperabat. Caritate erga pauperes ac miseros eximia fuit, quod testantur opes effusae in eos, qui opis indigebant, atque in domum Cassianensem, de qua superius meminimus, et labores suscepti pro Orphanotrophiis et Hospitalibus servandis, augendis. Munificentia erga inopes quosvis documentum locupletissimum cum aliis quamplurimis est qui haec scribit, quem patrio solo ejectum triennio et quod excedit hospitio et mensa excepit, patrisque amantissimi instar fovit.

CCCXV. Ita Paulus vixit: neque absimilem habuit vitae exitum. Secesserat valetudinis curandae et balneorum causa in Coenobium Patrum Capuccinorum, quod Oppido Sanctae Anatoliae imminet. Theatrum hoc fuit extremum ut cruciatuum ac laborum, ita patientiae ejus et pietatis. Cum febris urgeret, coscientiamque sui interciperet, deliria Paulii psalmi fuerunt ac preces. Nil curare nisi Dei gloriam, sanctaeque Ecclesiae decus, et Sanctum suum Exuperantium, quem dum fari poterat, in ore habuit, cujusque inventionis festum pridie quam obiret in cella sua summa cum pietate mentisque jubilo celebravit, gratum animum professus erga priscos illos Cingulanos, qui inventionis istius memoriam ad nos propagarunt.

Demum die 29. Septembris Anno 1806. expiatus, refectusque pabulo eucharistico diro succubuit morbo, qui pedibus tabe et sanie percsis sanguinis massam omnem infecerat: elicitisque compluribus pietatis ac religionis actibus premens manus Rmi D. Antonii Angeli Raffaelii Prioris Collegii Exuperantiani, qui morienti adsistebat: Roga, inquit, collegas istos tuos ad S. Exuperantium Deo famulantes ut deprecentur Dominum.... nec plura effari vis morbi permisit, pauloque post spiritum Creatori placide reddidit.

Corpus exanime ad Ecclesiam Recanatensem delatum est, atque humatum in sepulcro Episcoporum post justa funebria a Clero populoque cum lacrimis amantissimo Pastori soluta. Cor pyxidi inclusum quiescit Cinguli juxta S. Exuperantium, cui vixerat.

CCCXVI. Felicis Pauli in regenda Recanatensi Dioecesi compluribus annis Vicarius fuit Rmus Septimius Mazzagallius Comes, Collegii Canonicorum

Praepositus, qui Ecclesiae nostrae alter parens jure merito dicendus est, cuique debetur potissimum si insignia hisce annis decoris accepit incrementa, si honos Sanctorum major, si Templi principis forma augustior, si Clerus difficillimis temporibus egregie se gessit, si Seminarium floret magis, si Hospitalia, Orphanotrophia civibus patent, auctaque sunt commodis. Imperare igitur sibi non potuerunt Collegae, quin titulum ei honoratiori loco ponerent, gratumque animum sequenti inscriptione testificarentur.

Septimio Mazzagallio Comiti
Eq. Hier.
Prael. Proton. Apostolic.
pro meritis
potissimum in Recinetensem Basilicam
ejus sedulitate studio et impensis
excultam auctam donatam
Collegium Dignitatum et Canonicorum
P. C.
A. S. MDCCCV.

Vicarium postea adhibuit Paulius Rmum D. Stephanum Gandolphium Oneliensem J. U. Doctorem.

Mortuo vero Episcopo Vicarius Capitularis electus est Rmus D. Petrus e Comitibus Leopardiis Episcopus Acconensis Capituli Decanus, qui nuper 16. Kal. Augusti 1807. diem vixit extremum annos natus 64., Vir piissimus, doctissimus, et humanissimus.

Post eum D. Stephanus Gandolfi Vicarii Generalis officium recepit.

Laureti Vicarii Generales:

1800. Jacobus Belli de Macerata Feltria.

1802. Antonius Borghi Archidiaconus Lauretanus.

Vicarius quidem Capitularis Fridericus Pignotti Lauretanus ejusdem Basilicae Thesaurarius; Vicarius deinde Generalis Antonius Maria Borghius Archidiaconus fuere.

STEPHANUS BELLINIUS

EPISCOPUS RECANATENSIS XLIV. LAURETANUS XVII.

CCCXVII. Stephanus Bellinius Patre Camillo, Matre Benedicta Massia Montemarcianensi ortus est die 6. Septembris An. 1740. Auximi. Eos in omni virtutum ac bonarum litterarum genere progressus fecit in primo aetatis flore, itaque adolescens omnium animos sibi devinxit, ut quibusvis

honoribus jam tunc haberetur dignus. Canonicus itaque primum creatus est in patria Ecclesiae Cathedralis, mox Archidiaconus. Rmus vero Compagnonius Praeses sane eruditissimus ac acerrimi judicii Seminario cum Clericorum et Lyceo praefecit, quippe qui satis intelligeret, aptiorem huic muneri ob pietatem, doctrinam, humanitatem, prudentiamque prae Bellinio reperire se posse neminem. Juventutis igitur tum Auximanae tum exterae. quae ad Collegium illud praeclarissimum undique confluebat, moribus ingeniisque excolendis per viginti et amplius annos ita incubuit, ut nihil ommitteret, quod ad officii partes omnes explendas facere videretur, ac mira in primis suavitate et paterni amoris demonstratione tenera ingenia in recti via studiisque detineret. Ut aemulando invicem sponte ac veluti impetu magno destinatam metam peterent, Academiam, quae Saeculo XVII. maxime floruerat, ut ajunt *Surgentium* restituit: alterius, quae *Resurgentium* dicitur instituendae auctor fuit.

Si quid superesset otii, litteris donabat. Itaque et numismatum, quorum est studiosissimus et intelligentissimus, copiam collegit maximam, aliaque antiqui aevi lipsana non vulgaria equidem sed rarissima et plane egregia. E quibus exortus est Thesaurus ille paucis aequiparandus, quem in Museo domestico possidet, atque in deliciis habet.

Multa etiam collegit monumenta, quibus Picenum illustraretur sacrum, si e scriniis aliquando, ut optamus, prodirent in lucem.

Edidit anno 1782. typis Romanis Dissertationem de Patria B. Clementis Augustinianorum Eremitarum olim Praefecti supremi, quem Auximanum fuisse invictis rationibus ostendit.

2. Praefationem luculentissimam, qua praelusit carminibus. quibus honores Philippi Campanellii Purpura Cardinalicia nuper ornati celebrabat solemnis Academicorum Resurgentium caetus Anno 1789.

3. Sparsim prodierunt epigrammata, aliaque poematia minora, quae oblectandi animi gratia subinde fundebat.

Haec e Bibliothecae Picenae T. 2. pag. 141. Promotus fuit ad Cathedram Forosomproniensem a Pio VII S. D. N. mense Augusto Anno 1800., unde ad Cathedras Recanatensem et Lauretanam translatus est exoptatissimus Felici Paulio successor datus X. Kal. Aprilis Anno 1807., quo ut quam diutissime perfruamur, summis precibus a D. O. M. contendimus.

Hujusce Operis Approbatio per Episcopum Bellinium

Egregium Opus inscriptum — De Recanatensi ac Lauretana Ecclesia, earumque Episcopis Commentarius Historicus, — Auctore Viro Cl. Josepho Vogelio Argentoratensi, olim Recanatensis, Lauretanae nunc Basilicae Canonico meritissimo, affabre compositum iterum iterumque cum perlegerim, tanta quidem animo voluptas insedit, ut cum Mellifluo Doctore jure dixerim, HABERE scilicet OPUS VOCEM SUAM, vocem scientiae et pietatis, vocem omnigenae eruditionis, vocem virtutis, qua in lucem edi clamat. Quidquid enim in eo est, nedum ad purioris Criticae praecepta exactum comperi, verum etiam quae potiora ad Sacram praefatarum Ecclesiarum Historiam pertinentia hoc in Opere renident, alicubi quamvis, veluti talia versantibus usu saepenumero venire solet, quaedam nonnihil implexa nactus et ipse fuerit, eos tamen meliores exitus habuisse novi, ut undique eximium Auctorem rem acu tetigisse, affirmatione affirmare non dubitem. Quin itaque Cl. Viri doctrinam, sermonis leporem, acre judicium, ejusque summam in veteribus colligendis dijudicandisque monumentis diligentiam demirer atque peritiam (rebus enim apud omnes pervulgatis insisterem) memorarim id unum, adeo nimirum utilitati utrique Ecclesiae Commentarium hunc honorique futurum, ut nihil magis velim, quam ut quae praetiosissima utriusque Sponsae monilia velut in tenebris nunc delitescunt, in aspectum lucemque, omni posita mora, proferantur.

Datum Recineti ex Aedib. Ep. III. Nonas Martii MDCCCXVI.

Stephanus Episcopus Recanat. et Lauret.

SYNOPSIS

COMMENTARII HISTORICI

DE ECCLESIIS RECANATENSI ET LAURETANA

EARUMQUE EPISCOPIS

PRAEFATIO GENERALIS . . . . Pag. 9

PARS PRIMA

DE CIVITATIS ET ECCLESIAE RECANATENSIS ORIGINE, ET FATIS USQUE AD A. D. 1240 » 17

§. 2. Recanatensis urbis nomen unde derivatum, cjus orthographia, et . . . . » ib.

» 3. Significatio . . . . » 18

» 4. Antiquitas urbis . . . . » 19

» 5. Colonia Ricina in ejus agrum deducta . . . . . » 20

» 6. Ricina vetus indigenis relicta . . . . » ib.

» 7. Neque Recanatum, neque Macerata a Ricina exortae sunt » 21

» 8. Recensentur Monumenta Romanorum in agro Recanatensi extantia, aut reperta . . . . » 22

» 9. Conjectura de initiis apud nos Christianae Religionis . » 26

» 10. Incertum est quo tempore interierit Ricina . . . . » ib.

» 11. Ecclesiae Romanae patrimonia Numanatense et Auximanum ubinam extiterint . . . . » 27

» 12. De Comitatu Numanati Auximi constituto saeculis XI. et XII. » 28

» 13. De antiquioribus documentis, quae Recanatensis oppidi meminerint . . . . » 29

» 14. Jam anno 1174. utebatur jure belli et pacis — Bellum adversus Auximanos Anno 1199. — Foedera cum Anconitanis etc. An. 1215., et cum Auximatibus aliisque An. 1222. inita . . . . » 30

§. 15. Fundatio Monasterii S. Nicolai . . . . . . Pag. 35
» 16. Privilegia Recanatensibus a Friderico II Imperatore concessa . . . . » 36
» 17. Qui nihilominus partes Romani Pontificis adversus eumdem Fridericum constanter, et fortiter propugnarunt . » 37
» 18. Recensentur Ecclesiae Recanatenses, quarum his temporibus reperitur facta mentio . . . . » 38
DIGRESSIO de Ecclesia et Episcopis Humanatensibus, quibus hactenus subjecti fuerunt Recanatenses . . » 40
» 19. Erigitur Cathedra Episcopalis Recanati An. 1240. die 22. Decembris . . . . ». 47
» 20. Refutatur Praefatio Ughellii ad Episcopos Recanatenses » 49
» 21. Recanatensis urbis, et agri situs et amplitudo, et numerus incolarum . . . . » 51
» 22. Ejus privilegia, insignia, et regiminis forma cum vetustior, tum nova . . . . » 52
» 23. Indiculus Potestatum, et Praetorum, qui inde ab An. 1195. usque ad An. 1808. ei praefuerunt . . . . . » 55
» 24. Indiculus Ecclesiarum Episcopis Recanatensibus An. 1249. subjectarum . . . . » 69
» 25. De Ecclesia, statua, cultu, festis, et reliquiis S. Flaviani » 72
» 26. De mensa Episcopi . . . . » 77
» 27. De mensa Capituli, ac de Origine Collegii Altaristarum » 78

PARS SECUNDA

SERIES EPISCOPORUM RECANATENSIUM.

I. » 28. **Rainaldus,** Episcopus Auximanus Recanatum translatus die 22. Decembris 1240 . . . . » 85
II. » 29. **Petrus** creatus . . . . 9. Decembr. 1244. . . . » 86
» 30. De praedicationibus *S. Petri Martyris* in civitate Recanatensi » 87
III. » 31. **Matthaeus** . . . . 1249. . . . . » 89
IV. » 33. **Bonajunta** . . . . 1256. . . . . » 91
» 34. Recanatenses ab Alexandro IV P. M. ad Manfredum Regem desciscunt . . . . » 92
» 35. Auximatibus, qui in fide perstiterunt, restituitur honos Cathedrae . . . . » 93
» 36. Recanatensibus ob rebellionem aufertur. . . . . » 94
» 38. De *S. Sperandea*, quae dissidentes in concordiam reduxit » 95
» 39. *S. Nicolao de Tolentino*, ... » 96
» 40. et *B. Benvenuto*, Recanati hac aetate incolis . . . . » 97
V. » 42. Fr. **Salvus** creatus Episcopus Recanatensis A. 1289. die 1. Decembr. . . . . » 100

VI. §. 45. **Fridericus** creatus A. 1301. die 13. Nov. — Translatus A. 1321. die 4. Januarii . . . . Pag. 105
» 46. Ejicitur a Gbibellinis. — Tragaedia borrenda acta Kal. Januarii 1319. a rebellibus Recanatensibus . . . . » 106
» 47. Recanatum Cathedra privatur . . . . » 110
» 49. Castigatis reis in gratiam recipitur. . . . . . » 113
» 50. Fridericus Episcopus fundat Monasterium Silvestrinorum » 114
» 51. Civitas 37. omnino annis Capitulo Canonicorum, et Episcopo proprio caruit, quo tempore subjecta fuit Episcopis Maceratensibus . . . . » 115
» 51. Fr. Petrus Episcopus Maceratensis creatus 1323. 6. Junii. Obiit 1347. 29. Octobris . . . . » ib.
» 54. De Andrea Pseudoepiscopo Recanatensi. . . . . » 117
» 55. Absolvuntur a rebellione, et baeresi Gbibellini Recanatenses» ib.
» 56. De *B. Hieronymo Gerardutio*. . . . . » 119
» 58. Guido de Riparia Episcopus Maceratensis creatus 1347. 5. Dec. - translatus Populoniam 1348. die 31. Octobris . . . » 121
VII. » 59. Fr. **Nicolaus a S. Martino** Episcopus Maceratensis creatus Anno 1349. die 21. Octobr. ac inde ab An. 1357. 22. April. Episcopus Recanatensis et Maceratensis. Obiit 1369. die 30. Januarii . . . . » 122
VIII. » 61. **Oliverius** creatus 1369. die 19. Februarii . . . . » 124
IX. » 63. **Bartholomaeus de Zambrisiis** creatus 1374. mense Maji . . . . » 127
» 64. Comprimitur a Recanatensibus nova Ghibellinorum seditio, repellitur Societas S. Georgii, liberatur Auximum. Curia generalis Recanati sedem figit An. 1381. . . . . » 129
X. » 65. **Angelus de Mevania** creatus An. 1383. mense Martio » 131
» 66. De patria ejus, genere, ac muneribus ante Episcopatum gestis . . . . » 132
» 67. Extruxit Ecclesiam Cathedralem Recanatensem . . . » 133
» 69. De *Andrea Medico*, et *Petrutio Ciutii* Civibus Recanatensibus » 136
» 70. Angelus Episcopus testamentum condit . . . . . » 137
» 71. De Codice Statutorum, qui hoc tempore confectus fuit » ib.
» 72. De jure patronatus Episcoporum Recanatensium in Beneficio Sanctorum Pauli et Juliani Cingulano . . . . » 138
» 73. Angelus Episcopus Cardinalibus adscribitur, Piceno praeest, ac fatis concedit An. 1412. die 21. Junii . . . . » 139
» 74. Excluduntur a serie Episcoporum Loquirellus, et Angelus Baglionus. . . . . » 141
XI. » 75. Fr. **Nicolaus de Cassia** creatus 1412. die 20. Julii à Joanne XXII. . . . . » ib.
» 76. Ab Ecclesia sua discedere cogitur die 16. Febr. 1413 . » 142

§. 77. *Digressio historica de B. Placito* . . . . Pag. 145
» 78. De Ordine Apostolinorum, et Ecclesia S. Joannis in Pertica, cujus enumerantur 79. Priores Benedictini, 80. Priores Apostolini . . . . » ib.
» 81. De vestitu, et regula Apostolinorum. — Eorum Vicarii Generales . . . . » 147
» 83. De B. Placiti vita, et cultu . . . . » 150
» 84. De *B. Bartholomaeo* ejus discipulo . . . . . . » 153
XII. » 85. **Gregorius XII** qui et Angelus Card. Corarius Episcopus Recanatensis a die 16. Febr. 1413. usque ad obitum, qui contigit die 17. Octobr. 1417 . . . . » 155
» 86. Origo Altaristarum Ecclesiae Cathedralis . . . . » 156
» 87. Capitula Recanatense et Maceratense Episcopum sibi dari postulant Marinum de Tocco Episcopum Aprutinum » 157
XIII. » 88. **Marinus de Tocco** creatus An. 1418. die 16. Julii.— Translatus ad Theatinam Cathedram . . . . . . » 158
» 89. De Nundinis Recanatensibus—Contentiones Episcopum inter et Recanatenses de portione canonica etc. . . . » 159
» 92. De *S. Jacobi de Marchia* apud nos concionibus, ac de Republica Recanatensi meritis . . . . » 162
XIV. » 94. **Benedictus de Guidalottis** creatus 1429. die 7. Januarii. Obiit 9. Augusti 1429. . . . . » 165
» 95. Philippus Maria Mediolani Dux fundat in Ecclesia Lauretana Beneficium Trium Magorum, eamque picturis exornandam curat. . . . . » ib.
» 97. *Joannes de Tricarico* Abbas S. Mariae de Pistitio Administrator Ecclesiae Recanatensis . . . . » 168
XV. » 98. **Joannes Vitellescus** creatus An. 1431. die 16. April. — Translatus Florentiam — Munera et bella praeclare ab eo gesta — Tyrannos exscindit — Romam liberat — Creatur ab Eugenio IV Patriarcha Alexandrinus, Archiepiscopus Florentinus, Cardinalis, Legatus a latere, et generalis in Urbe Vicarius. . . . . » 169
» 112. Per insidias captus ac in Arcem Molis Adriani abductus paucis post diebus moritur . . . . » 180
» 114. Cujus jussu, et qua de caussa captus fuerit obscurum est » 181
» 118. Laudes Joannis Vitellesci . . . . » 185
XVI. » 119. **Thomas**, creatus 1435. die 24. Octobr. — Translatus Bellunum . . . . » 186
» 127. Initia Hospitalis Lauretani . . . . » 192
Thomas Episcopus ad Ecclesiam Feltreusem transfertur die 10. Octobr. 1440. . . . . » ib.
» 132. Nonnulla de *Antonio de Cannario* J. C. Recanatensi . » 196

XVII. §. 433. **Nicolaus de Astis** creatus 1440. die 10. Octobris . *Pag.* 197
» 439. Recanatenses jugum Francisci Sfortiae excutiunt. . » 201
» 443. Constitutiones Capituli Recanatensis, et Decreta pro Collegio Altaristarum . . . . » 204
» 446. Episcopus Coenobium exstruit pro Fratribus Minoribus Observantibus . . . . » 206
» 448. De Thesauro Ecclesiae Lauretanae, qui originem debet pietati et munificentiae Nicolai Episcopi . . . . » 208
» 450. Horas Canonicas in Ecclesia Cathedrali ut quotidie decantarentur instituit — Constitutiones edit pro Altaristis Ecclesiarum S. Flaviani, S. Viti, et S. Mariae Castri novi » 210
» 451. Pontifices Romani ejus opera utuntur ad componenda dissidia. . . . . , » 211
» 452. Edicta ejus adversus foeneratores—De Festo et Processione S. Macarii — de Ecclesia S. Mariae Gratiarum — Institutio Archidiaconatus . . . . » ib.
» 454. Villam Morlongi Ecclesiae Lauretanae donat — Beneficia erigit S. Jo. Baptistae in Ecclesia Recanatensi, et S. Hieronymi in Ecclesia Lauretana — De Beneficio S. Mariae Jacobi Pictoris — Lauretanae Villae Capitaneus a Senatu praeficiendus esse decernitur e Civium Recanatensium numero . . . . » 215
» 455. Erectio Parochiae Montis Florum . . . . . . » 215
» 456. Transactio cum Recanatensibus inita, qua definiuntur limites bonorum Mensae Episcopalis . . . . . . » 217
» 458. Institutio Montis Pietatis, et Sodalitii Sclavonorum in Villa Lauretana . . . . » 218
» 459. Nicolaus Episcopus exstruere incipit Templum Lauretanum » 219
» 460. Testamentum condit insignia legata relinquens Collegio Altaristarum, Fraternitati S. Luciae, et Sacristiae Ecclesiae Cathedralis . . . . » 220
» 461. Obiit Nicolaus Episcopus Ecclesiae nostrae Parens die 6. Octobr. 1469. . . . . » 223
» 462. De *Antonio Columbella* Episcopo Senogalliensi, et *Petro Praeposito Teramano* . . . . « 225
XVIII. » 463. **Franciscus Maurocenus** Episcopus Parentinus Ecclesiae Recanatensis Administrator designatus An. 1469. 2. Nov. » 226
» 464. Jubilaeum indultum a Paulo II ad promovendam Ecclesiae Lauretanae fabricam . , ... » ib.
» 466. Obitus Francisci Mauroceni die 5. Octobr. 1471. . . » 229
XIX. » 467. **Andreas de Pilis** creatus 1471. 5. Sept. — Obiit mense Octobr. 1476. 230
» 474. De Familio Veneria, inprimis de *Jacobo* Archiepiscopo Ra-

gusino, *Antonio Jacobo* Cardinali, et *Joanne* Archiepiscopo itidem Ragusino *Veneriis* — De *Petro Matthaei* Episcopo Juvenacensi . . . . Pag. 234

XX. §. 177. **Hieronymus Roboreus** Cardinalis, creatus 1476. die 2. Decembr. — Obiit 1507. die 1. Sept. — Sixtus IV Ecclesiam Lauretanam a Mensa Episcoporum Recanat. avellit, ac Sedi Apostolicae immediate subjicit . . . . . » 238

» 179. Mox tamen eamdem Episcopo Recanatensi restituit . » 239

» 182. Qui eam perficit, et ornat . . . . » 240

» 184. Carmelitas ad ejus servitium deputat. Thesaurus Ecclesiae Recanatum asportatur ob Turcarum metum, et Ecclesia custodibus munitur . . . . » 242

» 185. Recanatensium erga Ecclesiam Lauretanam pietas et munificentia. De Processione solemni, quae die 25. Martii fieri solet. . . . . » 244

» 186 De *Antonio Bonfinio* scholae Recanatensis Magistro . » 245

» 187. De *Fr. Bartholomaeo* Apostolino, ejusque miraculis. . » 246

» 191. De *Berardo Bonjoannis* Episcopo Venusino . . . . » 249

XXI. » 192. **Theseus de Cuppis** creatus 1507. die 20. Octobr. . » 251

» 193. Julius II Ecclesiam Lauretanam a jurisdictione Ecclesiae Recanatensis eximit. Theseus Episcopus eidem locat bona Mensae pro canone annuo florenorum 150. . . . » 252

» 197. Julius II Recanati advenit . . . . » 256

» 201. Leo X Ecclesiam Lauretanam privilegiis auget . . . » 258

» 202. Collegium in ea Canonicorum instituit . . . . . » 259

» 203. De Sacello Civitatis Recanatensis in Ecclesia Lauretana » 261

» 204. Theseus Episcopus abdicat se Episcopatu Recanatensi An. 1516. die 16. Januarii . . . . » 262

XXII. » 206. **Aloysius de Tassis** creatus 1516. die 16. Januarii — Occisus 1520. die 2. Septembr. . . . . . . » 263

» 207. Is leges reformationis Cleri condit . . . . . . » ib.

» 208. Ecclesias visitat, quarum describitur status miserrimus » 264

» 209. Constitutiones novae pro Canonicis et Altaristis Ecclesiae Cathedralis . . . . » 265

» 210. Villa Lauretana moenibus ac foveis cingitur — Recanatenses subjiciuntur Gubernatori Lauretano . . . . . » 267

» 211. Aloysius Episcopus occiditur a latronibus die 2. Sept. 1520.» 268
De *Antonio Eremita Camaldulensi* . . . . . . » 269

XXIII. » 212. **Joannes Dominicus de Cuppis** Cardinalis Tranensis, Episcopus Recanatensis creatus An. 1520. die 16. Sept. » 271

» 213. Is in Ecclesia Cathedrali Dignitates instituit Archipresbyteri, et Decani . . . . » ib.

» 214. Adrianus VI gesta Leonis X circa Ecclesiam Lauretanam confirmat. . . . . » 273

§. 215. Clemens VII Oppidum Lauretanum potestati Recanatensium subtrahit . . . . *Pag.* 273

» 217. Coostitutiooes pro Ecclesia S. Mariae Castri novi — Sanctimoniales in Mooasterium S. Stephani introdnctae — De Historia Lauretaoa *Hieronymi Angelitae* . . . . . » 275

» 218. Decreta ad disciplinam Capituli Canonicornm, et officia Chori spectautia . . . . » 277

XXIV. » 221. **Paulus de Cuppis** creatus An. 1548. 24. Februarii — Obiit An. 1552. 9. Sept. . . . . » 280

XXV. » 222. **Joa. Dominicus de Cuppis** Cardinalis Traoeosis iterum » 282

» 223. Ejus laudes . . . . » 283

XXVI. » 224. **Philippus Riccabella** creatus An. 1553. 6. Martii . » 284

» 225. Capuccini Recanatnm advocaotur — Hospitale S. Luciae ab interitu vindicatur — Obiit Episcopus An. 1571. die 1. Jooii » 285

De *Francisco de Albericis J. C.* Auditore Camerae Apostolicae » 287

XXVII. » 227. **Hieronymus Melchiorius** creatus Ao. 1571. die 1. Junii — Abdicavit se Episcopatu Recanatensi An. 1573. » 288

XXVIII. » 228. **Galeatius Moronus** creatus An. 1573. die 19. Junii . » 290

» 229. Fundatur a Petro Nicolao Leopardio Collegium Societatis Jesu . . . . » 291

» 232. Gregorius XIII Meosae Episcoporum Recanatensium unit Praepositurarn S. Mariae Castri novi. Idem Pontifex Oppidum Lauretaoum a Dioecesi Recanatensi divellit . » 295

» 233. Sixtus V Cathedra Episcopali Civitatem Recanatensem privat — Lanretum ad civitatis honorem evehit. — Episcopum Lanretaoom instituit, eique Recanatenses subjicit. » 297

» 234. De *Obediente Angelita* Apostolino — et *Michaele Lauretano* Jesuita » 298

PARS TERTIA

De Episcopis qui Recanat. simul et Lauret. Ecclesiis praefuerunt.

PRAEFATIO

» 235. De Nazarethana S. Mariae Domo, quae Laureti colitur » 303

» 236. De Auctoribus, qui Historiam ejns conscripserunt . » 304

» 237. Honores ei a fidelibus habiti — Oblationes — Concursus — Donaria pretiosiora — Varii devotionem testificandi modi — Fuodationes Beneficiorum — Aedificatio Templi majoris — Litaniae Lauretaoae . . . . » 306

» 238. Privilegia Ecclesiae Lauretaoae a Summis Pootificibus concessa. . . . . » 330

» 239. Origo et incremeota Civitatis Lanretanae . . . . » 331

» 240. Cni Sixtus V Episcopnm ac Dioecesin dedit . . . . » 332

§. 241. Rectores Ecclesiae Lauretanae ab Episcopis Recanatensibus constituti . . . . Pag. 333
» 242. Collegium in ea Canonicorum erigit Leo X — Viri insigniores, et incrementa hujus Collegii. . . . . . » 335
» 243. Indiculus chronologicus Protectorum, et Gubernatorum Almae Domus Lauretanae. . . . . » 339
» 244. De Historia civili, et ecclesiastica Castrificcardi, Montis Cassiani, et Montis Luponis — De Vita *S. Firmani*, ejusque Monasterio . . . . » 347

SERIES EPISCOPORUM.

I. » 245. **Franciscus Cantucius** Episcopus Lauretanus primus. Creatus An. 1586. 24. Martii. Obiit eodem Anno die 25. Novembris . . . . » 362
XXIX. II. » 248. **Rutilius Benzonius** creatus 1586. 17. Decembris. Obiit 1613. 31. Januarii . . . . » 383
» 249. Synodum cogit Laureti . . . . » 366
» 250. Territorium Sixtus V Civitati Lauretanae adsignat . » 367
» 251. Innocentius IX Ecclesiam Recanatensem in Cathedralem denuo erigit, eamque Lauretanae aeque principaliter unit » 368
» 252. Fundatio Coenobii Capuccinorum . . . . . . » 369
» 253. Seminarii Recanatensis initia, et incrementa. . . . » 370
» 254. Constitutiones Rutilii Benzonii Episcopi pro disciplina Cleri — Dissidia cum Magistratibus Recanatensibus . . . » 371
» 255. Synodus Recanatensis — De Calendario ejus jussu confecto » 373
» 256. Instauratio Ecclesiae Cathedralis — Extruitur a fundamentis Palatium Episcopale . . . . » 376
XXX. III. » 259. **Augustinus Galaminius** Cardinalis. Creatus An. 1613. die 13. Februarii. Translatus Auximum 4. Kal. Junii An. 1620 » 379
» 260. Synodi Recanatensis et Lauretana — Lis diuturna de jurisdictione in Ecclesiam Lauretanam cum Card. Antonio Maria Gallo Almae Domus Protectore . . . . . . » ib.
» 263. De *P. Joanne a S. Guilielmo* Augustiniano Montecassianensi » 382
XXXI. IV. » 264. **Julius Roma** Cardinalis — Creatus An. 1621. die 11. Januarii — Translatus Tibur XII. K. Aug. An. 1634. . » 383
» 265. Synodus Recanatensis An. 1625. . . . . . . » 384
» 266. Initia Orphanotrophii sive Monasterii S. Mariae Assumptae » 385
» 268. De *Cornelio Lunario*, et *Angelo Lepretto* Capuccinis, *Vespasiano Bonamico*, et *Thoma Masrutio* Jesuitis, ac de *Hypermnestra Masrutia* . . . . » 388
XXXII. V. » 269. **Amicus Panicius** creatus An. 1635. 1. Januar. — Obiit 1661. 16. Octobr. . . . . » 390
» 270. Initia Oratorii S. Philippi Nerii . . . . . . » ib.

§. 272. De *Ludovico Anticio* Theatino *Francisco Massutio* Episcopo Pennensi et Adriensi, *Ludovico, Julio Caesare*, et *Constantio Centoflorentiis*, et *Petro Bonjoannis*. . . . . . . Pag. 392

XXXIII. VI. » 273. **Hyacinthus Cordella** creatus An. 1666. 15. Dec.— Obiit An. 1673. 14. Decembr. . . . . » 393

» 275. De *Camillo Massutio*, et *Maria Baptista Massaria*. . . . » 394

XXXIV. VII. » 276. **Alexander Crescentius** Cardinalis creatus 1676. 24. Febr. Abdicavit 1682. 10. Januarii . . . . » 395

XXXV. VIII. » 278. **Guarnerius de Guarneriis** creatus An. 1682. 16. Febr.— Obiit 1689. 30. Decembr. . . . . » 396

» 279. De *Philippo Condulmario* Archiepiscopo Nazareno, *Joa. Baptista Anticio* Episcopo Amerino, et *Antonio Francisco de Robertis* Archiepiscopo Urbini . . . . » 398

XXXVI. IX. » 280. **Raymundus de Ferrettis** creatus An. 1690. — translatus Ravennam die 8. Januarii An. 1692. . . . . ib.

» 281. De Fr. *Bonaventura de Massariis* Capuccino, et *Christophoro Anticio* Presbytero Oratorii S. Philippi . . . . . » 399

XXXVII. X. » 282. **Laurentius Gherardi** creatus An. 1693. 8. Junii — Obiit 1727. 5. Aprilis . . . . » 400

» 283. Constitutio Innocentii XII circa jurisdictionem in Almae Domus Lauretanae Ministros et Colonos . . . . » ib.

» 284. In Oppido Montis Cassiani fundatur Collegium sive unio octo Sacerdotum . . . . » 401

» 285. Seminarium Recanatense augetur redditibus — Terminatur lis Canonicos inter et Altaristas — Componuntur res Capituli — Leges editae circa disciplinam Chori, munia Altaristarum, Aeditui, Parochi etc. — Canonicatus duo ereeti, alii duo redditibus instructi — Dissolutio Capituli Ecclesiae S. Viti . . . . » ib.

» 286. Edicta Gherardii ad emendandos mores, pietatem promovendam — SS. Missiones ingenti cum fructu institutae — Laureti erigit Societatem SS. Viatici — Seminarii aedes, et Sacristia Ecclesiae Cathedralis extruuntur — Capitulum vestibus insignibus decoratur — Ecclesiam ornat . » 403

» 288. De *Alberto Maria* Eremita Montis Coronae — *Gabriele Maria de Bettinis* — *Hieronymo Centoflorenio* — *Didaco Calcagnio* atque *Antonio Baldassorri* e Societate Jesu . . . . . » 406

XXXVIII. XI. » 289. **Benedictus Bussius** creatus An. 1727. 24. Jun. — Mortuus 1728. 2. Octobr. . . . . » 408

XXXIX. XII. » 290. **Vincentius Antonius Maria Muscettola** creatus An. 1728. 15. Decembr. — Obiit 1746. 16. Januarii . . . . » 409

» 292. De *Leonardo*, et *Jo. Alberto Colleoniis*, *Carolo Ludovico Mazzonio* Canonicis, et *Balthassarre Galaminio* Archidiacono Ecclesiae

Cathedralis Recanatensis. — De *P. Vito* Missionario Capuccino . . . . *Pag.* 412

XXXX. XIII. §. 293. **Joa. Baptista Campagnolius** creatus An. 1746. 28. Martii. Obiit 1749. 25. Junii . . . . . . » 413

» 294. De *Thoma Antonio Arbuatto* Lauretano Augustiniano . » 414

XXXXI. XIV. » 295. **Joa. Antonius Bachetoni** creatus 1749. 1. Decembris.— Obiit 1767. 30. Augusti . . . . » 415

» 297. De *Francisco Leopardio* Canonico Recanatensi — Joa. Baptista, Josepho Antonio, et Josepho Sebastiano *Michelonii* . » 417

» 298. De Fr. Antonio *Gervasio* e Min. Conventualibus Lauretano » 419

XXXXII. XV. » 299. **Cyriacus Vecchionius** creatus An. 1767. 14. Decembris, Obiit 1787. 12. Junii . . . . » 420

Erectio Orphanotrophii Puellarum Parochiarum S. Francisci in regione *Balneoli*, e S. Crucis in regione *Pratorum* sive *Molie vecchie*, atque Asceterii Clericorum Regularium Passionis Domini apud Ecclesiam suburbanam S. Mariae Pictatis » ib.

» 300. Litibus circa jurisdictionem in Ministros Almae Domus tandem finis imponitur a Pio VI P. M.— Vindicatur jurisdictio Episcoporum Recanatensium in Sodalitium S. Jacobi— Ac jus Mensae Episcopalis Lauretanae in quartam canonicam Legati Androtiani contra Magistratus Monteluponenses » 422

» 301. Constitutiones edit Vecchionius circa disciplinam Chori in Ecclesia Recanatensi — Synodum celebrat Recanatensem » 424

» 302. De Maria Rosa *Augustini* Virgine Lauretana, ac de Carolo *Silva* e Minoribus Observantibus Lauretano. . . . . » 425

» 303. **Dominicus Spinutius** Episcopus Macerat. et Tolent. Administrator ab Anno 1787. ad An. usque 1796. Ecclesiarum Recanat. et Lauret. — De Thoma Cardinali *Anticio* Recacatensi . . . . » 427

» 304. Irruptio Gallorum in Ditionem Pontificiam, et calamitas illius temporis . . . . » 429

» 305. De Josepho Antonio *de Constantinis* Patricio Recanatensi » 430

XXXXIII. XVI. » 306. **Felix Paulius** creatus An. 1800. 10. Maji. — Obiit 1806. 29. Septembris . . . . » 431

» 307. Cultum S. Exuperantii Cinguli Episcopi egregie promovet, atque tuetur . . . . » 432

» 311. Creatur Episcopus Forosemproniensis . . . . . » 436

» 312. Translatus ad Eccl. Recanat. et Lauret. honores augeri curat Ecclesiae Recanatensis — Coelitumque Hieronymi Gherardutii, et Placiti Apostolini — De Seminario, Nosocomio, Orphanotrophio insignia ejus merita. . . . » 437

» 313. Gesta a Felice Paulio in Ecclesia Lauretana — Reducta Sacra Virginis Lauretanae Icon — Erectum Conservatorium

Puellarum — Insignia Capitulo Lauretano et Canonicis concessa — Disciplina passim restituta . . . . Pag. 439
XXXXIV. §. 314. Pietas Paulii, ceteraeque virtutes . . . . . . » 440
XVII. » 317. **Stephanus Bellinius** creatus An. 1807. die 23. Martii quem Deus O. M. diu nobis sospitem servet . . » 442
Hujusce Operis Approbatio per Episcopum Bellinium. » 444